Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 8

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1767

Dogm. 895-8
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399415-2
VD18 8021231

Dogm. 895-8



<36610196250019

<36610196250019

Bayer. Staatsbibliothek

Hom. 895-8

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

AUDITORIBUS SUIS

EXPOSUIT

P. HERMANN. SCHOLLINER,

BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,

SS. Theol. Doctor & Dogmatico - Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus.

TOMUS VIII.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Approbatio Cenſoris.

Tractatus hic Theologicus de Virtutibus Moralibus non ſolum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, ſed varias difficultates perſpicua claritate doctrinæque ſoliditate accurate pertractat, publico conſpectu, uſu, & plauſu dignus. Auguſtæ Vindel. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Approbatio
Sacræ Facultatis Theologicæ.

Non ſine magna ædificatione perlegi *Prælectiones Theologicas de Virtutibus moralibus* clariſſimi, ac per alia jamjam Eruditionis Theologicæ ſpecimina celeberrimi Viri P. Hermanni Scholliner, easque, tum quod nihil contra ſanam Fidei Doctrinam contineant, tum etiam ac præcipue, quod primitivam Eccleſiæ diſciplinam imitantes modernam vivendi, ſentiendique licentiam ſaluberrimis morum regulis, tanquam totidem repagulis coarctent, digniſſimas eſſe cenſui, ut propediem typis mandatæ Orbi litterario communicentur.

Dabam Salisburgi die 2. *Julii Anno* 1767.

P. RUPERTUS GUTRATH

Benedictinus San-Petrens. SS. Theologiæ Doctor, & Ejusdem in Speculativo-Dogmaticis Prof. Ordinarius, Celſiſſ. ac Reverendiſſ. Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. &c. &c. Conſiliar. Eccleſiaſticus.

CON-

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

CAPUT I.

De Prudentia, Temperantia & Fortitudine.

§. I.

De Prudentia, & Vitiis oppositis. pag. 1

§ II.

De Temperantia. 6

§. III.

De Jejunio Ecclesiastico.

Resolutio I. Jejunia Deo grata sunt & meritoria. 13

Resolutio II. Ecclesiæ competit potestas Fidelibus præcipiendi Jejunia, & prohibendi quædam ciborum genera. 14

Refolutio III. Jejunium Quadragefimæ Apoftolicæ eft inftitutionis. 21

Refolutio IV. Iftud Jejunium non erat præcife 40. horarum, fed totidem circiter dierum, feu plurium hebdomadum: quamvis non ubique, nec femper idem dierum numerus fuerit determinatus. 27

Refolutio V. Ab Apoftolis dimanare videtur Jejunium feriæ quartæ & fextæ per hebdomadam, excepto intervallo a Pafcha ad Pentecoften &c. 35

Refolutio VI. Præter dicta, in ufu erant Jejunia quatuor temporum - - - & in quibusdam Ecclefiis adhuc alia. 40

Refolutio VII. Difciplina Ecclefiæ Veteris circa Jejunium confiftebat in abftinentia I. Ab omni cibo & potu usque ad Vefperam. 43

II. A carne, vino & lacticiniis, &c. 45

Refolutio VIII. Difciplina Ecclefiæ modernæ quoad Jejunia confiftit I. In abftinentia a carnibus &c. II. A pluribus refectionibus. III. In certa refectionis hora. 48

Jejunium *per fe* fub gravi peccato obligat omnes fideles adultos &c. 50

§. IV.

De fortitudine. 53

CA-

CAPUT II.

De Juſtitia & virtutibus annexis.

§. I.

De Eſſentia & diviſione Juſtitiæ. 57

§. II.

De ſubjecto Juſtitiæ.

Reſolutio I. Inter Patrem & Filium, etiam qua tales, locum habet Juſtitia proprie dicta. 64

Reſolutio II. In homine reſpectu Dei datur Juſtitia proprie dicta, ſeu commutativa, ſaltem præſcindendo ab auctoritate S. Thomæ. 67

Reſolutio III. Etiam in Deo reſpectu hominis datur Juſtitia commutativa: præſcindendo iterum a S. Thoma, quem Adverſarii pro ſe adducunt. 70

§. III.

De Virtutibus Juſtitiæ annexis. 74

Reſolutio I. Omne mendacium ab intrinſeco malum, nec ullo caſu permiſſum eſt. 80

Resolutio II. Neque etiam in necessitate licet proferre verba materialiter, absque significatione formali. 86

Resolutio III. Sive intra, sive extra judicium, illicitus est usus æquivocationum & restrictionum mentalium nullo modo sensibilium. 90

Resolutio IV. Neque permissæ sunt restrictiones quodam modo sensibiles, si fiant ex intentione decipiendi proximum. 92

Resolutio V. Æquivocatio sensibilis licita videtur ex justa & gravi causa &c. 93

CAPUT III.

De Jure, & variis illius speciebus.

§. I.

De dominio, & ejus objecto. 98

Resolutio I. Homo non habet dominium suæ vitæ & membrorum. 101

Resolutio II. Homo habet dominium suæ famæ & honoris. 106

Resolutio III. Competit homini ex justa causa in alium hominem dominium, non quidem

dem vitæ & necis, ſed *utile* ſeu dominium proprietatis imperfectum. 107

Reſolutio IV. Judex eum, quem privatim certo ſcit innocentem, quamvis publice per falſa allegata videatur nocens, condemnare non poteſt. 112

§. II.

De ſubjecto Dominii. 125

Reſolutio I. Chriſtiani ſunt capaces Dominii rerum temporalium. 130

Reſolutio II. Eccleſiaſtici Bona temporalia poſſidere poſſunt. 134

Reſolutio III. Peccatores & Infideles ſunt capaces Dominii. 143

§. III.

De dominio Clericorum.

Reſolutio I. Clerici habent perfectum dominium in ſua bona patrimonialia. 147

Reſolutio II. Quamvis Clerici jus habeant ad congruam ſuſtentationem, & in illa bona adquirant dominium *revocabile*, poſt eorum autem conſumtionem etiam *irrevocabile*; non habent tamen in redditus etiam neceſſa-

ceſſarios dominium plenum, perfectum & irrevocabile, ſed ſolum ſunt bonæ fidei poſſeſſores, & adminiſtratores. 148

Reſolutio III. Clerici non habent dominium plenum & irrevocabile in proventus Stolæ, diſtributiones quotidianas, Stipendia Miſſarum, oblationes, honoraria pro concionibus, ſtipendia pro ſepulturis &c. quæ ab aliis uno verbo *quaſi patrimonialia*, ſeu *induſtrialia* adpellantur: neque in *parſimonialia*. 149

Reſolutio IV. Clerici non habent dominium in Bona ſuperflua 158

Reſolutio V. Clerici quamvis ſufficiente patrimonio proviſi, non debent neceſſario de illo ſe ſuſtentare, ſed de proventibus Eccleſiæ vivere, de patrimonialibus autem pro libitu diſponere poſſunt. 178

Reſolutio VI. Quamquam perinde ſit, utrum Clerici Bonis Eccleſiaſticis abutentes, charitatis vel Juſtitiæ defectu damnentur; dicendum tamen, illos ex Juſtitia obligari ad eroganda ſuperflua in cauſas pias: & ubi ſecus fecerint, ad reſtitutionem obligatos eſſe. 184

Reſolutio VII. Conſuetudo, qua Clerici ad cauſas profanas teſtantur, illicita & invalida videtur. 190

§. IV.

§. IV.

De Dominio Religiosorum. 199

Resolutio I. Religiosi sunt capaces dominii Bonorum in communi. 201

Resolutio II. Religiosi solenniter professi non habent dominium rerum temporalium in particulari, exceptis Jesuitis, nondum solenniter professis. 205

Resolutio III. Incapacitas hujus dominii in particulari apud Religiosos provenit unice ex dispositione Juris positivi Ecclesiastici. 207

§. V.

De reliquis Juris speciebus, & præcipue de usu rerum consumptibilium. 209

Resolutio Usus rerum licitus, quæ ipso usu consumuntur, a dominio separari non potest. 211

CAPUT IV.

De modis adquirendi dominium.

§. I.

De Venatione, seu occupatione animalium. 224

Re-

Resolutio. In germania, præsertim in Bavaria Feripetæ feras non faciunt suas, sed ad restitutionem obligantur. 225

§. II.

De Inventione.

Resolutio I. Thesaurus Jure naturali cedit inventori. 237

Resolutio II. De rebus derelictis statuit Jus Romanum §. 47. J. de R. D. 238

Resolutio III. Bona vacantia fisco applicantur. &c. 238

Resolutio IV. Res fortuito amissæ non fiunt Inventoris, sed vero Domino comparenti restituendæ: sin autem nulla sit spes eum reperiendi, ad causas pias adplicandæ sunt. 239

§. III.

De Præscriptione. 247

Resolutio. Præscriptio legitima etiam pro foro interno vere transfert dominium, & res debito modo præscripta, priori Domino deinceps comparenti non amplius restitui debet. 253

§. IV.

De reliquis adquirendi modis. 259

Resolutio. Bonæ fidei possessor rei particularis quamvis una cum re fructus *formaliter* exstantes Domino supervenienti restituere teneatur: fructus tamen perceptos, tam naturales industriales, quam etiam naturales in specie tales suos *interim* facit, nec eos restituere tenetur, quamvis ex iisdem factus sit locupletior; quod multo magis verum est de mere industrialibus seu adscititiis &c. 265

CAPUT V.

De Justitia & Restitutione in genere.

§. I.

De Natura, necessitate, & radicibus Restitutionis in genere.

Resolutio I. Restitutio in *re*, vel in *voto*, divino & naturali præcepto ad salutem necessaria est. 282

§. II.

De culpa, ex qua oritur obligatio restituendi ob damnificationem. 287

Re-

Resolutio I. Ex culpa etiam mere *Juridica* oritur obligatio in conſcientia reſarciendi damnum, ſaltem poſt ſententiam Judicis. 289

Resolutio II. Probabilius videtur, ex culpa *Theologica* veniali oriri obligationem *gravem* reſarciendi *totum* damnum, etiam extra contractum. 295

Resolutio III. Ex culpa Theologica gravi oritur obligatio reſtituendi exceſſum damni invincibiliter ignorati. &c. 301

§. III.

De Circumſtantiis Reſtitutionis. 304

Resolutio I. Qui efficaciter ad damnum cooperantur, ad reſtitutionem obligantur. 306

Resolutio II. Ille cenſetur cauſa efficax damni & ad reſtitutionem obligatur, ex cujus actione damnum grave ſecutum fuit; quamvis etiam ſine illo alterius læſio ſecuta fuiſſet 307

Resolutio III. Quando e pluribus unus cauſa eſt injuſti damni, determinate autem neſcitur quis fuerit, tunc ad reſtitutionem omnes obligantur. &c. 308

Reſolvuntur variæ quæſtiones 310

De ordine Reſtitutionis Regula I. Is, ad quem res aliena pervenit, primo loco eam reſtituere tenetur. 318

Regula II. Qui æqualiter ad damnum cooperati fuerint, æqualiter reſtituere debent. Uno deficiente, ceteri tenentur in ſolidum. Quando unus reſtituit totum, reliqui partes ſuas eidem refundere debent. 319

Regulæ de Creditore, cui facienda eſt Reſtitutio. 321

Reſolutio IV. Res aliena etiam bona fide empta, regulariter non furi, ſed vero Domino reſtituenda eſt. 323

Regulæ variæ de ordine reſtitutionis, quando aliquis plurium eſt debitor, 329

Regulæ de modo Reſtitutionis. 333

§. IV.

De cauſis excuſantibus a Reſtitutione vel ex toto, vel ad tempus. 335

Reſolutio I. Ceſſio bonorum debitorem a reſtitutione plenaria non excuſat. 338

Reſolutio II. Licite Religionem ingreditur, qui ære alieno gravatus prævidet, ſe non niſi longo tempore in ſæculo manendo

cre-

creditoribus ex integro ſatisfacere poſſe &c. 340

Reſolutio III. Qui alterum damnificavit in Bonis ordinis Superioris, tenetur reſtituere per bona ordinis inferioris, ſi damnum aliter compenſare nequeat. 350

Reſolutio IV. Cauſa licite differendi reſtitutionem in genere eſt unica; quando Creditor rationabiliter præſumitur in dilationem conſentire. 353

Reſolutio V. Debitor in reſtituendo culpabiliter moroſus, creditori compenſare debet lucrum ceſſans & damnum ex ipſa mora emergens. 357

CAPUT IV.

De Reſtitutione in particulari.

§. I.

De reſtitutione ob damnum in Bonis Animæ illatum facienda.

Quæritur I. An ad reſtitutionem teneatur, qui alterum læſit in bonis ſpiritualibus? *Reſp.* 359

Quæritur II. An qui alterum ſcientiam vel artem docuit male ſeu negligenter, omnia dam-

damna inde ſecuta reſarcire debeat? *Reſp.* Cum diſtinctione. 360

Quæritur III. An teneatur ad reſtitutionem, qui alterum læſit in Bonis ſupernaturalibus. *Reſp.* 361

Quæritur IV. An reſtituere debeat, qui a ſtatu religioſo alium avocat. *Reſp.* diverſimode. 362

Quæritur V. An contra Juſtitiam peccent capitulares & ad reſtitutionem teneantur, qui Novitio poſt expletum annum profiteri volenti, absque legitima cauſa vota denegant, eumque a profeſſione impediunt? *Reſp.* problematice. 366

§. II.

De reſtitutione ob damnum in Bonis famæ vel honoris illatum facienda. 369

Quæritur I. An reſtituenda ſit fama? 370

Quæritur II. Quis famam reſtituere debeat? 371

Quæritur III. Quando & quomodo fama injuſte ablata ſit reſtituenda? 372

Quæritur IV. Quænam ſint cauſæ a reſtitutione famæ excuſantes? 374

Quæritur V. An in hac materia locum habeat compenſatio, ſive an liceat calumniam calumnia repellere jure repreſſalium? 375

Quæritur VI. An & quomodo reſtituendus ſit honor per contumeliam læſus? 376

§. III.

De reſtitutione ob damna in Bonis corpori illata, facienda.

Quæritur I. Ad quid teneatur, qui alterum injuſte occidit vel mutilavit? 378

Quæritur II. An, quando occiſor ſupplicium luit pro homicidio, aut vulneratus in agone teſtetur, ſe illi condonare, immunis fiat a reſtituendo? 382

Quæritur III. An hæredes damnificantis in ejus defectum ad reſtitutionem obligentur? Ibid.

Quæritur IV. Ad quid teneatur Stuprator Virginis? *Reſp.* diverſimode. 383

Quæritur V. Ad quid teneatur, qui ſub promiſſione matrimonii vera vel ficta, honeſtam puellam conſentientem corrupit? 388

Quæ-

Quæritur VI. Ad quid teneatur, qui ſub promiſſione matrimonii conſanguineam violavit? 394

Quæritur VII. Ad quid teneantur adulteri? 396

Quæritur VIII. Ad quid in ſpecie teneatur uxor adultera, quæ prolem novit ſpuriam? 401

§. IV.

De reſtitutione facienda ob damna in Bonis fortunæ illata.

Quæritur I. Quænam in genere ſit quantitas, grave peccatum furti conſtituens, & gravem obligationem reſtituendi inducens? 405

Quæritur II. Quandonam, & contra quantam ſummam damnificatus prudenter præſumi debeat rationabiliter eſſe invitus, & reſtitutionem poſtulare? 406

Quæritur III. Quomodo & quando facienda ſit reſtitutio propter damnum per furta minuta ſucceſſive illatum? 410

Quæritur IV. Quomodo reſtituat Religioſus, qui peccavit non ſolum contra votum paupertatis, ſed etiam contra Juſtitiam, diſſipando Bona monaſterii contra voluntatem

ſuperioris, vel res monaſterii ſibi aut conſanguineis injuſte adplicando? 411

Quæritur V. An qui in extrema neceſſitate aliquid ſubripuit, illa ceſſante ad compenſationem obligetur? 412

CAPUT VII.

De Contractibus in genere.

§. I.

De generalibus contractuum, & Perſonis contrahere valentibus. 414

Reſolutio I. Pupilli, Minorennes, prodigi, e contractu civiliter nullo nec *naturaliter* obligantur. 422

Reſolutio II. Filiifamilias ex mutuo *naturaliter* obligantur. 430

Reſolutio III. Senatusconſultum Vellejanum mulieres fidejubentes etiam pro foro interno ab obligatione ſolvendi eximit, niſi privilegio ſuo expreſſe renuntiaverint. 442

§. II.

De cauſa formali contractuum, ſeu conſenſu & contrariis.

Re-

Resolutio I. Ad valorem contractus proprie talis requiritur consensus internus & verus. 444

Contraria consensus, error, dolus, metus. 447

Resolutio II. Contractus sive bonæ fidei, sive stricti juris, quibus dolus vel error accidentalis causam dedit, ipso jure naturali nulli sunt: præscindendo a jure civili, quoad contractus stricti juris. 449

Resolutio III. Plerique contractus metu gravi injuste extorti, jure positivo valent. 460

Resolutio IV. Spectato solo jure naturali 1. ejusmodi contractus metu extorti non valent, quantum ad favorem metum injuste incutientis. 2. Sed in arbitrio metum passi est, an contractum velit valere vel non. 3. Idque sentiendum de contractibus sive re- sive irrescindibilibus. 462

§. III.

De effectu contractuum. 470

Resolutio I. Contractus sub conditione honesta, possibili, de præterito jam impleta, vel præsente subsistente, vel necessario eventura, statim valet, & æquivalet contractui absoluto. 471

Resolutio II. Quando conditio est de futuro contingente libero, honesta & possibilis, suspenditur valor contractus ad eventum vel implementum conditionis, ita ut partes eventum exspectare teneantur. 472

Resolutio III. Contractus sub conditione impossibili aut turpi initi, regulariter nulli sunt, ita ut nulla sit obligatio ad conditionem turpem implendam. 473

Excipiuntur nonnulli contractus. 474

Resolutio IV. Contractus sub turpi conditione initus, quamvis sit nullus in ordine ad implendam conditionem, parit tamen obligationem ad præstandum promissum, postquam conditio turpis fuit impleta, & taliter acceptum non debet restitui. 476

Resolutio V. Quidam contractus Jure positivo adeo irritari possunt, ut nullum neque pro conscientia valorem obtineant: an autem ita irritare voluerint, e legum tenore desumendum est. 487

Resolutio VI. Contractus jure naturæ invalidi adjecto Juramento non firmantur. 490

Resolutio VII. Contractus Jure positivo invalidi, non tamen prohibiti, seu quando irritatio facta est in privatam contrahentium utilitatem, adjecto Juramento ita firmantur,

ut præter obligationem Religionis etiam obligatio Juſtitiæ ex ipſo contractu oriatur, ſi tamen ille, cui promiſſio fit, capax ſit juris ſibi quærendi. 490

Reſolutio VIII. Contractus dolo initi, aut vi *vel* metu extorti, ſuperaddito Juramento non firmantur, ita ut nec obligatio Juſtitiæ, nec Religionis inde producatur. 495

Quæritur. An Juramentum dolo aut metu extortum ſaltem obligationem Religionis producat? 496

Reſolutio IX. Juramentum metu vel dolo extortum nullam nequidem Religionis obligationem inducit, quando injuſtitia ex parte incutientis certa eſt: exceptis tamen pactis publicis. 498

CAPUT VIII.

De Contractibus Uſurariis.

§. I.

De Uſura.

Reſolutio I. Uſura mere lucratoria per ſe loquendo omni Jure prohibita eſt. 512

De titulis ultra ſortem principalem ex mutuo aliquid percipiendi. 520

Resolutio II. Periculum ſortis extrinſecum, lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſunt tituli, ab Uſuraria pravitate excuſantes. 523

Referuntur argumenta affirmantium, uſuras moderatas ſtatuto Reipublicæ licitas fieri poſſe. 530

Argumenta negantium. 541

Resolutio III. Pactum antichreſticum, quando uſus aut fructus pignoris non imputatur in compenſationem ſortis, ſed cedit lucro mutuantis, ordinarie eſt uſurarium. 548

Resolutio IV. Pactum de retrovendendo ſi fiat debito cum modo & juſto pretio, uſurarium non videtur. 549

Resolutio V. Contractus mohatræ uſurarius eſt. 550

Resolutio VI. Pactum legis commiſſoriæ illicitum & uſurarium eſt. 551

Resolutio VII. Anatociſmus, ſeu, ille contractus, quo ex ipſis uſuris non perſolutis computatur nova ſumma capitalis, & inde petuntur uſuræ uſurarum, Jure civili prohibitus eſt. 551

Resolutio VIII. Montes pietatis cum debitis conditionibus honeſti & liciti ſunt. 553

§. II.

De contractu ſocietatis, cambio & cenſu. 556

Reſolutio I. Contractus Societatis triplex cum aſſecuratione ſortis videtur illicitus. 558

Reſolutio II. Cambium *reale* cum debitis conditionibus *per ſe* loquendo licitum eſt: ſiccum vero & temporale, iniquum eſt. 565

Reſolutio III. Cenſus conſignativus realis, licitus eſt. 573

Reſolutio IV. Cenſus etiam perſonalis illis in locis licitus eſt, ubi conſtitutio Pii V. prohibens recepta non eſt. 576

Reſolutio V. Cenſus perpetuus, ſeu, irredimibilis, Jure naturæ illicitus eſt. 578

Reſolutio VI. Cenſus ex parte venditoris redimibilis, licitus eſt, non autem ille, qui ad nutum emptoris redimibilis eſt. 579

CAPUT IX.

De Virtute Religionis.

§. I.

De Religione in ſe ſpectata.

Reſolutio I. Objectum *materiale* Religionis ſunt actus honeſti, quibus honor Deo debitus

exhiberi poteſt. Objectum *cui* eſt Deus: *formale* eſt ipſa honeſtas, quæ relucet in cultu Deo exhibito, prout excellentiæ divinæ, noſtræque ſubmiſſionis ſignum eſt. 582

Reſolutio II. Religio non eſt virtus Theologica, ſed moralis, reliquis tamen præſtantior. 584

§. II.

De Oratione.

Reſolutio I. Oratio in genere omni adulto, tam perfecto, quam imperfecto neceſſitate *præcepti* divini & *medii* ordinarii neceſſaria eſt. 589

Reſolutio II. Aliqua meditatio omnibus hominibus, maxime autem Clericis & Religioſis neceſſaria eſt. 592

Reſolutio III. Animæ in purgatorio cum pro nobis, tum pro ſe ipſis utiliter orare poſſunt: quamvis hæc Oratio non ſit meritoria, ſed ſolum impetratoria. 594

Reſolutio IV. Impii & peccatoris oratio rite facta, non eſt peccatum, ſed utilis & impetratoria. 596

Reſolutio V. Orari ſeu invocari etiam poſſunt animæ in purgatorio commorantes. 599

Re-

Reſolutio VI. Bona, quibus quoquomodo abuti poſſumus, non abſolute, ſed conditionate, illa autem, quibus abuti non poſſumus, a Deo determinate petenda ſunt. 601

Reſolutio VII. Pro Viatoribus omnibus, ſive juſti ſint ſive peccatores, ſive fideles ſive infideles, ſeu amici, ſive inimici, orandum eſt, ita ut ab oratione privata nemo poſitive excludi debeat. 605

Reſolutio VIII. Neque pro Beatis in cœlo, neque pro damnatis in Inferno orare licet; hinc fictitia eſt liberatio Trajani Imperatoris, quæ precibus S. Gregorii M. vulgo tribuitur. 609

Reſolutio IX. Pro animabus in Purgatorio utiliter oratur. 622

§. III.

De Horis Canonicis.

Reſolutio I. Clerici omnes in ſacris ordinibus conſtituti, nullo licet Eccleſiaſtico Beneficio proviſi, ad officii divini recitationem obligantur. 647

Reſolutio II. Beneficiarii ad horas Canonicas recitandas certo adſtricti ſunt. 648

Reſolutio III. Religioſi ad Chorum profeſſi, nondum licet ſacris, ſeu majoribus ordi-

nibus

nibus initiati, extra chorum quoque ad privatam divini officii recitationem obligantur, nisi in aliquo ordine vel loco contraria vigeat consuetudo, vel dispensatio. 649

Resolutio IV. A peccati veniali immunis haud videtur, qui sine rationabili causa & per consuetudinem ex sola commoditate vel negligentia Matutinum & laudes Missæ celebrationi non præmittit. 653

Resolutio V. In ordine ad satisfaciendum præcepto requiritur in- vel explicita Intentio orandi & laudandi Deum. 657

Resolutio VI. Ut satisfiat præcepto, requiritur attentio interna cum ad verba, tum vel ad sensum verborum, vel in genere ad Deum & res divinas, quas orando petimus vel cogitamus. Hæc autem attentio non semper debet esse actualis, sed virtualis, nec sufficit habitualis. 658

Resolutio VII. Beneficiarii & Canonici Ecclesiarum sive Cathedralium sive Collegiatarum choro adscripti sub gravi peccato obligantur, ut officium divinum per semetipsos psallant aut cantent in Ecclesia: si secus fecerint, ad restitutionem fructuum sui Beneficii obligantur, nisi legitimo privilegio muniti existant. 660

Præ-

Prælectiones Theologicæ
De
Virtutibus moralibus.

Post illam Virtutum Theologicarum triadem, quam Tomo VII. præcedente exposui, nunc aliæ considerandæ veniunt, MORALES communiter appellatæ, quia non ut illæ priores pro immediato objecto Deum ipsum, sed honestatem quandam *moralem* respiciunt, & circa hominum *mores*, seu deliberatas actiones moderandas versantur. Sunt autem illæ quatuor principales, CARDINALES etiam dictæ, quod ad illas reliquæ referantur, & in iisdem veluti cardinibus omnis honestæ vitæ ratio vertatur. *Prudentia*, videlicet, *Justitia*, *Temperantia*, *Fortitudo*, quas una cum Theologicis in Justificatione simul infundens divina sapientia, veluti excisis septem columnis affabrem sibi domum, seu Spiritus S. templum, in anima nostra ædificat.

ficat. Etſi vero iſtam materiam Ethici Moralesque Theologi præprimis ſibi pertractandam vendicent, hactenus tamen in ſcholis obtinuit, ut etiam in Theologia Dogmatico - Scholaſtica locum haud immerito occuparet. Præcipuus nihilominus ſcopus erit, ut de *Juſtitia* & Jure agatur. Virtuti iſti opponitur *Injuria*, cui medelam adhibet *Reſtitutio*. Pertinent huc etiam *contractus*, amplus ille Juriſconſultis emetiendus campus, falci etiam Theologicæ ſubmittendus, quam tamen parcius adhibere conſtitui, ne juſtos libelli transgrediar limites. Quoniam autem ad Juſtitiam refertur RELIGIO, quæ Deo cultum omni jure debitum exhibet, hinc ſuus eidem quoque hic locus eſſe debuit. Pro aſſueta igitur mihi methodo rerum pertractandarum ſeriem in limine præmitto, acturus cap. I. de Prudentia, Temperantia, & Fortitudine. II. De Juſtitia. III. De Jure & variis ejus ſpeciebus. IV. De modis adquirendi dominium. V. De Injuria & Reſtitutione in genere. VI. De Reſtitutione in ſpecie. VII. De Contractibus generatim. VIII. De Contractibus in ſpecie, præ-

ſertim

ſertim Uſurariis. IX. De Virtute Religionis. Facile autem prudens Lector animadvertet, intra unius Tomuli anguſtias coarctari non poſſe innumeras, quæ hisce de rebus quotidie occurrunt *quæſtiones*; ſed dogmata ſaltem Eccleſiæ, & præcipuas Scholæ Controverſias tradere animus erat: reliquis ad Juriſconſultos, & Theologos morales amandatis. Quod igitur Deus bene vertat, Virtutum exordium faciet Prudentia: finem imponet Religio, qua Deus colendus eſt in omnibus, & ſuper omnia diligendus.

CAPUT

CAPUT I.

De Prudentia, Temperantia, & Fortitudine.

§. I.

De Prudentia, & vitiis oppositis.

Cum Christus nos velit esse 1
prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbas, merito christiana Theologia de Prudentia disserit, ut verum a falso discernat; hæc enim his maxime temporibus in omnium quidem ore versatur, & vitia plurima virtutis pallio obvolvit. Por- 2
ro non agitur hic de Prudentia generatim sumta pro omni veri cognitione, cujusmodi est theologia, fides, habitus intelligentiæ, &c. sed magis stricte pro noti-

tia veri, quæ voluntatem dirigit, ut in determinatis circumſtantiis honeſte operetur in ordine ad finem ultimum, qui eſt Deus. Atque ita commode PRUDENTIA definiri poteſt, quod ſit *rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia*: ſeu, quod ſit *virtus moralis, oſtendens, quid in quolibet negotiorum genere tanquam honeſtum amplectendum ſit, vel tanquam turpe fugiendum in ordine ad ultimum finem.* Tria ergo præcipue ſunt munia Prudentiæ. I. *Recte conſulere*, ſeu, inquirere in circumſtantias temporis, Perſonarum, loci, ut opus propoſitum honeſte fiat, vel omittatur. II. *Recte judicare*, quænam media circumſtantiis congrua & operi apta ſint aſſumenda. III. *Recte imperare*, ſeu, movere voluntatem ad operis exericitium. *Primum* obtineri poteſt ex attenta rerum præteritarum recordatione: *alterum* ex circumſpecta intelligentia præſentium: *tertium* ex cauta providentia futurorum. Nam experientia multam prudentiam docet: hinc vulgare proverbium: *in ſenibus eſt prudentia*: & inter reliqua, quæ Deus ſpecialiter odio habet, eſt *ſenex fatuus* & inſenſatus Eccli. XXV. 4.

2 Varia eſt hujus virtutis diviſio. Alia eſt enim Prudentia *Perſonalis*, quæ ſolum operantis bonum, alia *gubernatrix*, quæ bonum commune attendit. Hæc iterum vel eſt *oeconomica*, quæ ſpectat bonum fami-

familiæ regimen: vel *Politica*, quæ curat bonum reipublicæ, & ut leges in ea ſerventur, invigilat. Vel *legiſlatrix*, qua juſtæ conduntur leges: vel *militaris*, qua recte adminiſtratur militia. Prudentia ſive perſonalis, ſive gubernatrix, vel *naturalis eſt*, quæ dirigit hominem naturalem & civilem, vel *ſupernaturalis*, quæ ad finem ultimum, videlicet Deum intuitive videndum ac poſſidendum, diſponit. Utraque vel eſt *completa*, quæ ſe extendit ad omnes actiones: vel *incompleta*, quæ nonnulla ſolum negotiorum genera complectitur. Alia iterum vel *infuſa* eſt, quoniam cum gratia ſanctificante, quæ reperitur in omnibus juſtis, non ſolum virtutes theologicæ, ſed etiam morales infundi docet catechiſmus Romanus: P. II. tit. de bapt. n. 50. Vel eſt *adquiſita*, quæ non raro eſt in peccatoribus, licet etiam juſti ea frequenter deſtituantur. Cum enim habitus generetur a frequentatis actibus, ideo cum tempore & experimento etiam a malis hominibus adquiri poteſt: huc forte reſpexit Chriſtus, dum dixit Luc. XVI. 18. *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

Ex his colligitur facile, quanta ſit Prudentiæ neceſſitas & influxus in omnes virtutes; cum enim honeſtas ſit objectum virtutis cujuſcunque: honeſtum autem ab inhoneſto diſcernere, circumſtantias exa- 3

minare, media præſcribere, executionem urgere, ſit prudentiæ; clarum fit, virtutes omnes a prudentia dirigi. De regulis prudentiæ, præprimis perſonalis, agitur in tractatu de ultimo fine, actibus humanis, & conſcientia.

4 Vitia opponuntur prudentiæ quædam per defectum, ut I. *Præcipitatio* in judicando & *Inconſideratio* in agendo contra monitum veteris Poetæ: *quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem* cum circumſtantiis. II. *Inconſtantia*, quando ſine legitima cauſa mutatur juſtum propoſitum; ſecus enim, *ſapientis eſt mutare conſilium.* Poteſt eſſe peccatum grave, cum quis voto, charitate, vel præcepto graviter obligatur ad perſeverandum in priore propoſito. III. *Negligentia* mediorum, quæ pro circumſtantiis gravis vel levis eſſe poteſt.

5 Alia opponuntur per exceſſum. I. *Prudentia carnis*, quæ propoſito malo fine, ſeu bono creato inordinate affectato media præſcribit ad eum aſſequendum. Hæc iterum pro circumſtantiis grave vel leve efficit peccatum; nam ut ait Paulus Rom. VIII. *Prudentia carnis mors eſt. Sapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubjecta.* I. Cor. III. 19. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Hanc falſam prudentiam graphice depingit S.

GRE-

Gregorius M. Lib. X. Moral. Cap. XVI. „ Hujus mundi Sapientia eſt, cor machi- „ nationibus tegere, ſenſum verbis vela- „ re; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; „ quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc „ *nimirum* prudentia uſu a Juvenibus ſci- „ *tur*, hæc a pueris pretio diſcitur; hanc „ qui ſciunt, ceteros deſpiciendo ſuper- „ biunt: hanc qui neſciunt, ſubjecti & „ timidi in aliis mirantur; quia ab eis hæc „ eadem duplicitatis iniquitas nomine pal- „ liata, diligitur, dum mentis perverſitas, „ urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequen- „ tibus præcipit honorum culmina quæ- „ rere, adepta temporalis gloriæ vanitate „ gaudere, irrogata ab aliis mala multi- „ plicius reddere: cum vires ſuppetunt, „ nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis „ poſſibilitas deeſt, quidquid explere per „ malitiam non valent, hoc in pacifica „ bonitate ſimulare. At contra Sapientia „ juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fin- „ gere, ſenſum verbis aperire, vera, ut „ ſunt, diligere, falſa devitare, bona gra- „ tis exhibere, mala libentius tolerare, „ quam facere; nullam injuriæ ultionem „ quærere, pro veritate contumeliam lu- „ crum putare. Sed hæc juſtorum ſim- „ plicitas deridetur; quia ab hujus mun- „ di ſapientibus puritatis virtus, fatuitas „ creditur. &c. &c. „ II. *Aſtutia*, ſeu notitia mediorum pravorum, occultorum, & ad fallendum aptorum, cum affectu

exequendi conjuncta. Gravis eſt vel levis pro circumſtantiis damni, aut pro malitia medii. Pertinet huc *Dolus*, qui eſt executio aſtutiæ cum verbis tum factis: & *fraus*, quæ ſolis factis aſtutiam exequitur. III. Nimia *ſolicitudo* res temporales, vel adquirendi vel conſervandi contra Chriſti præceptum. Math. VI. 31. *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus &c.* Graviter peccaminoſa erit, quando in re creata ultimus ponitur finis, aut cauſa eſt transgreſſionis gravis præcepti.

§. II.

De Temperantia, virtutibus connexis & vitiis oppoſitis.

6 TEMPERANTIA in genere ſumta CICERONI apud S THOMAM 2. 2. q. 141. art. 3. eſt rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio: quod quidem virtuti cuilibet in ſua materia proprium eſt. Strictius autem accepta eſt *virtus moralis, quæ ſenſuum oblectamenta, guſtus præſertim ac tactus, intra rectæ rationis limites coërcet.* Sunt ſpecies ejus quatuor, nempe I. *abſtinentia*, quæ in cibo: II. *ſobrietas*, quæ in potu moderando occupatur. Illi opponitur *crapula*, *gula*, ſeu exceſſus in cibo: huic *ebrietas*, exceſſus in potu. III. *Caſtitas*, quæ ab illicitis voluptatibus: IV.

Pu-

Pudicitia, quæ ab omni aſpectu & tactu impudico refrænat. Opponitur caſtitati *luxuria*, ſexto decalogi præcepto prohibita, pudicitiæ autem *impudicitia*. Regula & menſura, cibi, potus, & ſomni generalis hæc eſt, ut ad finem proximum referantur, nec plus adhibeatur, quam quod ad bonam corporis valetudinem, & officia ſtatus rite obeunda, ultimato autem ad gloriam Dei referenda, neceſſarium prudentia dictat. Nam ob ſolam voluptatem rebus corporalibus uti non licere, docent Thomiſtæ, dum in tract. de actibus humanis negant, dari actum individuo indifferentem. Contrarium damnavit INNOCENTIUS XI. propoſitione VIII.

Caſtitas triplex eſt, *conjugalis*, *vidualis*, 7
& *virginalis*. Prima, eſt conſtans & firmum propoſitum, ex Dei dono proveniens abſtinendi ab omni actione & delectatione venerea cum non conjuge, & ea utendi cum conjuge juxta rectæ rationis & legis divinæ regulam. *Vidualis*, eſt propoſitum abſtinendi in poſterum propter Deum ab omni actione & delectatione venerea, antea in conjugio percepta. *Virginalis*, eſt propoſitum &c. abſtinendi perpetuo ab omni prorſus actione & delectatione venerea. Hinc non conſiſtit ſolum in integritate corporis, ſed etiam mentis: quamvis involuntaria pollutio, aut violenta ſuppreſſio eidem non obſit,

ut conſtat ex pluribus ſanctis virginibus, quibus violenter oppreſſis virginitas duplicabatur ad coronam. Ut autem vidualis caſtitas conjugali, ita utrique præferenda virginalis, utpote longe perfectior, quod dudum Eccleſia ſtatuit adverſus Nicolaitas, Gnoſticos, Baſilidem Elceſæos, & Jovinianum, quorum errores damnatos ſuſcitarunt Lutherus & Calvinus, nuptias omnibus præceptas, virginitatis propoſitum impoſſibile eſſe jactitantes: cum tamen dicat ſapiens VIII. 21. *ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.* ergo Deo dante poteſt: & Paulus ad virginitatem, non utique impoſſibilem, adhortatus dicat: *Qui virginem ſuam matrimonio jungit, bene facit: qui non jungit,* melius *facit.* Porro quod etiam virginitatis, ac reliqua vota valeant, contra hæreticos modernos oſtendi in Prælect. de Baptiſmo.

8 Virtutes temperantiæ annexæ a S. Thoma numerantur tres, videlicet *manſuetudo, clementia, modeſtia.* Alii addunt *ſtudioſitatem*, *Eutrapeliam*, & *circumſpectionem.* Manſuetudo eſt virtus, quæ iram moderatur juxta rectam rationem. Huic per exceſſum opponitur *iracundia*, per defectum vero *diſſimulatio*, dum vitia & ſcandala defectu juſtæ iræ non corriguntur. Clementia eſt virtus, quæ vindictam coercet, & pœnam debitam vel remittit,

vel

vel mitigat, quantum quidem recta ratio patitur, ne tamen ob criminum impunitatem diſciplinæ bonum, & Reipublicæ ſalus periclitetur. Hinc per exceſſum ei opponitur *nimia lenitas*; per defectum vero *crudelitas*, ſeu, nimia in exigenda pœna ultra meritum culpæ auſteritas.

MODESTIA duplex eſt, una, quæ motus 9
corporis externos, altera, quæ cultum corporis, & apparatum rerum externarum in ornatu veſtium, conviviorum, ſupellectilis, juxta rectam rationem, & conditionem ſtatus moderatur. Priori per exceſſum opponitur *Petulantia* & *inſolentia*, ſeu diſſolutio in actibus externis & geſtibus. Per defectum morum *inurbanitas*. Aleri per exceſſum opponitur *luxus*, ſeu, exceſſus in ornatu, cultu, pompa, apparatu, contra conditionem ſtatus, & affectus inordinatus in hujusmodi rebus cum diſpendio pecuniæ & temporis. Peccant in his frequenter mulieres, nimium ſtudii, temporis & impenſarum in cultu & ornatu corporis ponentes. Scripſerunt contra eas TERTULLIANUS lib. de cultu fæminarum, item lib. de velandis virginibus: & CYPRIANUS de habitu virginis, qui cum fructu & guſtu leguntur. Peccant quoque viri, qui totam non raro ſubſtantiam, & æs quandoque alienum cum damno hæredum impendunt in luxum, convivia, numerum exceſſivum famulorum, canum

&c. hinc illos peccare mortaliter nemo dubitat, quamvis rari ſint, quos deſuper ſcrupulus angit. Per defectum modeſtiæ opponitur *ſordities*, ſeu neglectus omnis decori juxta convenientiam ſtatus.

10 STUDIOSITAS eſt virtus, quæ ſecundum rectam rationem moderatur appetitum ſciendi, ut quis ea ſolum cupiat ſcire, quæ ipſius conditioni & capacitati conveniant, & ſtudeat etiam ea diligentia, qua oportet, ex debito fine, in debitis circumſtantiis temporis, loci. Hinc monet PAULUS Rom. XII. 3. *non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Huic per exceſſum opponitur *curioſitas*, quæ eſt inordinatus appetitus cognoſcendi vel ſuperflua, quæ ad eum non pertinent, nec ad propriam, nec proximi utilitatem, nec Dei conducunt honorem: vel excedendo in modo, puta ſtudendo tempore non ſuo, aut nimia intenſione ultra vires corporis, cum detrimento ſanitatis. Hinc peccant, qui legunt libros ab Eccleſia prohibitos citra licentiam: qui volunt ſcire ſecreta confeſſionis: alienas litteras, quas ſcriptor, & ad quem diriguntur, volunt rationaliter eſſe ſecretas: qui præter officium inquirunt in alienos mores, facta &c. Per defectum ſtudioſitati opponitur *Negligentia*, quæ eſt voluntaria omiſſio ſtudii in iis addiſcendis, quæ quis juxta conditionem ſtatus ſcire tenetur.

Eu-

Eutrapelia, ſeu, jucunditas, eſt virtus, 11
quæ moderatur dicta & facta ludicra ad animi relaxationem ordinata. Peccant contra eam per exceſſum ratione objecti, qui ludendi aut jocandi genus prohibitum aſſumunt: ratione circumſtantiarum, ſi *tempore* aut loco indebito, contra gravitatem perſonæ exerceatur. Denique ratione immodici affectus, aut nimiæ durationis ultra finem juſtæ recreationis, ſolius voluptatis gratia &c. Per defectum peccatur nimia *moroſitate*, quæ omnem recreationem honeſtam ſibi neceſſariam repudiat, & in aliis impedire conatur. *Circumſpectio* eſt virtus, quæ moderatur ſermones juxta rectam rationem, ut nil proferat, niſi quid, ubi, & quando oportet.

§. III.

De jejunio Eccleſiaſtico.

Temperantiæ ſpecies eſt *jejunium* Eccleſia- 12
ſticum, quod tria involvit: I. abſtinentiam a carnibus, & ovis quoque ac lacticiniis: cui tamen legi in germania per contrariam conſuetudinem derogatum fuit. II. Abſtinentiam a pluribus refectionibus. III. Certum tempus refectionis. Opportuna hoc loco ſe offert occaſio ea pertractandi, quæ ad dogma fidei, veteris & modernæ Eccleſiæ diſciplinam, & quæſtiones nonnullas practicas pertinent. Ac pri-

primo quidem diversi hæreticorum observandi veniunt errores. Quidam jejunium omne abhorrebant, tanquam id esset dæmonis inventum, ut *Gnostici* & *Manichæi*. Aëriani illud repudiabant, quia illius præceptum repugnare arbitrabantur libertati Christianæ, quamvis sponte jejunarent, non tamen diebus ab Ecclesia præscriptis, ut de iis testatur Epiphanius hæres. 75. Jovinianus jejunia & abstinentiam a certo ciborum genere respuebat, quod nihil ad salutem conduceret. Præiverant Massalienses, nullum jejunio ac ceteris bonis operibus, solum orationi pretium statuentes. Horum errores suscitarunt Waldenses, jejunia velut superstitionem redolentia aversantes, cum liberum sit cuivis Christiano, quidlibet qualibet die vel hora manducare, vel abstinere, modo libere faciat. Eosdem adoptarunt moderni Novatores, & documenta dant, qua sint origine nati.

13 Ex adverso Manichæi, & quotquot inde orti duo principia, bonum unum, malum alterum confinxerunt, a carne & vino, tanquam malo Deo procreatis abstinebant. Adnumerandi his etiam veniunt Cerinthus, Ebion, & quotquot Judaizantes legalia veteris testamenti a Christianis observanda volebant, abstinentiam ab immundis animalibus imperantes. Ut vero contraria est sibi invicem hæresis, in nimium

mium

mium rigorem declinarunt MONTANISTÆ, quibus infeliciter in fine adhæſit TERTULLIANUS, non unam quadrageſimam cum Catholicis, ſed trinam, a Montano, jactato Paracleto, præceptam, & de neceſſitate ſalutis ſervandam docuerunt. Propugnat hunc errorem TERTULLIANUS toto libro de jejuniis adverſus Phychicos, ſeu animales, prout Catholicos nominat. Horum hæreſis non in eo conſtabat, quod plures obſervarent quadrageſimas, hoc enim cuicunque Chriſtiano licitum eſt, & in uſu erant CAROLI M. ævo: & adhuc in nonnullis ordinibus Religioſis vigent: ſed quod eas velut a ſpiritu ſancto *præceptas* ex commentitiis revelationibus præſcriberent, & Eccleſiam catholicam erroris damnarent. His obſervatis ſtatuitur

RESOLUTIO I. Jejunia Deo grata ſunt & meritoria. *Eſt de fide.* 14

PROB. I. Deus in veteri lege & jejunia præcepit, & ſponte aſſumta grata habuit, ut conſtat de MOYSE, ELIA, NINIVITIS. Omnia in ſacris paginis horum plena ſunt. CHRISTUS ipſe jejunium ſuo Exemplo ſacravit, atque prædixit Math. IX. 15. diſcipulos ſuos in diebus luctus, quando ablatus ab eis fuerit ſponſus, jejunaturos. *Bona eſt* enim *oratio cum jejunio* dicebat Raphael Tobiæ XII. 8. II. Ratio eſt eadem,

dem, quæ pro reliquis bonis operibus, de quibus dixi Tom. VII. P. I. de operum bonitate & merito. Nec enim Deus aliquid præcipere, conſulere, aut approbare poteſt, quod ſuperſtitionem ſaperet, nec ex omni parte bonum foret: atqui Deum jejunia præcepiſſe, conſuluiſſe, probaſſe, ita ex ſacris litteris evidens eſt, ut demonſtratione ulteriore ſuperſedere queam.

15 Resolutio II. Competit Eccleſiæ poteſtas præcipiendi fidelibus jejunia, & prohibendi quædam ciborum genera. *Eſt de fide.*

Prob. I. Pars Argumento generali. Eccleſia habet poteſtatem a Chriſto ferendi leges pro communi animarum bono, ut ſuppono ex tractatu de legibus, & colligitur ex Math. XVIII. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.* Atqui jejunia, & abſtinentia a certis cibis, animarum ſaluti conducunt: ergo poteſt Eccleſia ea præcipere. *Min.* probatur. Ex communi SS. Patrum ſententia ſemper animæ cibus jejunium fuit; ſervit enim ad expiationem peccatorum, ad edomandam carnis concupiſcentiam, ad placandum Deum, vincendas tentationes, mentem liberius ad Deum elevandam, & pro inſtanti ſolennitate præparandam. Videantur ſermones S. Leonis M. de jeju-

nio, & S. Basilii, qui per annum in Breviario occurrunt. Ipſe Christus dicebat Marc. IX. 28. *Hoc genus dæmoniorum in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio.* Sicut ergo Eccleſia indubie poteſt indicere preces, ita etiam jejunia. Accedit, quod ipſi Proteſtantium Magiſtratus certa ſuis præſcribant jejunia ad exemplum Ninivitarum, pro avertenda offenſi Numinis ira. Ajunt quidem, ob emergentes cauſas id fieri: nulla vero indici poſſe annua, ſeu, ſtata jejunia, & hoc eſſe contra libertatem Chriſtianam. Sed *contra* eſt. Nam motiva indicendi jejunia cum perpetua ſint, & quot annis occurrant, merito etiam perpetua præſcripta ſunt jejunia.

Prob. II. pars. Eadem eſt Eccleſiæ poteſtas, quæ reſidebat in Apoſtolis velut Eccleſiæ Rectoribus: atqui hi præcipiebant ciborum delectum. *Ergo. min.* probatur. Orta inter fideles de legalium obſervatione controverſia in primo concilio Hieroſolymitano declarunt, Chriſtianos ad eam non teneri, utpote Chriſti morte abrogatam: ſtatuerunt tamen, ut abſtinerent *a ſanguine & ſuffocato, & immolatis ſimulacrorum*: & quidem ex inſtinctu & auctoritate ſpiritus ſancti: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis.* Et Paulus, ut habetur in actis ibidem Cap. XV. *perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias,* 16

ſias,

ſias, *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum*, paullo ante in Concilio lata. Patebit id quoque ex Eccleſiarum omni ſæculo praxi, de qua infra, & hæreticorum condemnatione, de quibus dixi n. 12. ſeq.

17 Objic: Contra I. & II. Reſolutionem. S. ſcriptura permittit quodlibet manducare, reprobat jejunia, humana lege impoſita: atqui talia ſunt Catholicorum: *ergo*. *major* probatur I. Cor. X. 25. *Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt terra & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.*

Resp. Vult Paulus, ut fideles eſcas publice venales tuto emerent, absque ulla inquiſitione, an fuiſſent prius idolis conſecratæ. Eſca enim omnis per ſe bona eſt, & tunc ſolum mala, ſi ſerviret ad proteſtationem idololatriæ, quod non fit, quando bona fide emuntur tanquam cibi communes. Sic etiam invitati ad menſam infidelium vult ut bona fide comedant absque indagatione, an eſſent idolothyta. Nec dicat quis, hanc reſponſionem eſſe contrariam definitioni concilii Jeroſolymitani, quæ jubebat fideles abſtinere ab immolatis ſimulacrorum n. 16. Epiſtola au-

tem

tem hæc ad Corinth. ſcripta erat aliquot annis poſt Concilium Hieroſolymitanum.

Respondeo enim, Apoſtolos præcepiſſe abſtinentiam ab immolatis, *qua cognitis*, & quando eorum comeſtio fieret in contemptum Religionis Chriſtianæ, cum ſcandalo aliorum, ſi infideles judicarent, Chriſtianos cum iis in eodem cultu idolorum participare: non autem ab immolatis *non cognitis*, aut quando abeſt periculum ſcandali. Denique leges illæ concilii tantum erant ad tempus latæ, donec fieret unio inter fideles e gentibus, & Judæis ad Chriſtum converſos. Forte autem jam tunc, ſaltem Corinthi, illa unio perfecta fuerat.

Objic. II. Idem Paulus ad Coloſſ. II. 16. 18
ait: *nemo vos judicet in cibo aut in potu.* Atqui catholici nunc judicant eos, qui certis diebus comedunt carnes. *Ergo.*

Resp. Loquitur Paulus de obſervantia legalium, & cibis ex lege immundis, ad quorum abſtinentiam non adſtringebantur Chriſtiani; hinc non curanda erunt judicia Adverſariorum: non autem ſermo eſt de ciborum delectu per Eccleſiam introducto.

Objic. III. I. Tim. IV. *Spiritus manifeſte* 19
dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent

quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris... Prohibentium nubere, & abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Atqui catholici prohibent abſtinere a quibusdam cibis. *Ergo* &c.

Resp. prædixit Apoſtolus hæreſin Marcionis, Tatiani, Manichæorum, aliorumque, docentium, quosdam cibos a malo Deo procreatos per ſe immundos eſſe, & hinc ab iis abſtinendum, ut obſervant Patres: quod non docent catholici, fatentes, omnem creaturam per ſe bonam eſſe: alicujus autem uſum eſſe malum, quando prohibitum.

20 Objic. IV. Christus Math. XV. excuſans diſcipulos a Phariſæis reprehenſos, quod illotis manibus manducarent panem, ait: *Non quid intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore coinquinat hominem.* Ergo omnia manducare licet.

Resp. *Diſt.* quod intrat per os, non coinquinat hominem, *per ſe* & ex natura ſua: *Conc.* quod intrat per inobedientiam: aut intemperantiam. *Nego.* Certe Judæus quondam comedens ſuillas carnes, fuiſſet

coin-

coinquinatus quoad animam, non propter carnes, quæ ſunt creatura Dei bona, ſed propter prohibitionem. Hinc Machabei maluerunt graviſſima potius ſubire tormenta, & ipſam mortem, quam prohibitum quid comedere.

Ad ſolvendos plurimos, qui opponuntur, PP. textus, obſervandum, eos vel loqui I. de abſtinentia *perpetua* a carne & vino, tanquam cibis immundis, quam ENCRATITÆ & Manichæi urgebant, & in eis Patres damnabant: aut II. de abſtinentiis *arbitrariis*, extra præceptos ab Eccleſia dies, quæ ex charitate ſolvi poſſunt, & aliquando debent, propter advenientem hoſpitem, ne ſcandalizetur. 21

OBJIC. V. Refert SOZOMENUS Hiſt. Eccl. L. I. Cap. 9. quod, cum inſtante quadrageſima ad Spiridionem quidam peregrinus veniſſet, nec aliud quid haberet, quod apponeret, carnes ſuillas ſale conditas ei coqui juſſerit: quod cum ille, utpote Chriſtianus, detrectaret, reſponderit, eo minus detrectandum eſt; *omnia enim munda eſſe mundis, ſermo divinus edocuit.* Ergo etiam tempore quadrageſimæ indifferenter carnibus veſcebantur vel ipſi ſolitarii. 22

II. De Marcione refert THEODORETUS in hiſtoria religioſa, quod cum eum Avitus inviſeret, hicque illi prandium para-

ret, hoſpes autem ante veſperum ſumere nollet, eum tandem permoverit his verbis: „ Scimus charitatem jejunio præſtan-„ tiorem. Hoc enim divinæ legis eſt o-„ pus: jejunium vero poteſtatis noſtræ & „ arbitrii. „ Nullum ergo eſt præceptum.

Resp. ad I. Illud contigiſſe vel ante quadrageſimam; nam textus habet. *Inſtante quadrageſima*, videlicet Eccleſiaſtica, quam tamen jam præoccupaverat Spiridion, *nullius rei apparatum habens propter jejunium*: aut ſi in ipſa quadrageſima contigit, eum carnes hoſpiti defatigato ex neceſſitate apposuiſſe, cum aliud quid non haberet, ille autem refocillatione indigeret. Hoc autem caſu nec jejunium, nec abſtinentiam obligare, docent catholici omnes; neceſſitas enim non habet legem, ſaltem humanam, qualis eſt iſta jejunii.

Resp. ad II. Sermonem eſſe ibidem de jejunio, extra præceptos ab Eccleſia dies ex devotione ſuſcepto, cui utique præſtat charitas, quam etiam inculcat S. Regula noſtra, ut *propter hoſpitem frangatur jejunium* regulare, *niſi forte præcipuus fuerit ille dies jejunii*, nimirum Eccleſiaſtici, *qui non poſſit violari.* Ceterum Dallæus mala fide hic agit; non enim carnes, ſed *olera* & *legumina* fuiſſe appoſita, Theodoretus aſſerit.

Reso-

Resolutio III. Jejunium quadrageſimæ eſt Apoſtolicæ inſtitutionis. 23

Prob. I. Patres II. III. & reliquorum ſæculorum perſuaſi erant, jejunium illud ante Paſcha ab ipſis Apoſtolis fuiſſe in-*ſtitutum* : ergo revera Apoſtolicæ inſtitu-*tionis* eſt ; quoniam ex regula S. Augustini, quod ubique, quod ab omnibus, quod ſemper obſervatum eſt, & cujus non reperitur initium in aliquo concilio, vel decreto Pontificis, ab Apoſtolis traditum rectiſſime creditur. *Ant. prob.* Inter canones Apoſtolicos, quos ſaltem II. ſæculo a Patribus Apoſtolicis fuiſſe editos oſtendi in *diſſertatione de diſciplina Arcani*, & egregie tuetur Beveregius, quamquam a noſtris ſacris alienus, ſexageſimus octavus ita ſtatuit: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut hypodiaconus, aut lector, aut cantor ſanctam quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſceven non jejunaverit, deponitor, præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione privator.* Omiſſo pſeudo-Ignatio in Epiſtola 8. ad Philipp. n. 13. conſtitutiones Apoſtolicæ, medio ſæculo II. collectæ, ut citata diſſertatione oſtendi, lib. V. cap. XIII. ita ſtatuunt: „ Servandum vobis eſt jejunium quadra-„ geſimæ, continens recordationem con-„ verſationis Dominicæ & legis latæ. Ce-„ lebretur vero jejunium hoc ante jeju-

„ nium paſchæ, incipiatque a ſecunda die, „ ac deſinat in paraſceven (ſeu feriam ſextam ante Dominicam Palmarum : nam græci Sabbato & Dominico nunquam jejunabant. Præterquam in Sabbato Sancto) „ poſt quos dies finito jejunio incipite „ ſanctam Paſchæ hebdomadam (ſeu ma„ jorem, quæ Paſcha præcedit) cuncti per „ eam jejunantes cum timore & tremore. „ Hoc Majoris Hebdomadæ jejunium dicebatur *ſuperpoſitio*, & majore cum rigore, quam reliquis quadrageſimæ diebus, abſolvebatur: ut in decurſu apparebit. De diſtincto hoc jejunio ſcribit Anastasius Antiochenus apud Cotelerium in notis ad citatum locum conſtitutionum: „ quadra„ geſima finitur ad feſtum Palmarum. „ Magnam enim hebdomadem jejunamus „ propter Domini paſſionem & Pa„ ſcha, non propter quadrageſimam. „ Tertullianus Montaniſta lib. de jejuniis cap. II. de catholicis ſcribit : „ certe in „ Evangelio illos dies jejuniis determina„ tos putant, in quibus ablatus eſt ſpon„ ſus, & hos eſſe jam ſolos legitimos je„ juniorum Chriſtianorum. Itaque de ce„ tero differenter jejunandum ex arbitrio, „ non ex imperio novæ diſciplinæ, pro „ temporibus & cauſis uniuscujusque. Sic „ & Apoſtolos obſervaſſe, nullum aliud „ imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum. „ Concilium Laodicenum Can. 50. *oportet*

totam

totum quadragesimam jejunare aridis vescentes. Hieronymus ad Marcellam adv. Montanum. *Nos unam quadragesimam, secundum traditionem Conciliorum, tempore nobis congruo jejunamus.* „ Illi, (Montanistæ) „ tres in anno faciunt quadragesimas, „ *quasi* tres passi sint salvatores. Non „ quod & per totum annum, excepta Pen„ tecoste (h. e. quinquaginta diebus post „ pascha) jejunare non liceat, sed quod „ aliud sit *necessitate*, aliud voluntate mu„ nus offerre. „ Et Leo M. sermone VI. de quadragesima : *ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* De sequentium sæculorum Patribus non potest esse dubium. Porro tempore Concilii Nicæni I. universim usitatum fuit quadragesimæ jejunium. Nam Can. V. sancitur: „ Synodi autem fiant, una quidem ante „ *quadragesimam*, ut omnibus animi sor„ dibus sublatis purum munus Deo offera„ tur. Secunda autem circiter autumni „ tempus. „ Isti Concilio Episcopi ex universo propemodo orbe interent. Igitur ubique locorum tunc quadragesima jejunabatur.

Objic. contra III. Resolut. Jejunia præcepta non Apostoli instituerunt, sed Montanus, de quo scribit Apollonius apud Eusebium Historia Eccles. V. 18. *Hic est, qui jejuniorum leges imposuit. Ergo.* 24

Resp. Apollonium loqui de jejuniis Montaniſtarum, ultra quadrageſimam conſuetam ex fictitia Paracleti revelatione obtruſis.

25 Objic. II. Saltem Telesphorus Pontifex Romanus quadrageſimæ auctor fuit; ergo cum ſciatur ejus initium poſt Apoſtolos, non eſt Apoſtolicæ Inſtitutionis. *Ant. prob.* in Catalogo Rom. Pont. hæc habentur de Telesphoro. *Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomades jejunium celebretur Paſchæ*, quod repetit alius Catalogus ævo Caroli M. ſcriptus, & Anastasius Bibliothecarius in Pontificali. Chronicon Eusebii ad an. 136. ita habet: *Quadrageſimale jejunium, a Telesphoro per hoc tempus inſtitutum ac præceptum quidam ſcribunt.* Idem aſſerunt Rabanus & Rupertus Tuitienſis.

Resp. Nego *ant.* Textum illum dico fuiſſe intruſum in chronicon Euſebii; nam nec manuſcripta illum habent, nec edita per Miræum, Scaligerum, & Arnoldum Pontacum, & iſte error deinceps in catalogos irrepſit. Telesphorus ſolum inſtituit *quinquageſimam*, prout docet S. Ambrosius ſermone XXIII. de Dom. quinquageſ. „ Quadrageſima ſex ſeptimanas habet, cui „ addidit Telesphorus Pontifex ſeptimam „ hebdomadam, & vocatum eſt hoc tem- „ pus quinquageſima. „ Rhabanus & Rupertus aut decepti ſunt chronico Euſebii jam

jam tunc interpolato, aut non intellexerunt librum Pontificalem.

Objic. III. S. Augustinus expresse ait 26
Epistola LXXXVI. ad Casulanum: „ Ego
„ in Evangelicis & Apostolicis litteris,
„ *totoque* instrumento, quod appellatur
„ *testamentum* novum, animo id revol-
„ vens, video præceptum esse jejunium:
„ quibus autem diebus non oporteat je-
„ junare, & quibus oporteat, præcepto
„ Domini vel Apostolorum non invenio
„ definitum. „ Ergo juxta Augustinum quadragesima non est Apostolicæ institutionis.

II. Idem S. P. cit. epist. testatur, feriam quintam quadragesimæ Romæ non fuisse jejunatam.

III. Epist. 118. ad Januarium, variam quadragesimæ observationem suo ævo viguisse affirmat: quod indicio est, eam ab Apostolis non fuisse sancitam. „ Si ali-
„ quis peregrinus, scribit, in eo forte lo-
„ co, ubi perseverantes in observatione
„ quadragesimæ nec quinta Sabbati levant
„ relaxantque jejunium: non, inquit, ho-
„ *die* jejunabo. Quæritur causa: quia non
„ fit, inquit, in patria mea. Quid aliud
„ ille, nisi consuetudinem suam consuetu-
„ dini alterius præponere conatur. Non
„ enim mihi de libro Dei hæc recitatu-
„ rus est. &c.

IV. Epiſt. 119. ad Januarium. cap. 17. „ Ut quadraginta illi dies ante Paſcha ob„ ſerventur, Eccleſiæ *conſuetudo* robora„ vit. Sic etiam, ut octo dies Neophy„ torum diſtinguantur a ceteris, id eſt, „ ut octavus primo concinat. „ Ergo „ non Apoſtoli inſtituerunt.

Resp. ad I. *Diſt.* Non eſt definitum præcepto Domini vel Apoſtolorum, in S. Scripturam relato. *Conc.* òretenus poſteris tradito. *Nego.* Loquitur autem ibi præcipue de jejunio ſabbatino, quod ab Apoſtolis non fuiſſe præceptum, fateor: non autem de tota quadrageſima.

Resp. ad II. Non loquitur ibi S. P. de jejunio per quadrageſimam, ſed per totum annum, & dicit: quod Chriſtiani communiter ſuperent Phariſæum *bis* in ſabbato jejunantem, cum illi, Monachi præſertim & Clerici, quotidiana (exceptis dominicis) frequentent jejunia, fideles autem devoti quarta, ſexta, & ſabbato Romæ jejunarent.

Resp. ad III. Ibi agit de ſola feria V. majoris hebdomadæ, in qua jejunium ab aliquibus ſolvebatur propter cœnæ dominicæ celebrationem, & Euchariſtiæ ſumtionem, ut ex ipſo contextu intelligitur. „ Quæris enim his verbis, inquit, quid „ per quintam feriam *ultimæ hebdomadis*

„ qua-

„ quadrageſimæ] fieri debeat ; an offeren-
„ dum ſit mane , & rurſus poſt cœnam
„ propter aliud quod dictum eſt : *ſimili-*
„ *ter poſtquam cœnatum eſt* ; an jejunan-
„ dum , & poſt cœnam tantummodo of-
„ ferendum ; an etiam jejunandum , &
„ *poſt* oblationem , ſicut facere ſolemus ,
„ cœnandum. „

Resp. ad IV. S. Auguſtinus non dicit, quod Eccleſia quadrageſimam *inſtituerit* , ſed *roboraverit* , continua nimirum obſervantia , velut ab Apoſtolis traditam. 27

Objic. IV. Cassianus Collat. XXI. Cap. 30. 27. teſtatur, quadrageſimam primo tempore non fuiſſe jejunatam, ſed poſtea frigeſcente Chriſtianorum charitate per modum legalium decimarum fuiſſe inſtitutam : eoquod quadrageſima eſſet quaſi pars decima anni. Ergo non eſt Apoſtolicæ inſtitutionis.

Resp. Privata & particularis Cassiani opinio præferenda non eſt tot aliis Patribus, numero & auctoritate potioribus.

Resolutio IV. Jejunium hoc non erat præciſe quadraginta *horarum* ; ſed totidem circiter *dierum*, ſeu plurium hebdomadarum : quamvis non ubique, nec ſemper idem dierum numerus determinatus fuerit. Contra Dallæum , Binghamum , & plures Anglos. 28

Prob.

PROB. I. Ex teſtimoniis plerisque num. 23. adductis, & ex TERTULLIANO, qui Montaniſta factus plures quadrageſimas, non horarum, ſed *dierum* propugnans, catholicis exprobrat, quod unam ſolum ſervarent, licet quadraginta dierum. ORIGENES homil. 10. in Levit. „ Habemus enim „ quadrageſimæ dies jejuniis conſecratos. „

29 PROB. II. Concilium LAODICENUM ſupponit, plurium hebdomadarum fuiſſe quadrageſimam. Nam Can. XLV. ſtatuit. *Quod non oportet poſt duas quadrageſimæ hebdomadas ad baptiſmum admitti.* Et Can. L. *Quod non oportet in quadrageſimæ poſtrema ſeptimana quintæ feriæ jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam dehoneſtare, ſed oportet totam quadrageſimam jejunare aridis veſcentes.*

30 PROB. III. E Patribus quarti ſæculi. S. AMBROSIUS lib. de Noë & Arca cap. 13. „ Ut nunc jam non pœnæ præſcriptæ „ ſunt dies quadraginta, ſed vitæ: ut hoc „ numero jejuniis & orationibus crebrio- „ ribus noſtrorum levemus ſupplicia pec- „ catorum, atque ad decreta legis intenti „ devotione ac fide noſtrum corrigamus „ errorem. Itaque per Domini reſurre- „ ctionem quadrageſimus dies jam non „ habetur noviſſimus, ſed primus. „ Et lib. IV. in Lucam. „ Tot jejunio dierum „ Domini nobis in Evangelium pateſcit „ in-

„ ingreſſus. Unde ſi quis Evangelii glo„ riam, fructumque reſurrectionis optat „ adipiſci, myſtici jejunii prævaricator „ eſſe non debet: quod & in lege Moy„ ſes, & in Evangelio ſuo Chriſtus utrius„ que Teſtamenti auctoritate præſcripſit „ *fidele* virtutis eſſe certamen. „ THEOPHILUS Alexandrinus epiſt. Paſchali I. ſcribit: „ Si poterimus imminentium jejuniorum „ iter capere, incipientes quadrageſimam „ a triceſima die menſis Mechir, finien„ tesque jejunia ſecundum Evangelicas „ traditiones veſpere ſabbati, decima die „ Pharmuthi, & illuceſcente ſtatim domini„ ca feſta celebremus undecima die ejus„ dem menſis. „ Item epiſt. 2. „ Paſcha „ celebrare habentes quadrageſimæ exor„ dium ab octava die menſis, qui ſecun„ dum Ægyptios vocatur Phamenoth, & „ ipſo præbente vires, attentius jejune„ mus hebdomodæ majoris, id eſt, Pa„ ſchæ venerabilis die XIII. menſis Phar„ muthi fundamenta jacientes, ita dunta„ xat, ut juxta Evangelicas traditiones fi„ niamus jejunia intempeſta nocte die „ XVIII. ſupra dicti menſis Pharmuthi. „ Cum Ægyptiorum menſes fuerint 30. die*rum*, ſequitur, a menſis Phamenoth octava *die* excluſive, usque ad decimam octavam Pharmuthi incluſive, quadraginta dierum fuiſſe jejunium. Plura Patrum teſtimonia ſtudioſe collegit celeberrimus BEVEREGIUS in Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ

toto

toto lib. III. apud COTELERIUM Patrum Apoſtol. vol. II. ubi iſtam ſententiam adverſus DALLÆUM vindicat.

31 PROB. IV. THERAPEUTÆ, quos Patres plerique Chriſtianos exiſtimant a S. MARCO Alexandriæ inſtitutos, quadraginta dierum jejunium rigidiſſime obſervabant, ut deſcribit PHILO Judæus Alexandrinus lib. de vita contemplativa apud EUSEBIUM Hiſtor. Eccleſ. lib. II. cap. 17.

32 PROB. V. In controverſia de celebrando die Paſchæ Sæculo II. in Eccleſiis agitata, de eo etiam agebatur, quænam ſit illa dies, quæ jejunia ſolvat, & jejuniis finem imponeret, ut teſtatur EUSEBIUS. Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. 23. IRENÆI locus huc ſpectans in objectionibus exponetur, tradita ejusdem genuina lectione & ſenſu.

33 PROB. VI. Rationes inſtituendi quadrageſimam probant, eam fuiſſe totidem dierum. Nam *Prima* erat, ut fideles ſe ad Paſcha præpararent & Chriſti exemplum imitarentur. Ita S. Hieronymus in Jonam cap. III. „ Ipſe Dominus verus Jonas, „ miſſus ad prædicationem mundi jejunat „ quadraginta Dies: & hæreditatem jeju„ nii nobis derelinquens, ad eſum corpo„ ris ſui ſub hoc munere animas noſtras „ præparat. „ Eandem pene dat CHRYSOSTOMUS homil. LII. Tom. V. & homil.

XXII.

XXII. de ira Tom. I. *Secunda*, ut catechumeni ſe præpararent ad baptiſmum: atqui hoc fiebat per quadraginta dies ante Paſcha, ut diſerte teſtatur CYRILLUS Hieroſolymitanus Catech. I. & SIRICIUS Epiſt. I. ad Hymmerium cap. 2. *Tertia*, ut pœnitentes ſe ad abſolutionem in Paſcha impetrandam diſponerent. Atqui diſpoſitio illa non erat quadraginta horarum, ut ex iis, quæ de ritu pœnitentiæ veteris in tract. de pœnitentia dicta ſunt, abunde conſtat. *Ergo.*

OBJIC. I. Si quadrageſima fuiſſet ab A- 34
poſtolis inſtituta, tunc ejus obſervantia fuiſſet uniformis: ſed fuit diverſitas tam quoad numerum dierum, quam quoad qualitatem ciborum. *Ergo. Min. prob.* quoad I. partem. S. IRENÆUS Epiſt. ad Victorem apud EUSEBIUM Hiſtor. Eccleſ. V. 24. de quadrageſimæ obſervatione tractans, ſic ſcribit ex verſione VALESII: „ Quidam „ enim exiſtimant, unico Die ſibi eſſe je„ junandum: alii duobus, alii etiam pluri„ bus: Nonnulli vero quadraginta horis „ diurnis ac Nocturnis computatis diem „ ſuum metiuntur. Atque hæc in obſer„ vando jejunio varietas non noſtra pri„ *mum* ætate nata eſt, ſed longe ante „ apud Majores noſtros cœpit, qui negli„ gentius, ut veriſimile eſt, præſidentes, „ ex ſimplicitate & imperitia ortam con„ ſuetudinem poſteris tradiderunt. „

PROB.

PROB. *min.* quoad II. partem. SOCRATES Hiſtor. Eccleſ. V. 22. de quadrageſimæ obſervatione diverſa differens ſcribit: „ Qui Romæ ſunt, tres continuas heb- „ domadas ante Paſcha, exceptis Sabbato „ & Dominico die jejunant. Qui vero in „ Illyria & per univerſam Achajam, & „ qui Alexandriæ degunt, ſex ante Paſcha „ ſeptimanas jejunant, idque jejunium qua- „ drageſimæ vocant. Alii rurſus diverſum „ ab aliis morem ſecuti, ſeptima hebdo- „ mada ante Paſcha jejunium ordiuntur. . . „ Neque vero in dierum numero dunta- „ xat, verum etiam in ciborum abſtinen- „ tia diſcrepare inter ſe reperiuntur; nam „ alii quidem ab animatis penitus abſti- „ nent: alii ex animantibus piſces ſolos „ comedunt: non nulli cum piſcibus etiam „ avibus veſcuntur; ex aquis, ut eſt apud „ Moyſen, eas quoque conditas eſſe af- „ firmantes: quidam ab omni arborum „ fructu, & ab ovis abſtinent, quidam „ ſolo veſcuntur pane: alii ne hoc qui- „ dem veſcuntur. Nonnulli usque ad ho- „ ram nonam jejunantes, quovis poſthac „ ciborum genere utuntur absque diſcri- „ mine. . . Et quoniam nemo ſcriptum „ de hac re præceptum proferre poteſt, „ apparet Apoſtolos arbitrio cujusque ac „ voluntati id permiſiſſe, ut unusquisque, „ quod bonum eſt, ſua ſponte, non metu, „ ac neceſſitate perageret. „

RESP.

Resp. *Dist. maj.* Observantia fuisset uniformis, si omnes accurate disciplinam traditam voluissent observare, ut debuerunt: *Conc. maj.* Si quidam per abusum eam prætergressi sunt. Nego *maj. dist. min.* non fuit uniformis per abusum & negligentiam, ex *qua* metienda non est Ecclesiæ disciplina. *Conc.* non fuit uniformis ex ipsa permissione facta ab Apostolis. *Nego.* Ad Primam probationem, & permissa versione Valesii, dico Irenæum loqui non de tota quadragesima, sed de ultima hebdomada, in qua plerique severius jejunium *superpositionis* observabant, & aliqui uno toto die ac nocte ab omni penitus cibo abstinebant, alii duobus, alii pluribus, imo tota illa hebdomada manebant jejuni: alii in memoriam Jejunii Christi quadraginta dierum, aut horarum, quibus in sepulchro jacuit, quadraginta horas diurnas simul & nocturnas manebant prorsus jejuni. - Atvero longe verosimilior est versio altera, quam dat Beveregius, & Noster Massuetus Editor novissimus operum S. Irenæi, qui textum sic legunt cum interpunctione, ita, ut quadragesima referatur ad *dies*, non ad *horas*; quæ totam difficultatem solvit. „ Quidam enim putant, „ uno tantum die observari debere jeju„ nium, alii duobus, alii vero pluribus: „ non nulli etiam quadraginta; ita ut ho„ ras diurnas nocturnasque computantes „ diem statuant. (Inauditum est enim,

ut quadraginta horæ nocturnæ ac diurnæ computatæ diem unum constituant.) „ Et „ hæc quidem varietas non nostra primum „ ætate nata est, sed multo prius apud „ Majores nostros cœpit, qui non *accu-* „ *rate*, ut verisimile est, *retinentes* (je- „ junii formam) eam, quæ ex simplicitate „ & imperitia ortum habuit, consuetudi- „ nem fecerunt. „ Igitur juxta Irenæum accurata quadragesimæ jejunandi forma fuisset quadraginta dierum, a qua per negligentiam & imperitiam quidem discesserunt. Bevereg. lib. III. cap. 7.

Resp. ad prob. 2. Nullam fidem habendam esse Socrati, Novatianæ Sectæ addicto, & Romanæ consuetudinis ignaro. Certe falsum est, Romæ Sabbato non fuisse jejunatum in quadragesima, contra omnium scriptorum latinorum fidem. Imo ipse Socrates loc. cit. sui oblitus scribit: *Romæ singulis Sabbatis jejunant.* Si extra quadragesimam; ergo multo magis in ipsa quadragesima. Occasionem errandi Socrati præbuisse potuit Ecclesia Ravennatensis, in qua admodum laxe quadragesimam observabant nonnulli: in quem tamen abusum vehementer invehitur S. Chrysologus. Nec obstat, quod Cassiodorus Scriptor Romanus eadem suæ historiæ tripartitæ inseruerit; nam ille plura *Socratis* errata exscripsit, ut probat Natalis Alexander. Neque hoc mirum; scopus enim

ipsius

ipſius fuit, *de ſingulis dictatoribus deflorata colligere, & cum Auctoris ſui nomine in ordinem collocare.* Quod attinet ad ciborum delectum, probat ſolum quorumdam abuſum, non Eccleſiæ diſciplinam. Fuiſſe autem abuſum, probatur ex Basilio Cilice, qui in opere adverſus Joannem Scythopolitam edito eum arguit, quod cum Sanctam quadrageſimam tribus hebdomadibus concluderet, ne in iis quidem eſu volatilium abſtineret, ut refert Photius in Biblioth. Cod. CVII.

Quod objicitur ex Leonis M. ſerm. IV. 35
de quadrageſima: *Secunda & quarta & ſexta feria jejunemus, Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus*, in ſermonem illum a Sciolo fuit intruſum, nec eſt Leonis, ut teſtantur Codices Manuſcripti antiquiſſimi, in quibus illa verba abſunt, quod notavit Quesnellus operis S. Leonis editor.

Resolutio V. Ab Apoſtolis dimanare 36
videtur jejunium feriæ quartæ & ſextæ per quamvis hebdomadam, excepto intervallo a Paſcha ad Pentecoſten; & in Eccleſia quidem orientali præceptum, in occidentali non tanto cum rigore & præcepti opinione, ſed magis ex conſuetudine obſervatum: quamquam poſtea latini feriæ quartæ ſubſtituerint Sabbatum. Quatuor ſunt Recollectionis partes.

Prob. I. pars. Hebdomadalis hujus jejunii mentionem jam faciunt ſecundi, & tertii ſæculi Patres: ut Can. Apoſt. 68. & Pſeudo Ignatius n. 23. allegatus conſtit. Apoſt. lib. V. cap. 28. & lib. VII. cap. 23. Clemens Alexandrinus. lib. VII. ſtromatum de Chriſtiano loquens: „ Novit ipſe jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti inquam & ſexti. „ Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic „ veneris. „ Origenes homil. X. in Levit. „ Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolemniter jejunamus. „ E latinis Tertullianus de jejuniis cap. 14. contra nonnullos, qui omni Religioſæ ſtatorum temporum obſervationi ſeſe opponebant, abuſi illo Apoſtoli ad Gal. IV. *Dies obſervatis & menſes, & tempora & annos*, ita ex communi Eccleſiæ conſuetudine argumentatur: „ Si „ omnem in totum devotionem temporum, „ & dierum, & menſium & annorum „ eraſit Apoſtolus, cur Paſcha celebramus „ in annuo circulo in menſe primo? cur „ quinquaginta exinde diebus in omni exſultatione decurrimus? cur ſtationibus „ quartam & ſextam Sabbati dicamus, & „ jejuniis Paraſceven? „ id eſt, proprie dictam in Majore hebdomade. & cap. 13. catholicos arguens: „ Ecce enim convenio vos & præter Paſcha jejunantes, „ citra illos dies, quibus ablatus eſt ſponſus, & ſtationum ſemijejunia interponentes.

„ nentes. „ Inde duo colligo, I. jejunia iſta hebdomadalia vocata fuiſſe *ſtationes*. II. Fuiſſe diſtincta a quadrageſimali quoad modum in eo præcipue; quod illud non niſi poſt veſperam, id eſt ſolis occaſum ſolveretur: hoc autem poſt nonam, *id eſt*, noſtram tertiam pomeridianam. Inde ulterius deducitur, ab Apoſtolis iſtas dimanare ſtationes. Nam HERMAS Paſtor, Apoſtolorum diſcipulus lib. III. ſimilitudine. V. interroganti Angelo ſub habitu Paſtoris: „ quid tam mane huc veniſti? „ Reſpondi, quoniam Domine *ſtationem* „ habeo, quid eſt, inquit, *ſtatio*? & di- „ xi, jejunium; & dixit: quid eſt illud „ jejunium? Sicut ſolebam, inquit, ſic „ *jejuno*. „

Rationem autem hujus jejunii præter 37
conſtitutiones Apoſtolicas citatas, AUGUSTINUM Epiſtol. LXXXVI. ad Caſulanum, EPIPHANIUM in expoſitione fidei, dat PETRUS Alexandrinus Can. XV. „ Non re- „ prehendet nos quiſpiam, quartam & „ paraſceven (id eſt ſextam) obſer- „ vantes, in quibus nobis jejunare ſecun- „ dum traditionem cum ratione præce- „ ptum eſt. Quartam quidem propter „ initum a Judæis conſilium de proditio- „ ne Domini: paraſceven autem, quod „ ipſe pro nobis paſſus eſt. Dominicam „ autem lætitiæ diem agimus, quod in „ ea reſurrexerit, in quo nec genua qui- „ dem flectere recipimus. „

38 Pars altera, quod in Ecclesia orientali hæ stationes fuerint præceptæ ex n. 36. constat. Tertia autem probatur I. ex Tertulliano cit. lib. cap. X. contra Catholicos, ut arbitratur Pamelius, Tertulliani Scholiastes: vel contra quosdam Montanistas, ut vult Priorius; ita scribente: „ æque stationes nostras ut indictas, quasdam vero & in serum constitutas, novitatis nomine accusant, hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum esse dicentes, & non ultra Nonam detinendum, de suo scilicet more. „ Hinc colligitur, catholicos occidentales duo excepisse adversus Montanistarum stationes: I. quod essent *indictæ* sub præcepto: quamvis ipsimet libere observarent, ut colligitur ex ejusdem cap. XIII. II. Quod non nisi ad vesperam solverent jejunium: cum Catholici post nonam solverent.

39 Prob. II. Ex S. Ambrosio serm. XXXIV. ubi ait; „ Sicut reliquo anno jejunare præmium est; ita in quadragesima non jejunare peccatum; illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria. Illa de arbitrio veniunt, ista de lege. Ad illa invitamur, ad ista compellimur. „ Ergo Ambrosii tempore sola quadragesima erat præcepta in occidente: cetera jejunia arbitraria, quamvis in consuetudine. Paria scribit Cædarius Arelatensis serm. II. existimo tamen utrumque intelligendum esse

de

de jejunio proprie dicto, ſeu de unica re-
fectione, non autem de ſola abſtinentia a
carne, quæ adhuc hodie duobus per heb-
domadem diebus absque jejunio in uſu
eſt. Cum enim hujus abſtinentiæ præce-
ptæ *nullum* reperiatur initium in aliquo
Concilio aut decreto Pontificis : merito
ad Apoſtolorum traditionem refertur ex
communi regula S. AUGUSTINI.

PROB. IV. pars. Græci a ſui exordio us- 40
que adhuc omnem diem Sabbati, excepto
magno illo ſanctæ hebdomadæ, ſicut Do-
minicam feſtive celebrant, jejunio ſevere
interdicto, ut conſtat ex Can. LXV. Apoſt.
& indubiis aliis monumentis. Videtur
etiam in Romana Eccleſia ab initio eun-
dem morem obtinuiſſe, ut Sabbato non
jejunaretur, quod colligitur ex TERTUL-
LIANO contra catholicos lib. de jejun. cap.
XV. „ Duas in anno hebdomadas xero-
„ phagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet
„ Sabbatis & dominicis offerimus Deo. „
Jam ſi catholici vel in ipſa quadrageſima
Sabbato jejunaſſent, haud dubie hoc di-
ſcrimen TERTULLIANUS annotaſſet. At ve-
ro paulo poſt, ſaltem in quibusdam Ec-
cleſiis facta fuit mutatio. Nam concilium
ILLIBERITANUM Can. XXVI. ſtatuit. „ Er-
„ rorem placuit corrigi, ut omni Sab-
„ bati die jejuniorum ſuperpoſitiones ce-
„ lebremus. Et concilium AGATHENSE Can.
XII. „ Placuit, ut omnes Eccleſiæ filii,

„ exceptis diebus dominicis (in quadragesima etiam die Sabbati) Sacerdotali „ ordinatione & destrictionis comminatione „ ne jejunent. „ S. AUGUSTINUS Epist. LXXXVI. ad Casulanum observat in occidente Ecclesias quasdam, ut Romanam, jejunare Sabbato, alias, ut Mediolanensem, & non nullas Africanas, non jejunare, solo Sabbato magno excepto, & refert, cum mater ipsius Monica desuper scrupulo angeretur, se consuluisse S. AMBROSIUM, ab eoque responsum habuisse: *quando hic* (Mediolani) *sum, non jejuno Sabbato: quando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Rationem jejunii sabbatini dat INNOCENTIUS I. ad Decentium Eugubinum cap. IV. „ Si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod „ inter tristitiam atque lætitiam temporis „ istius (Paschatis) videtur inclusum. „ Nam utique constat, Apostolos biduo „ isto in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. „

41 RESOLUTIO VI. Præter dicta in usu erant jejunia quatuor temporum, in vere, seu mense primo: in æstate mense quarto. In autumno mense septimo, & hiemale mense decimo seu decembri: & in quibusdam Ecclesiis etiam alia.

PRO-

Probatur. De iſtis jejuniis diſerte loquitur S. Leo Magnus ſerm. VII., VIII. & IX. Philastrius quoque de quatuor per annum jejuniis ſcribit, in eo a Leone diſcrepans, quod loco jejunii Septembris ponat jejunium Epiphaniæ. Poſt Leonis I. tempora iſtis jejuniorum diebus ordinationes celebrari ſolebant, ut habetur in Epiſtola 9. Gelasii I. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 11. „ Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi. Sed etiam quadrageſimalis initium, ac mediana quadrageſimæ die Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas. „

42 Inſtitutio horum jejuniorum tribuitur Callisto P. R. circa an. 220. in antiquo Pontif. Rom. catalogo tempore Juſtiniani Imperatoris conſcripto, ubi ſic habetur: „ hic conſtituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini & olei, ſecundum Prophetam Zach. VIII. quarti menſis, ſeptimi, & decimi. „ Et liber Pontificalis Anastasii Bibliothecarii: *hic conſtituit jejunium ter in anno fieri* &c. non quater in anno, ut legendum putat Baronius; vernale enim jejunium in quadrageſimam incidit, nec nova inſtitutione indiget. Poſt Leonem M. horum jejuniorum paſſim meminere concilia, eaque obſervanda inculcarunt.

 Erat

43 Erat olim etiam in uſu jejunium Adventus, ut conſtat ex Canone 9. Concilii MATISCONENSIS I. ubi ſtatuitur: „ ut a feria „ S. Martini usque ad Natale Domini, „ ſecunda, quarta, ſexta Sabbati jejunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant „ ordine celebrari, in quibus diebus Canones legendos eſſe ſpeciali definitione „ ſancimus, ut nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe. „ Concilium TURONENSE II. Can. 18. Per hoc tempus omni die ad jejunium adſtringit Monachos.

44 A tempore Concilii ILLIBERITANI Can. 23. in uſu erant jejunia menſtrua, excepto menſe Julio & Auguſto ob eorundem infirmitatem. Exiſtimat vir Eruditus BINGHAMUS, ordinariis per hebdomadam diebus Mercurii & veneris fuiſſe ſuperadditam feriam ſecundam, quoniam ita ſtatuit Concil. Turonenſe II. Can. 18.

45 Sæculo V. medio MAMERTUS Epiſcopus Viennenſis in Gallia, ſub Litaniarum ſeu Rogationum nomine tribus aſcenſionem Domini præcedentibus diebus jejunia inſtituit, & litanias Majores, ut teſtatur Avitus Viennenſis, Sidonius Appollinaris libro V. Epiſt. XIV. & GREGORIUS Turonenſis hiſtor. francor. II. 34. MARTENE de antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis officiis pag. 513. quem morem amplexæ ſunt Eccleſiæ Gallicanæ, & Romæ inve-

xit

xit Leo III. Pontif. M. quamquam Græci nunquam recepiſſe videantur, teſte Leone Allatio. Quæ vero alia ab iis obſervari ſoleant jejunia, videri poteſt apud P. Antoine Theol. Moral. Tom. I. pag. 252. nov. edit. Venetæ.

Resolutio VII. Diſciplina Eccleſiæ Veteris circa jejunium in ſequentibus conſiſtebat: 46

Primo in quadrageſima toto die ab omni cibo & potu abſtinebant usque ad veſperas, ſeu noſtram horam ſextam pomeridianam. Feria autem quarta & ſexta per annum jejunium hora nona terminabatur, ut patet ex Tertulliano ſupra. n. 36. & 38. & Epiphanio, qui in expoſitione fidei cap. XXII. ſcribit: „ Quarta ſextaque feria jejunium ad horam usque nonam, „ (ſeu noſtram tertiam pomeridianam) „ protrahi, ſynaxes autem, (ſeu Chriſtianorum Conventus & Miſſas) tota „ quadrageſima poſt horam nonam ad veſperam usque celebrari. „ Pluribus id Patrum teſtimoniis probant Nat. Alexander, Schelstrate, & Binghamus. Inchoabatur autem quadrageſima alicubi a quinquageſima, quæ in Miſſali Mozarabum inſcribitur, dominica ad tollendas carnes: ab aliis dicitur Dominica *carnis-privii*: alibi a Sexageſima, alibi a Septuageſima. Scribit enim Petrus Bleſenſis: ſerm.

XIII. „ Jejunium quadrageſimale Regula„ res Cœnobitæ incipiunt a Septuageſi„ ma, Græci vero a Sexageſima, Clerici „ vero noſtri authore Telesphoro Papa a „ quinquageſima. „ Poloni quoque olim cum græcis inchoabant a ſeptuageſima. MARTENE. pag. 129.

47 Perduravit hæc diſciplina usque ad Sæculum XII. de hoc enim tempore ſcribit S. BERNARDUS ſerm. V. de quadrageſima. „ Hactenus (a feſto S. Crucis usque ad „ quadrageſimam) usque ad nonam jeju„ navimus ſoli (Religioſi, ex præſcripto „ Regulæ) nunc usque ad veſperam jeju„ nabant nobiſcum univerſi, Reges & „ Principes, Clerus & populus, nobiles „ & ignobiles, ſimul in unum dives & „ pauper. „ At vero Paulo poſt Bernardum, Sæculo XIII. ineunte, mos ille antiquus fuit immutatus, & ab hora nona usque ad veſperam refectio inchoata, ut teſtatur HUGO a S. Victore & D. THOMAS 2. 2. q. 147. art. 7. ubi de quadrageſima ſcribit: „ Ex conſuetudine Eccle„ ſiarum conveniens hora comedendi ta„ xatur circa horam nonam; „ ſeu noſtram tertiam veſpertinam, ſæculo autem XIV. refectio ſumi cœpit hora ſexta, ſeu, in meridie hora duodecima. Nunc plerumque hora undecima. Ut autem veteris diſciplinæ ſaltem extaret veſtigium, ordinavit Eccleſia, ut ordinariis jejunio-

rum

rum diebus hora Canonica Nona ante Missam, in quadragesima autem etiam vesperæ ante refectionem persolvantur.

Cum ergo veteres jejunii diebus non nisi hora tertia, aut sexta sumerent refectionem, facile patet, nullam tunc in usu fuisse cœnulam, seu *collationem*; cum antiqui constanter asserant, unam tantum refectionem sumi posse. Atvero postquam in meridie sumi incepit cœna, seu refectio, nulla quidem Ecclesiæ expressa licentia, sed hominum consuetudine vespertina accessit *collatiuncula*, quæ quidem in oriente citius obtinuit, prout Schismaticis græcis tempore Michaelis Cærularii sæculo IX. objecit Cardinalis Humbertus. 48

II. Jejunii diebus abstinebant fideles a carne & vino, & lacticiniis, plerumque solo pane & aqua vel oleribus ac leguminibus contenti, maxime autem, quando erat jejunium superpositionis, & quadragesima. Testantur id latini & græci. Tertullianus exponens, quid sit *Xerophagia*: lib. de jejun. cap. I. ait: „ Arguunt nos „ (Catholici) quod etiam Xerophagias „ observemus (scilicet per plures qua„ dragesimas) siccantes cibum ab omni „ carne, & omni jurulentia, & uvidiori„ bus quibusque pomis, ne quid vinosi„ tatis vel edamus, vel potemus. „ Et ad Catholicos cap. 13. „ Ecce enim con„ venio vos & præter Pascha jejunantes. . . 49

„ Ve-

„ Vero (hoc eſt, puro) pane & aqua „ (etiam extra quadrageſimam) victitan- „ tes. „

De quadrageſima id expreſſe ſtatuit Concilium LOADICENUM Can. 50. *Oportet totam quadrageſimam jejunare aridis veſcentes*, & THEOPHILUS Alexand. Epiſt. Paſchali III. „ Qui „ autem legum præcepta cuſtodiunt, igno- „ rant vinum in jejuniis, & carnium eſum „ repudiant. „ S. BASILIUS homil. I. de jejun. „ Carnes non edis, a vino abſti- „ nes, veſperam exſpectas, ut cibum ſu- „ mas. „ Pluribus id ex Patribus græcis & latinis fuſe demonſtrat Natalis ALEXANDER, & SCHELSTRATE, atque ex Anglis BEVEREGIUS. Duos ſolum juvat adnectere Canones: Concilii TOLETANI VIII. ſæculo VII. celebrati. Can. 9. „ Quisquis „ diebus quadrageſimæ ſine inevitabili ne- „ ceſſitate atque fragilitate, vel etiam im- „ poſſibilitate ætatis, eſum carnium præ- „ ſumpſerit attentare, non ſolum reus „ erit reſurrectionis Dominicæ, verum „ etiam alienus ab ejusdem diei ſanctæ „ communione: & hoc cumuletur ad pœ- „ nam, ut ipſius anni tempore ab omni „ carnium eſu abſtineat gulam, quia ſa- „ cris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſci- „ plinam. Illi vero quos aut ætas incur- „ vat, aut languor extenuat, aut ne- „ ceſſitas arctat, non ante prohibita vio- „ lare præſumant, quam a Sacerdote per-

„ miſſum

„ miſſum percipiant. „ Concilii Trullani Can. 56. qui præcipit tota quadrageſima abſtinere ab omni eo, quod mactatur, itemque ab ovis & caſeo: qui ſecus fecerint, Clerici deponantur, Laici ſegregentur. Et quidem quod attinet abſtinentiam a lacticiniis, ea etiam adhuc hodie extra Germaniam religioſe cuſtoditur.

III. Per leges imperiales in quadrageſi- 50
ma interdictæ erant pœnæ corporales. IV. Religioſi conventus & ſermones ſingulis diebus quadrageſimæ habiti, ut vel ex uno Chrysostomo patet. V. Frequenter accedebant fideles ad S. Communionem, maxime Sabbatis & Dominicis. VI. Spectacula & ludi publici erant interdicti. Leg. 5. Cod. Theodoſ. de ſpectaculis. Gregorius Naz. orat. LXI. Chrysostomus homil. 6. & 7. in Geneſ. VII. Interdicta quoque erat celebratio feſtivitatum, natalitiorum, nuptiarum, cum eſſent dies lætitiæ. vid Can. 50. & 52. Concilii Laodiceni. VIII. Magna ſeu ſancta Hebdomas ſevere admodum obſervabatur. vid. Chryſoſtomus hom. in Pſ. 145. ſeu in Hebdomade Magna. Hinc jejunia latinis dicta *ſuperpoſitiones*, eoquod ad communem jejunandi morem aliquid auſteritatis ſuperadderent. De ea ſic ſcribit Epiphanius expoſitione fidei cap. 22. „ Sex illos pa„ ſchatis dies in Xerophagia, hoc eſt, „ arido victu tranſigere populus Roma„ nus

„ nus omnis adſuevit, hoc eſt panem dun„ taxat cum ſale & aqua ſub veſperam „ adhibere. Immo vero non nulli ad bi„ duum, vel triduum, vel quatriduum „ usque jejunium prorogant, alii to„ tam Hebdomadam usque ad ſequentis „ Dominicæ Gallicinium ſine cibo trans„ mittunt. „ Utebantur quoque majore erga pauperes liberalitate: Multi ſervos libertate donabant, aut ſaltem permittebant feriari. vid. conſtit. Apoſt. V. 18. & VIII. 33. Generalis dimiſſio ab Imperatoribus indulgebatur captivis, debitoribus æque, ac graviorum criminum reis, Leg. 3. & 4. Cod. Theodoſ. de indulgen. crim. S. Ambroſius Epiſt. 33. Actiones quoque forenſes, tam civiles, quam criminales ceſſare juſſæ ſunt. Leg. 2. Cod. Theod. de feriis. Quæ ſingula fuſius deducit Joſephus Bingham eruditus Anglus Orig. Eccl. lib. XXI. cap. I. §. 16. ſeqq.

51 Resolutio VIII. Diſciplina Eccleſiæ Modernæ circa jejunia in ſequentibus conſiſtit.

Primo, in abſtinentia a carnibus, & ab ovis quoque ac lacticiniis, (ſaltem extra Germaniam, ubi illa conſuetudo viget) quam obligare declaravit Alexander VII. damnans anno 1666. prop. XXXII. Cum autem nunc ſæpe contingat, ut ex variis cauſis fiant diſpenſationes in quadrageſima

ma circa abstinentiam a carnibus, vel generales pro tota provincia, aut Diœcesi: vel particulares respectu certarum personarum, imo etiam personales pro toto anno, & laxiores quidam probabilistæ docuissent, dispensatum ab abstinentia carnis, *eo ipso* etiam esse dispensatum a lege *jejunii*, quod sine hac abstinentia servari non posset, declaravit Clemens XI, ac postea Benedictus XIV. anno 1741. Epist. ad omnes catholicos Episcopos, eos, quibus carnibus vesci concessum fuerit, sub gravi obligari ad abstinentiam ab altera refectione, & a piscibus. Idem repetiit anno 1742. Epist. ad Archiep. Valentiæ. Tandem anno 1744. Epist. ad Archiep. Compostellæ ad varia quæsita respondit. 1. Dispensatos, ad geminam mox dictam conditionem sub gravi obligari, nec aliter posse dispensare Episcopos. 2. Non licere iis ad vesperam uti carnibus, quamvis sumerent ea quantitate, quæ alias jejunantibus permittitur in cibis esurialibus. 3. Easdem conditiones servandas esse diebus Dominicis in quadragesima, & diebus jejuniorum extra quadragesimam.

II. In abstinentia a pluribus refectioni- 52
bus. Finis enim jejunii est maceratio moderata corporis, & concupiscentiæ coercitio. Hinc qui extra tempus refectionis nutritivum, quamvis modicum quid, sæpius sumit, ita ut notabilem quantitatem

in fine comederit, frangit jejunium. Contrariam enim propoſitionem 29. damnavit ALEXANDER VII. Aliud dicendum de potu non nutritivo, quem Eccleſia nunquam prohibuiſſe ſcitur, & conſuetudo ſaltem immemorialis virorum etiam timoratorum probat. Si quis una die jejunii ſæpius plenam refectionem ſumet, multorum ſententia peccat toties, quoties ſumit; eoquod præceptum de una refectione ſit negativum, prohibens alteram, & tertiam, verbo, plures refectiones, & unam ſolum permittat: & quia tertia non minus, quam ſecunda, eſt contra finem præcepti jejunii, nempe caſtigationem corporis.

53 III. In certa refectionis hora, quæ nunc ex conſuetudine eſt meridies, ſeu XI. Porro hanc horam etiam obſervandam eſſe diſpenſatis ab abſtinentia carnium, declaravit BENEDICTUS XIV. cit. Epiſt. ad Archiep. Compoſtell. Attamen juxta communem ſenſum ex rationabili cauſa licita eſt permutatio temporis, ita ut collatiuncula ſumatur meridie, & plena refectio ad veſperam. Notabilis autem anticipatio, absque juſta cauſa, videtur eſſe graviter peccaminoſa; quia ita ſentiebant veteres, quando hora refectionis erat determinata ad veſperam, ut patet ex Cap. *ſolent* de conſecrat. diſt. 1. & D. THOMA in 4. diſt. 15. q. 3. a. 4. qq. 3.

Je-

Jejunium autem etiam nunc *per ſe* loquendo obligat ſub mortali, etiamſi non fiat ex contemptu; contrarium enim damnavit ALEXANDER VII. prop. XXIII. Obligat etiam *per ſe* omnes fideles adultos, rationis compotes, niſi quos ſpecialis ratio excuſat. Ratio generaliter excuſans eſt grave incommodum, non quod quisque ſibi fingit; nam caro facile ſibi fingit laborem in præcepto: ſed quod ita æſtimaverit vir prudens & timoratus. 54

Ratione ætatis communiter ab auctoribus excuſantur I. adoleſcentes ante annum 21. completum, quod eo usque communiter creſcere ſoleant, & majore indigeant nutrimento. Quod ſi iſtum annum in ipſa quadrageſima compleant, obligabuntur ab illo die. Excuſantur a probabiliſtis communiter etiam ſenes ſexagenarii. Mihi videtur probabilius, pro neutris certum eſſe tempus determinatum, ſed obligari etiam ante vigeſimum primum, & poſt ſexageſimum annum, quando ſufficientes adſunt vires tolerando jejunio, maxime ſi alias recreationis aut comoditatis cauſa gravioribus ſe laboribus exercere ſolent. Qui enim inter venandum v. g. ſæpius jejunare ſolent, cur excuſentur diebus ab Eccleſia præceptis. Certe finis jejunii etiam pro iis facit. 55

56 II. Excuſantur ratione infirmitatis, juxta conſilium & judicium prudentis & timorati Medici, qui non pro auro conſcientiam vendit.

III. Ratione neceſſitatis Prægnantes & Nutrices.

IV. Ratione laboris operarii, qui gravi labore manuum & corpus multum defatigante victum quærunt. Hinc non excuſantur artifices, quorum labor gravis non eſt; damnata eſt enim ab Alexandro VII. prop. 30. quæ aſſeruit: *omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

V. Laborioſum iter pedibus conficientes, non vero equites ob damnatam ab Alexandro VII. prop. 31.

57 Univerſim autem obſervandum, ei, qui dubitat de ſufficientia cauſæ excuſantis a jejunio, petendam eſſe diſpenſationem, aut judicium Parochi, vel Superioris Eccleſiaſtici, qui non quidem diſpenſare, ſed declarare poterit, an illo caſu lex jejunii obliget, ut colligitur ex Concilio Toletano VIII. Can. 9. ſupra num. 49. allegato. Si occaſio non ſit conſulendi, nemo ſibi facile fidat, ſed tutiora ſequatur, aut

aut ſaltem probabiliora; nam in hoc dubio lex eſt in poſſeſſione, libertas dubia. Cetera apud Moraliſtas legi poſſunt.

§. IV.

De fortitudine, virtutibus annexis & vitiis oppoſitis.

FORTITUDO eſt virtus Moralis, inclinans 58
voluntatem ad labores & ipſa mortis pericula, ſi quando pro veritate & juſtitia opus eſt, conſtanter & ſuſcipienda, & perferenda. Itaque coercet timorem, & moderatur audaciam inſtantibus periculis, conſiſtitque in duobus: 1. Agendo, ſeu arcendo, & prudenter ac generoſe aggrediendo eos, qui bonum impugnant: 2. In patiendo, ſeu ſuſtinendo incommoda quævis pro juſtitia. Vera fortitudo Chriſtianis propria eſt, dum terroribus nullis, nullis blandimentis, nullis incommodis a lege Dei divelli ſe patiuntur. In paganis Philoſophis & Heroibus vix fuit vera fortitudo, propter pravum finem, aut philautiam: eminuit vero in ſanctis Martyribus, qui ardua quæque aggreſſi & perpeſſi ſunt pro veritate. Commoda hic foret occaſio inquirendi, an ullo caſu liceat ob imminens mortis periculum fidem chriſtianam negare, aut diſſimulare, verbo vel facto? item an liceat in perſecutione fugere, quod negabat TERTULLIANUS cum

Montanistis, qui & errorem hunc singulari libro *de fuga in persecutione* tueri conatus est. At quoniam de eo jam egi Tom. VII. P. II. de virtutibus Theologicis: Num 69. seq. hic supersedeo.

59 Neque vero solum pro dogmatibus credendis, sed etiam pro agendis, seu exercendis virtutibus, opus est christiana fortitudine, danturque tot Martyrii occasiones, quot virtutes sunt exercendæ; *Beati* enim sunt ex Christi effato, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, prout est virtus generalis, seu virtutum omnium complexus. Persecutiones autem Christianis imminent ab illecebris carnis blandientis, quæ vincendæ: a terroribus & vanitatibus mundi seducentis, quæ contemnendæ: a laqueis & telis diaboli insidiantis, qui declinandi, & repellendi sunt Christiana *virtute*, quæ *in infirmitate perficitur*, si humili & constanti prece a Deo petitur, a quo speranda omnis victoria, & victoriæ præmium.

60 Opponitur fortitudini excessus & defectus timoris: item excessus & defectus audaciæ. I. Excessus timoris, seu *Timiditas*, est timor inordinatus, seu fuga illius, quod, ubi, & quando non oportebat fugere. De hoc ait Psalmista, *timuerunt timore, ubi non erat timor.* II. Defectus timoris seu *stupiditas* animi, dum non

non timetur ac cavetur, quod, ubi & quando rationabiliter ac prudenter formidari, ac declinari deberet. III. Excessus audaciæ est *temeritas* in agendo, seu aggrediendo, quod, ubi, & quando non oportet. IV. Defectus audaciæ est *ignavia*, dum non agitur id, quod, ubi & quando oportet juxta regulas rectæ rationis.

Virtutes connexæ sunt I. *Magnanimitas*, 61
quæ consistit in generoso contemtu rerum caducarum, utut splendide apparentium, & Heroico animo aggrediendi ardua. Opponitur ei per excessum 1. *præsumptio*, seu, inordinata cupiditas aliquid exequendi ultra suas vires. 2. *Ambitio*, quæ est inordinata cupiditas honoris, dignitatis, vel potentiæ. 3. *Vana gloria*, quæ est inordinata cupiditas humanæ existimationis, ac laudis, aut de ea non quæsita inordinata delectatio, cum soli Deo sit honor & gloria tribuenda, a quo habemus, quidquid habemus. Per defectum opponitur *Pusillanimitas*, quæ est inordinata abjectio animi, ut nec id agat, quod ipsius viribus cum gratia est proportionatum. Oritur non raro ex diffidentia divini auxilii, & inordinata consideratione solius virtutis naturalis.

II. *Magnificentia*, seu, virtus magnorum 62
operum effectiva, præcipue quæ spectant

 ad

ad honorem Dei, & magnos exigunt ſumtus. Oppoſitum vitium vocant *parviſicentiam*, quæ eſt potius privatio virtutis hujus.

63 III. Cum fortitudo non ſolum conſiſtat in agendo, quod ſpectant Magnanimitas & Magnificentia, ſed etiam in patiendo, hinc connexa eſt *Patientia*, ſeu temperantia mœroris, & mali præſentis æquo animo tolerantia. Eſt virtus Chriſtianis maxime neceſſaria: hæc enim *Jacobo* Apoſtolo teſte cap. 1. *opus perfectum habet.* Opponitur impatientia & ſenſibilitas.

64 IV. Perſeverantia, ſeu *conſtantia* in opere incepto perficiendo, & adverſis ad finem perferendis. Opponitur per exceſſum *pertinacia*, dum proprio judicio & propoſito ita quis inhæret, ut ab eo non ceſſet, quando prudentia ob circumſtantias dictat. Per defectum *inconſtantia*, dum ſine juſta cauſa a bono inchoato ceſſatur. Plura de his videri poſſunt in Divo THOMA.

CAPUT II.

De juſtitia & virtutibus Annexis.

Agendum hic I. de juſtitiæ eſſentia & perfectione. II. De ſubjecto juſtitiæ. III. De virtutibus eidem annexis.

§. I.

De Eſſentia & diviſione juſtitiæ.

Non eſt hic ſermo de *juſtitia generali*, 65
quatenus eſt complexus virtutum omnium, quæ hominem denominant *juſtum*: neque pro bonitate actionis, quemadmodum dicitur de ſanctis: *operati ſunt juſtitiam*: ſed magis particulariter pro virtute morali, quæ inclinat alterum ad reddendum debitum ſuum, quodcunque illud fuerit: de qua loquitur Apoſtolus Rom. XIII. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Atque ita ſub ſe complectitur virtutes omnes, quæ reſpiciunt *alterum*, in ordine ad reddendum ipſi quoddam debitum. Magis autem ſpecifice definitur ab Ulpiano, quod ſit *conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum unicuique tribuendi*: ſeu, eſt virtus moralis, firmumque animi pro-

poſitum, reddendi ſemper alteri jus ſuum ad æqualitatem. *Primum* habet locum generis; eſt enim omni virtuti commune, ut in firmo animi propoſito conſiſtat. Cetera eam ab omni alia diſtinguunt; quia vel non ſunt ad alterum, ſed ad ſe ipſum. v. g. temperantia &c. vel non poſſunt alteri reddere æquum, ut Religio & pietas; cum neque Deo, neque parentibus reddi poſſit æqualiter, quod ipſis debetur: vel habent objectum diſtinctum, ut virtutes Theologicæ, quæ pro objecto habent immediate Deum: juſtitia vero jus alterius. Per το *jus ſuum*, intelligitur debitum legale, ſeu ſtricte tale & rigoroſum, quod alter habet, propter illam facultatem, qua poteſt de re ſua in proprium commodum diſponere, nec ſine injuria lædi poteſt, & læſo reſtitutio fieri debet. Additur, *ad æqualitatem*, nempe inter datum & acceptum, quæ conſiſtit in commenſuratione rei reddendæ cum jure alterius, qui v. g. centum debet, reddat centum, ſaltem æquivalenter. Ubi tamen vox *æqualitas* non debet ſumi grammaticaliter, quaſi ſemper eſſet reddenda res diſtincta ab alterius jure; ſed Moraliter. Hinc fur eundem equum raptum reſtituens, ad æqualitatem reddit.

66 Facile ex his colligitur: I. Juſtitiam eſſe *virtutem*, utpote cum ſit habitus rectæ rationi conſentaneus, hominemque effi-

ciens

ciens bonum. II. Quod ſit *Moralis*, eoquod pro objecto habeat non immediate ipſum Deum, ſed jus alterius. III. Quod ſit *ſpecialis*; cum habeat objectum formale diſtinctum, quæ eſt honeſtas in reddendo alteri debito rigoroſo ad æqualitatem, quod nulli alteri virtuti competit, ut dictum eſt num. præced.

Dividitur communiter in *legalem*, *commutativam*, & *diſtributivam*; nam triplex 67
eſt ordo, in quo ſtatuitur æqualitas. 1. Ordo partium ad totum, qui fundat juſtitiam legalem: 2. ordo partis ad partem, qui commutativam: & 3. ordo totius ad partes, qui diſtributivam efficit.

Juſtitia itaque *legalis*, eſt firmum propoſitum privati, tribuendi communitati, vel ejus Principi, quod vi juris alti eidem competit. Pro objecto habet bonum communitatis: hinc etiam *legalis* dicitur; quia ordinatur ad bonum commune multitudinis, ſicut lex, & ad omnia ſe extendit, quæ pro bono communi legibus ſtatuta ſunt. Hæc duplex eſt, una *Nomothetica*, ſeu imperans, quæ eſt in Principe, dirigens actus civium ad bonum commune. Altera *miniſterialis*, ſeu exequens, quæ eſt in membris ſeu civibus, prout ea exequuntur, quæ ad bonum communitatis pertinent.

Liti-

68 Litigant, an ſit virtus quædam ſpecialis, & proprie dicta juſtitia? *Primum* affirmat D. THOMAS; habet enim objectum formale ſpeciale, nempe ordinem partium ad totum, & habet ſpecialem difficultatem; cum aliud ſit, eſſe bonum *hominem*, & aliud, bonum *civem*: eſtque iſta difficultas ſpecialis tam in Principe, quam in civibus, quoad procurandum bonum commune: quoad *alterum*, videtur etiam affirmandum; verſatur enim circa debitum rigoroſum, quod habet communitas, ſeu Princeps, ad exigenda a ſubditis, quæ bono communitatis ſunt neceſſaria, & in his eſt obligatio ea præſtandi.

69 Nec obſtat I. quod non ſit perfecte ad alterum, quod tamen ad juſtitiam proprie talem requiritur; cum pars non diſtinguatur adæquate a toto cujus eſt pars. Nam vere diſtinguitur in æſtimatione *morali*: ſecus pars non poſſet eſſe ſubdita communitati, quam ipſa cum aliis conſtituit; cum nemo ſit ſui ipſius ſubditus. habetur enim hic diverſus reſpectus, ſeu ordo, qui ſufficit ad diverſitatem juſtitiæ, & habetur quoque debitum diſtinctum.

70 Nec obſtat II. quod non habeat pro objecto debitum ſtricte ſumtum, cujus transgreſſio ad reſtitutionem obligaret. v. g. privatus, qui non prohibuit incendium, vel aliud reipublicæ damnum, cum po-

poterat, ad reſtitutionem non tenetur, etiamſi graviter peccet.

Reſpondeo enim. *Diſting.* non tenetur ad reſtitutionem faciendam comparti. *Conc.* nam contra hunc ſolum peccavit defectu *charitatis.* Non tenetur ad faciendam communitati. *Nego.* læditur enim ejus jus, minuuntur præſtationes communitati fieri debitæ: per deſtructionem partis accreſcunt onera compartibus, propter novam ſuſtentationem partis deſtructæ, quæ antea ſine illarum incommodo, & etiam cum commodo earum ſuſtentabat: debet obligatio eſſe reciproca. Sicut ergo communitas, ſeu Princeps, graviter lædens & negligens bonum ſubditorum ad reſtitutionem tenetur, ita & ſubditus lædens bonum communitatis.

Juſtitia Commutativa eſt virtus incli- 71
nans ad reddendum ex æquo debitum rigoroſum compartibus in jure *in re*, vel *ad rem* fundatum, v. g. ex dominio, contractu, pacto, aut alio titulo particulari ortum. Spectat præcipue æqualitatem rei ad rem, ſeu proportionem *arithmeticam.* Juſtitia Distributiva, eſt virtus, inclinans communitatem vel ſuperiorem ad ſervandam proportionem in diſtribuendis officiis, muneribus, & bonis communibus juxta conditionem & merita perſonarum: onera vero communia partiendi juxta cujusque

jusque facultates & vires. Hæc non ſervat æqualitatem rei ad rem, ſed porportionem *geometricam* rei ad perſonarum merita, dignitatem & vires. Eſt autem proportio *arithmetica*, vera æqualitas rei ad rem, v. g. dati ad acceptum, mercedis ad laborem, rei reſtitutæ ad ſublatam, vel compenſationis ad damnum illatum: ut qui centum debet, centum ſolvat, absque ullo reſpectu ad qualitatem perſonæ. Proportio vero *geometrica* verſatur in eo, ut tribuatur ſingulis, quod eis debetur, cum aliqua tamen inæqualitate, ratione inæqualium meritorum, dignitatis &c. ut dum dignus e. g. ut duo recipit ſex, digno ut quatuor debeantur duodecim: aut ſi habens 10. millia ſentiat onus centum florenorum, habens quinque millia ſentire tantum debeat onus quinquaginta florenorum. Et ita de aliis. Verbo: Juſtitia *commutativa* confert rem cum re: *diſtributiva* conditionem unius perſonæ cum conditione alterius perſonæ, in diſtribuendis bonis & oneribus communibus.

72 Tam diſtributiva quam commutativa dividitur in *remuneratoriam*, quæ pro meritis reddit præmia, & *vindicativam*, quæ pro delictis irrogat pœnas. Tunc enim diſtributiva eſt remuneratoria, quando ſecundum proportionem meritorum, præſtitorum communitati beneficiorum &c. diſpenſantur officia & præmia juxta proportio-

portionem geometricam jam dictam. Tunc autem eadem eſt vindicativa, quando nocentes præſcriptis a lege puniuntur ſuppliciis, habita tamen ratione, ſeu reſpectu perſonarum: v. g. quando idem delictum punitur in Nobili & plebejo, ſed tamen *inæqualiter*: v. g. in illo mulcta *pecuniaria*, in hoc pœna corporali. Tunc autem juſtitia commutativa eſt remuneratoria, quando præmia diſtribuuntur æqualiter juxta proportionem meritorum, nulla habita ratione perſonarum: & tunc eadem eſt vindicativa, quando eidem delicto diſparis conditionis perſonæ æqualis infligitur pœna. Sæpe contingit, ut in diſtribuendis officiis, aut partiendis oneribus impingant in juſtitiam commutativam Principes, eorumque officiales, & ad reſtitutionem teneantur communitati, dum indignis conferunt publica munera, quibus male adminiſtratis læditur reſpublica, aut onera diſtribuuntur inæqualiter, ut nulla ſervata proportione nimium premantur aliqui, maxime pauperes, dum minus oneris ſentiunt potentiores.

§. II.

De ſubjecto Juſtitiæ.

Non hic agitur de ſubjecto juſtitiæ immediato ſeu *proximo*, quod eſt volun- 73
tas, ſed de *remoto*, ſeu I. an detur juſti-

tia

tia proprie talis inter Patrem & Filium, maritum & uxorem : II. inter Deum & creaturam. Quia vero parum utilitatis habent istæ quæstiones, paucis expediam.

74 RESOLUTIO I. Inter Patrem & filium etiam *qua tales* datur justitia proprie dicta.

PROB. Ubi datur injustitia, etiam datur justitia proprie talis; atqui inter Patrem & filium dari potest injustitia: ergo &c. minor. *prob.* potest filius *qua talis* lædere jus Patri debitum, & vicissim. v. g. mutilando, occidendo, in necessitate non sustentando: quo quidem casu non solum peccat contra pietatem, sed etiam contra justitiam; quia filius *qua talis* habet specialem obligationem sustentandi eum, & conservandi vitam, a quo vitam ipse habet. Id etiam dicendum de Patre, qui ut Principium vitæ filii habet specialem obligationem eam suo filio conservandi.

75 Idem a fortiori dicendum de uxore & Marito; quoniam utrinque lædi potest contractus conjugalis, contra justitiam commutativam. Idem quoque de Dominis & servis, saltem nostris Europæis; quia verum in res suas habent Dominium. Idem de Religioso & Monasterio; nam & hoc & ille habent sua jura reciproca, & distincta

ſtincta, v. g. Religioſus habet jus ad ſuſtentationem congruam, ad famam, ad vitam, in quibus citra injuriam lædi nequit.

Objic. I. Ibi non datur juſtitia commutativa, ubi non datur obligatio, orta ex contractu libero dantis & accipientis: ſed inter *Patrem* & filium *qua tales* non datur iſta obligatio; quia omnes obligationes, quas habent invicem, oriuntur ex lege naturæ. 76

II. Si filius teneretur ex juſtitia commutativa ſuccurrere Patri in gravi neceſſitate conſtituto, tunc in transgreſſione hujus obligationis teneretur ad reſtitutionem: ſed hoc non poteſt dici; quia nullus Theologorum agnoſcit hanc obligationem. *Ergo* &c. Major *prob.* violatio juſtitiæ commutativæ ſemper parit obligationem reſtitutionis.

Resp. ad I. Nego *maj.* cujus falſitas eſt evidens in Principiis Clar. D. Amorti, hic adverſarii. Docet enim, quolibet peccato fieri Deo injuriam, & ejus lædi juſtitiam commutativam non obſervando præcepta. Atqui ad ſervanda præcepta decalogi obligatur homo non ex libero contractu, ſed ex lege naturæ. Porro quod obligatio naturalis fundet juſtitiam commutativam, evidens eſt. Sic fur citra prævium contractum *liberum* tenetur ad reſtitutio-

nem: peccat contra justitiam commutativam, qui alteri vitam, aut famam injuste aufert.

Resp. ad II. *Conc. maj.* Nego *min.* ut enim se habet quisque respectu proximi in extrema necessitate, ita se habet filius respectu Patris in necessitate gravi: atqui in priore casu peccatur contra justitiam commutativam, si non succurratur; quia tunc fiunt omnia communia, & indigens injuste impeditur ab ea re, quæ fit primo occupantis. Ergo etiam in altero casu bona filii fiunt communia Patris. Ideo Patres sæpe invehuntur in divites, qui in necessitate extrema non succurrunt egenis: *Si non pavisti, occidisti.* Hinc inter causas, cur possit Pater exhæredare filium, cum tamen hæreditas eidem alias omni jure deberetur, etiam numeratur 1. Si filius Parentes ab hoste captos, cum potuerit, non redemerit. 2. Si carcere clausum non liberaverit. 3. Si Patris furiosi curam non habuerit. Vicissim filius exhæredare Patrem potest, si hic filium dementem negligat, & captivum non redimat: quæ omnia gravem insinuant necessitatem. Cum ergo sine justa causa neuter alterum exhæredare queat, possit autem in prædictis casibus necessitatem gravem denotantibus, sequitur, contra justitiam commutativam peccare filium, non succurrendo parenti in gravi necessitate constituto.

Reso-

RESOLUTIO II. In homine reſpectu Dei 77
datur juſtitia proprie dicta, ſeu commutativa, ſaltem præſcindendo ab authoritate D. THOMÆ.

PROB. I. In illo poteſt eſſe juſtitia, in *quo* datur injuſtitia proprie talis. Atqui hæc datur in homine reſpectu Dei: *Ergo.* minor *prob.* Qui rem Deo debitam ſubtrahit, eſt Deo injuſtus: atqui homo peccans rem Deo debitam, nempe ſe ipſum, Deo ſubtrahit, ſubjicitque ſe dominio dæmonis: *Ergo.* Ita diſcurrit S. AUGUSTINUS lib. IX. de civit. Dei. cap. XXI. „ An „ qui fundum aufert ejus, a quo emtus „ eſt, & tradit ei, qui nihil habet in eo „ juris, injuſtus eſt: & qui ſe ipſum „ aufert dominanti Deo, a quo factus „ eſt, & malignis ſervit ſpiritibus, *juſtus* „ *eſt*? „ Nempe ut ait *Paulus*, non ſumus noſtri, ſed *emti ſumus pretio magno.* Hinc peccatum in S. Scriptura vocatur *injuſtitia*, *iniquitas.*

PROB. II. Inter Deum & hominem in- 78
tercedere poteſt contractus innominatus, *facio*, ut *facias*: v. g. vovet homo peregrinationem ut liberetur ab infirmitate. Atqui ex contractu oritur juſtitia commutativa; hinc liberatus ex voto vere injuſtus erit, ſi peregrinationem non perſolvat. *Ergo.*

79 PROB. III. Homo multis modis Dei jus violare poteſt, v. g. detrahendo ejus ſanctitati, dicendo, eſſe injuſtum, crudelem. Ergo poteſt eſſe injuſtus. Quodſi jus non violet, aut violatum pro poſſibili reſtituat, vere juſtus erit.

80 OBJIC. I. Ubi non datur æqualitas inter datum & acceptum, ibi non datur juſtitia commutativa. Atqui homo non poteſt Deo reddere ad æqualitatem pro acceptis. *Ergo* &c. minor *prob.* homo nunquam poteſt Deo tribuere, quantum debet. *Ergo.*

II. Juſtitia commutativa eſt inter æquales, ut obſervat D. THOMAS. 1. 2. q. 114. a. 1. ⊙ Atqui inter Deum & hominem eſt maxima inæqualitas. *Ergo.*

III. Ex prima probatione ſequitur, quod omne peccatum eſſet actus injuſtitiæ, & ſic quodlibet in duplici ſpecie, exprimenda in confeſſione: atqui hoc eſt contra communem. *Ergo.*

IV. Sequeretur etiam, quod homo quolibet peccato lædens Dei jus ſtrictum, deberet de condigno ſatisfacere, & ſtatim per pœnitentiam Deo reſtituere: atqui primum eſt impoſſibile: alterum nimis rigidum. *Ergo.*

RESP.

Resp. ad I. *Dist.* Ubi non datur æqualitas rei ad rem, nec *absoluta*, seu antecedens: nec *hypothetica*, seu consequens, ibi non datur justitia commutativa. *Conc.* ubi datur saltem consequens &c. *Nego.* Equidem valor operum nostrorum intrinsecus, præscindendo a Dei promissione, gratia sanctificante, ac meritis Christi, per quæ significantur, non habent æqualitatem cum præmio seu vita æterna: istis autem propositis, quod Deus homini conferat gratiam, adoptet in filium, ejusque operibus promittere dignetur æternam mercedem, vere habent aliquam condignitatem, seu valorem, & ut ita dicam, pretium æstimationis. De quo pluribus dixi in dissertatione *de merito vitæ æternæ* contra Kieslingium.

Resp. ad II. *Dist.* Justitia est inter æquales, inter æquales omni modo. *Neg.* aliquo modo. *Conc.* nam etiam inter Principem & subditum locum habet justitia commutativa. Est etiam quædam æqualitas personarum inter Deum & justum; cum hic per gratiam sanctificantem consors fiat naturæ divinæ, & vere filius Dei nominetur, ac sit.

Resp. ad III. *Dist. maj.* esset in duplici specie, *generica. Conc. infima*, nego, & retorqueo. Quodlibet peccatum habet simul imbibitam inobedientiam, irreligiosita-

 tem,

tem, impietatem, ingratitudinem, quæ tamen exprimi non debent in confeſſione, quia non ſunt ſemper ſpecies *infimæ* in quolibet peccato.

Resp. ad IV. *Diſt.* Deberet ſatisfacere de condigno, modo poſſibili. *Conc.* omnimodo condigne, quod homini puro repugnat. *Neg.* ſæpe etiam in humanis contingit, ut homo non poſſit homini ſatisfacere & reſtituere de condigno: & tamen tenetur ad id, quod poteſt. Alteram ſequelam *concedo.* Vide dicta de virtute pœnitentiæ Tom. XI. n. 29.

81 Resolutio III. Etiam in Deo reſpectu hominis datur juſtitia commutativa: præſcindendo iterum a D. Thoma, quem Adverſarii pro ſe ſtare exiſtimant.

Prob. I. Deus in ſacra ſcriptura dicitur *juſtus* in remunerando & puniendo: atqui juſtitia tam præmiativa, quam vindicativa reducitur ad commutativam, quando diſtributio fit ſine reſpectu perſonarum, qui apud Deum exulat. ex num. 72. *Ergo.* major. *prob.* Paulus II. Timoth. IV. ait: *Repoſita eſt mihi corona* Justitiæ, *quam reddet mihi* Justus *judex.* In quem locum commentatur D. Thomas: „ corona juſtitiæ dicitur, quam Deus ex ſua juſtitia reddet. „ Et Heb. VI. *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.*

Prob.

PROB. II. Ubi datur contractus innominatus, datur justitia commutativa: atqui in Deo cum homine datur talis contractus. *Ergo.* minor *prob.* Matth. XX. docet Christus sub parabola Patrisfamilias, veram inter Deum & hominem iniri conventionem, ut laborantibus in vinea tribuatur denarius. 82

PROB. III. Ubi datur merces proprie talis, ibi datur justitia commutativa: atqui hæc datur inter Deum & hominem. *Ergo.* Major *prob.* Rom. IV. *Ei autem qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum. Prob.* etiam *min.* ex Concil. ARAUSICANO Can. XVIII. „ Debetur merces bonis operibus si fiant, „ sed gratia quæ non debetur, præcedit, „ ut fiant. „ Et ex TRIDENTINO Sess. VI. cap. XVI. Ubi de justis ait, eos per gratiam *vere* mereri vitam æternam. Legatur ibidem Can. XXXII. hinc etiam AUGUSTINUS lib. I. de nat. & grat. cap. 2. *Non est injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ.* Ut taceam alios. 83

PROB. IV. Justitia commutativa est perfectio *simpliciter simplex*, nullam involvens imperfectionem: ergo datur in Deo, qui est ens, quo melius cogitari non potest. *Ant. prob.* Si involveret imperfectionem, tunc ideo, quia Deus obligaretur homini stricte: atqui hæc non est imperfectio. 84

Ergo. minor *prob.* I. Deus non poteſt velle imperfectionem; atqui voluit liberrime obligari homini, cum quo iniit pactum de retribuenda mercede, ſi ſervet mandata &c. *min. prob.* II. obligari ex fidelitate non eſt imperfectio: ergo neque obligari ex juſtitia.

85 Prob. V. Promiſſio conditionata & acceptata, purificata conditione parit obligationem juſtitiæ: atqui Deus fecit promiſſionem homini conditionatam de centuplo & vita æterna reddenda, ſi reliquerit omnia, & ſecutus fuerit Chriſtum. *Ergo.* hinc Petrus: *Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis.* Fecimus quod juſſiſti: redde quod promiſiſti.

86 Objic. I. Non poteſt Deus homini *ſtricte* obligari: ergo non datur in Deo juſtitia commutativa. *Ant. prob.* Si Deus obligaretur homini ſtricte, non haberet amplius perfectum in res omnes *dominium*; atqui Deus dominio ſe ſpoliare non poteſt. *Ergo.* Major *prob.* dominium eſt jus libere diſponendi de re ſua citra alterius injuriam: atqui ſi Deus homini ſtricte obligaretur circa aliquod, non poſſet de illo diſponere libere, ſed faceret injuriam homini, non tribuendo, quod deberet. Ergo non haberet amplius perfectum in res omnes dominium.

II.

II. Patres ſæpiſſime dicunt, Deum nihil nobis debere: ergo non admittunt in Deo juſtitiam.

III. D. Thomas I. II. q. CXIV. art. I. ad 3. docet. Quod Deus ratione noſtrorum meritorum non fiat debitor nobis, *ſed* ſibi ipſi, in quantum debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur.

III. Si Deus obligaretur homini, tunc homo non eſſet plene ſubjectus Deo; quia omne jus dicit aliquam ſuperioritatem reſpectu illius, qui debet: atqui Deus deberet homini. Ergo homo haberet aliquam ſuperioritatem erga Deum.

Resp. ad I. Nego utrumque antecedens. Ad prob. *diſt. maj.* dominium eſt jus &c. niſi lege, vel pacto prohibeatur a diſpoſitione. *Conc.* ſecus. *Nego.* jam vero Deus pacto prævio cum homine liberrime ſe obſtrinxit, ad dandam vitam æternam homini, ſervanti præcepta: quo tamen non obſtante ſalva eſt Deo poteſtas abſoluta annihilandi ejusmodi hominem, & dominium altum, ſubtrahendi gratiam efficacem, ſine qua conditiones ſtipulatæ non implentur.

Resp. ad II. *Diſt.* Deus nihil nobis debet antecedenter ad ſuam promiſſionem liberrimam. *Conc.* ſuppoſita promiſſione. *neg.*

Hinc debitum iſtud ſemper eſt *conſequens* & hypotheticum. Idem dico ad III. & videantur quæ dixi in diſſertatione *de merito vitæ æternæ.*

Resp. ad IV. Nego *ſequelam.* Quoniam ſalvum Deo manet dominium *altum*, & Jurisdictionis, etſi jus proprietatis tranſtulerit libere in hominem. Ad *prob. diſt.* dicit aliquam ſuperioritatem, ſemper *abſolutam* & antecedentem. *Neg.* conſequentem & *conditionatam. Conc.* Deus vi liberi decreti ſe voluit obligare homini : quod non repugnare admittere debent Adverſarii, qui docent, Deum obligari ex *fidelitate*, quo etiam modo homo aliquod jus ſeu ſuperioritatem in Deum habet. Sicut ergo non poteſt eſſe infidelis, ita neque injuſtus.

§. III.

De virtutibus juſtitiæ annexis.

87 Virtutes Juſtitiæ annexæ, ſeu partes ejus potentiales & ſpecies imperfectæ ſunt illæ, quæ quidem verſantur circa debitum aliquod ad alterum, non tamen *legale*, ſed *morale*, ad quod quis obligatur ex honeſtate virtutis : quodque vel adeo magnum eſt & alterius ordinis, ut non poſſit reddi ad æqualitatem, ſed ſolum juxta poſſibilitatem : vel ita parvum, ut obli-

obligationem ſtrictam & legalem non inducat, ſed tantum moralem, ex quadam virtutis honeſtate procedentem. Prioris generis ſunt *Religio*, *Pœnitentia*, *Pietas*, *obſervantia*, & *obedientia*. Poſterioris: *gratitudo*, *veritas*, *amicitia*, *affabilitas*, *liberalitas*: de Religione agam ſuo loco. De pœnitentia actum fuit Tom. XI. Reliquas breviter hic perſtringam.

Pietas hic non ſumitur pro ſtudio in- 88
ternæ *devotionis* & ſinceri affectus ad Deum & proximum, de qua loquitur Paulus I, Tim. IV. *Exerce te ipſum ad pietatem: & pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Neque pro *miſericordia*: ſed pro ſpeciali virtute, qua debitus cultus parentibus, tamquam vitæ & educationis noſtræ poſt Deum auctoribus, exhibetur. Conſiſtit autem hic cultus 1. in amore, etiam interno. 2. In reverentia & honore: 3. in obedientia: 4. in obſequiis & neceſſariis vitæ ſubſidiis præſtandis. Pietas ſe etiam extendit ad conſanguineos, propter conjunctionem cum parentibus: eſt inter conjugatos obſervanda, & erga Rempublicam. De ea tractant Theologi morales, ubi de quarto decalogi præcepto.

Observantia eſt virtus, qua debitus cul- 89
tus defertur ſuperioribus, tanquam gubernationis noſtræ auctoribus. Conſiſtit pariter

riter in honore & obſequiis exhibendis, & ſe extendit quoque ad alias perſonas, virtute, ſapientia, & dignitate conſpicuas, quatenus ſaltem exemplo ſuo aut conſilio ad noſtram directionem concurrunt. Hinc alia eſt *politica*, quando ob excellentiam humanam: alia *Religioſa*, quando ob perfectionem ſupernaturalem eminentem, cultus alicui & honor defertur.

90 Obedientia alia eſt *generalis*, obſervans præceptum quodlibet ex motivo honeſto: alia *ſpecialis*, inclinans ſubditum ad exequendum præceptum ſuperioris, *quia* præceptum eſt. Ei opponitur inobedientia *formalis*, quæ ſemper eſt peccatum grave, etiam in materia levi, propter contemtum formalem. *Melior eſt enim obedientia, quam victimæ* (quia per victimam aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur, ut ait Gregorius M.) *& auſcultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*, ut Samuel dixit ad Saulem I. Reg. XXV. 22. ſeq. nam ut S. Gregorius M. obſervat, lib. XXXIII. Moral. cap. 10. „ Inobedientes velut contemto divino al„ tari ad aras dæmonum reſponſa captant, „ dum cordis ſui præſtigioſis ac ſuperbis „ adinventionibus credunt, & ſalutaribus „ Prælatorum conſiliis, contraria ſentien„ do refragantur. „

Grati-

GRATITUDO inclinat ad compensandum beneficium acceptum. Ejus officia sunt, I. Beneficii accepti æstimatio. II. Ejus benigna acceptatio. III. Gratiarum actio. IV. Grata commemoratio. V. Et tandem repensio pro loco & tempore, & modo, ut recta ratio dictaverit. 91

VERITAS, seu veracitas est virtus, qua quis proximo talem dictis, factisque se exhibet, qualis revera est. Ei opponitur MENDACIUM, quod est vel *reale* seu simulatio, vel *verbale*. Prius fit, dum utimur signis ad inducendum aptis, & rei veritati contrariis. v. g. fæmina fingens habitu virum, Laicus Sacerdotem &c. *verbale*, est locutio contra mentem cum intentione fallendi, seu, dum aliud loquimur exterius, & aliud sentimus interius. Ratione finis est vel *jocosum*, quod sola voluptatis gratia absque ullius nocumento: vel *officiosum*, quod in alterius utilitatem, & nullius nocumento profertur: vel *perniciosum*, quo alteri injuste nocetur saltem in intentione. Hoc ex natura sua est grave, nisi excuset parvitas materiæ, seu damni: reliqua per se tantum venialia. 92

De MENDACIO quæritur, an omni casu sit intrinsece malum; quod negabant I. ORIGENES, CASSIANUS, & alii quidam, jocosum saltem & officiosum ab omni cul- 93

pa

pa eximentes. II. PRISCILLIANISTÆ, qui mendacio, imo perjurio, hæresin suam occultabant, quos confutat S. AUGUSTINUS lib. *de mendacio.* III. Catholici quidam tempore S. AUGUSTINI, qui simulabant se esse Priscillianistas, ut Sectæ hujus arcana detegere possent. His AUGUSTINUS opposuit librum *contra mendacium.* Dicendum quoque de amphibologiis, æquivocationibus, & restrictionibus mentalibus, an & quatenus licitæ, vel prohibitæ sint. Est autem *æquivocatio*, seu *amphibologia*, affirmatio aut negatio per verba ad duplicem sensum indifferentia, ex intentione fallendi audientem. Differunt autem inter se *amphibologia*, & *æquivocatio.* Hæc est enim ambiguitas sermonis & indifferentia ad duplicem sensum, fundata in unico verbo, pluribus significantibus subjecto: v. g. vox *canis*, denotat simul animal vulgare: item sydus cœleste: piscem: nomen familiæ illustris. Illa vero fundatur in ambigua constructione, aut positione verborum: v. g. *ibis redibis non morieris in bello*: ubi το *non* indifferens est ad *redibis*, vel *morieris.* Item: *ajo te Æacida Romanos vincere posse*: ubi ob duplicem *accusativum* sensus est indifferens.

94 *Restrictio mentalis*, est affirmatio vel negatio per verba ad duplicem sensum minime indifferentia, quæ tamen a proferente in alio sensu sumuntur, quam verba ob-

obvie in ſignificatione uſuali præſeſerunt, ad fallendum audientem. Sic interrogatus: an viderit canem: ſi affirmet, cum non viderit, erit *mendacium*. Si intelligat non animal vulgare quadrupes, quod intendit interrogans, ſi affirmet, ſubintelligendo canem, ſydus cœleſte, *Syrium*: erit *æquivocatio*. Si affirmet, ſubintelligendo: vidi alias, ſed non eo tempore, de quo intelligit interrogans: erit *reſtrictio mentalis*. Tam æquivocatio, quam reſtrictio mentalis vel eſt *pure mentalis*, vel aliquo modo *ſenſibilis*. Prior eſt, cujus ſenſus a loquente intellectus, neque ex uſu, aut inſtitutione verborum, neque ex ullis circumſtantiis, indiciis exterioribus, aut modo proferendi intelligi poteſt. Si autem prudens ſuboriri poteſt dubium aut ſuſpicio, verba a proferente ſumi in alio ſenſu, quam qui iis vulgo ineſt, erit reſtrictio aliquo modo *ſenſibilis*.

Reſtrictiones pure mentales absque justa cauſa, multo magis juramento additas, licitas eſſe, quod docuerunt Probabiliſtæ, damnavit INNOCENTIUS XI. an. 1679. prop. XXVI. & duab. ſeq. hanc etiam SANDERI propoſitionem: *Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe-Chriſtus, amphibologiis & reſtrictionibus uſi ſunt*: Clerus Gallicanus an. 1700. hac cenſura notavit: *Eſt ſcandaloſa, temeraria, myſtice, prophetice, parabolice dicta, vel facta cum vulgaribus* 95

ribus gestis confundit, SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa & impia. P. Carolus Ambrosius CATTANEUS Jesuita in suis Concionibus scripsit, in casu maximae necessitatis verba proferri posse *materialiter*, sine ulla significatione formali: quem tribus editis libris confutavit Eminentissimus Card. ORSI, Dominicanus.

96 RESOLUTIO I. Omne mendacium ab intrinseco malum, nec ullo casu permissum est.

PROB. I. S. scriptura innumeris in locis *omne* detestatur mendacium, non solum perniciosum. Ergo *quodlibet* est peccatum. Eccli. VII. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Prov. VI. 16. seq. v. XVI. *Sex sunt, quae odit Dominus. . . Linguam mendacem. . . proferentem mendacia, testem fallacem.* Ubi perniciosum mendacium distinguitur a simplici Sap. I. 11. *Os quod mentitur, occidit animam.* Psalm. V. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

97 PROB. II. Ratione. Quod in omni casu repugnat alicui divinae perfectioni essentiali, semper est ab intrinseco malum; nam malitia actus humani consistit in deordinatione rationis rectae, seu, oppositione ad regulam divinam, quae est Dei perfectio: atqui mendacium in omni casu repugnat divinae

vinæ veracitati, quæ eſt perfectio eſſentialis, neceſſaria & immutabilis.

Prob. III. Verba cum ab ipſo Deo in prima inſtitutione vel confuſione linguarum, tum a natura, & gentium conſenſu determinata ſunt ad certam ſignificationem: ergo contra hanc ordinationem, & contra leges ſocietatis humanæ agit, peccatque, qui verbis utitur ad alium finem, nempe ad fallendum, cum ſint inſtituta ad communicandos internos conceptus. Ita S. Augustinus in Enchiridio cap. XXII. „ Verba propterea inſtituta ſunt, non per „ quæ ſe invicem homines fallant, ſed „ per quæ quisque in alterius notitiam „ cogitationes ſuas proferat. Verbis er„ go uti ad fallaciam, non ad quod inſti„ tuta ſunt, peccatum eſt. „ Vid. eundem de mendacio & contra mendacium. 98

Objic. I. In S. ſcriptura plura referuntur mendacia officioſa, & pernicioſa, nec reprobantur: ergo non ſunt intrinſece mala. prob. ant. I. Obſtetrices Ægypticæ propter occultatos mendacio pueros Hebræorum, receperunt a Deo beneficium. Exod. I. 99

II. Rahab meretrix mendacio liberavit exploratores Hebræos Joſue II. 4. & inde promerita fuit ſalutem ſuæ domus, & eam commendat Paulus. Hebr. XI. 31.

III. David I. Reg. XX. rogat Jonathan, ut dicat Sauli se profectum in Bethlehem: quod falsum erat.

IV. Idem cap. XXI. narrat Abimelech sacerdoti, se a Rege ad eum missum fuisse.

V. Elisæus IV. Reg. VI. militibus, ut eum comprehenderent missis ait: *Non est hæc via, neque ista civitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis, duxitque eos cæcitate percussos in civitatem Samariam.*

VI. Amos negat se esse prophetam, VII. 14. & tamen erat.

VII. Judith sæpius locuta fuit Holoferni mendacia.

VIII. Michæas II. 11. ait: *utinam mendacium loquerer.* Sed non potest vir justus desiderare malum.

Resp. in genere ad facta historica S. scripturæ cum Augustino lib. contra mend. cap. 9. „ Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda credere debemus. Habent enim, ut ait idem cap. XIV. conscripta & mala hominum & bona: illa vitanda, ista sectanda. „

Resp.

Resp. ad I. & II. Concedo, mentitas fuiſſe obſtetrices & Rahab, nec propterea laudari, ſed ob pietatem & bonum erga Iſraelitas affectum.

Resp. ad III. & IV. Homo fuit David, a mentiendi periculo non immunis. Unum tamen excuſari poteſt; forte enim jam tunc propoſuerat proficiſci in Bethlehem. Mendacium vero, quod dixit Abimelecho, non fuit pernicioſum; quia ſecutam inde ſacerdotum ſtragem prævidere non potuit, minus intendit.

Resp. ad V. Eliſæus uſus fuit ironia, eoquod quærerent civitatem Dothan, quam oculis viderent. Ideo dixit: *non eſt hæc via* &c. Cumque Deus miraculo cæcitatis, ſeu non viſionis, qua objecta aliter perciperent, Eliſæum defenderit, atque inſidiatores ſuos in mediam Samariam captivos tradiderit: ſignum eſt, eum dolo bono aſtum inimicorum eluſiſſe.

Resp. ad VI. Amos hoc tantum voluit dicere, ſe nunquam antea prophetaſſe, neque ad munus propheticum ſe unquam præparaſſe, ſed ſubito e grege ad illud a Deo fuiſſe aſſumtum. Ubi nihil mendacii.

Resp. ad VII. Non omnes excuſant Judith a mendacio & peccato veniali, cui

etiam ſancti ſubjacent. Vid. Card. Gotti : de Verit. Religionis Chriſt. Tom. III. Sed dici poteſt, eam ex inſtinctu Dei, a quo miſſa fuerat ad liberandum populum, in tanta neceſſitate uſam fuiſſe amphibologia & reſtrictione mentali, quodammodo ſenſibili : Deum autem effeciſſe, ne intelligeret Holofernes. Vide Calmet Diſſert. in lib. Judith.

Resp. ad VIII. Michæas loquitur modo humano, inſinuans, ſe optare, ut non ſuperveniant mala, quæ vaticinatur.

100 Objic. II. S. Chrysostomus lib. I. de ſacerdotio circa finem, & S. Hieronymus in cap. 2. epiſt. ad Galat. non improbant mendacia officioſa. *Ergo.*

Resp. Iſti SS. PP. humani aliquid pati potuerunt circa eam quæſtionis partem, in qua doctiſſimi fatigantur. Hieronymum tamen excuſare conatur S. Thomas 2. 2. Quæſt. 111. art. 1. ad 2.

101 Objic. III. S. Euſebius Vercellenſis in concilio Mediolanenſi an. 354. ſimulavit ſe formulæ Arianæ, & damnationi Athanaſii ſubſcribere velle, eo ſolum fine, ut deluſam Dionyſii Mediolanenſis Epiſcopi ſimplicitatem poſſet liberare, quod mendacium his verbis commendat & refert auctor ſerm. XV. de ſanctis inter opera

S.

S. Ambrosii: „ Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cum Arianorum detestanda perfidia totam cum universo mundo Italiam perturbasset, atque „ ejusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitatem S. Dionysii captivassent, ita ut „ subscriptionis ejus vinculum retinerent, „ *qua* illum e manibus eorum sapientia „ liberavit. Sicut enim ait S. Paulus, factus sum Judæis tamquam Judæus ut „ Judæos lucrifacerem; ita Eusebius Hæreticis se esse hæreticum mentitus est, „ ut de hæresi filium liberaret. Dixit „ enim, eorum se consentire perfidiæ, „ hoc sibi placere quod illis: sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo „ præponerent, graviter se moveri. Vos „ enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur „ mihi filium prætulistis? Qua ratione „ permoti, statim S. Dionysii chirographum deleverunt, priorem locum subscribendi Beato Eusebio deferentes. Quos „ ille increpans & irridens ait: Neque ego „ me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto. „ Vid. etiam vita S. Eusebii Tom. III. Concil. edit Mansi col. 249.

Resp. Laudanda est pia sancti Viri intentio, fervor pro fide catholica, & charitas pro decepto Dionysio, non vero laudandus, quod medio usus fuerit illicito.

Neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Forte autem sibi persuaserat, officiosum istiusmodi mendacium in talibus circumstantiis esse permissum. Verbo, homo fuit, ab errandi periculo non prorsus immunis.

102 Objic. IV. Nisi in casu, quo puella versatur in periculo stupri violenti, & percipiendæ delectationis illicitæ, permittatur, ut nuptam se fingat, non vita solum, sed & animæ salus periclitabitur. Ergo.

Resp. Neque pro vita servanda licet mentiri. Illo autem casu Virgo confidere potest, Deum, qui tantam ei pro veritate tuenda inspirat constantiam, haud permissurum, ut in stupro violento, quod invita patitur, carnali delectationi cum deliberato peccato consentiat.

103 Resolutio II. Non licet etiam in necessitate proferre verba materialiter, absque significatione formali. *Contra P. Cataneo.*

Prob. I. Non est in potestate hominis, saltem privati, verbis indere sensum alium, vel adimere significationem a Deo, & gentium consensu determinatam; quoniam ex jure gentium & naturali quisque accommodare se debet honestis, & necessariis societatis legibus: atqui determinata verbo-

verborum ſignificatio vel ab ipſo Deo Adamo in infuſione linguæ, aut confuſione linguarum Babelica, aut certe gentium conſenſu indita fuit, qua etiam Deus in S. ſcriptura, Patres & Interpretes uſi fuerunt. *Ergo.*

PROB. II. Si licitus eſſet uſus materialis ver- 104
borum, eadem ſequerentur incommoda, quæ ex mendacio, nempe deceptio audientis atque inde orta diffidentia, & tota ſocietatis humanæ everſio; quia ſive verbis utar in ſua ſignificatione contra mentem prolatis, ſive naturalem ſignificationem interna intentione eisdem auferam, ſemper de induſtria decipitur audiens.

PROB. III. Hic modus prorſus incogni- 105
tus fuit S. AUGUSTINO, qui tamen materiam de mendacio ex inſtituto examinavit. lib. de mend. cap. XIII. Nam in caſu, quo amicus alterius fidei concreditus ad mortem quæratur, nihil aliud reſolvit, interroganti reſponderi poſſe, niſi quod dixit Firmus Epiſcopus, dum de ſacris libris tradendis interrogaretur: *non prodam, non mentiar.* Alio in caſu, dum Pater ægrotans prævidetur moriturus, ſi ei dicatur, filium non vivere: tria tantum reſponderi poſſe ab amico dicit cap. 18. aut, *mortuus eſt*: aut, *vivit*: aut, *neſcio.* Ex illis autem tribus duo falſa ſunt: *vivit*: &, *neſcio*, nec abs te dici poſſunt, niſi men-

mentiendo. Atqui si permissus esset usus materialis verborum, potuisset dicere: *nescio*, nimirum sensu materiali.

106 Prob. IV. Sequeretur, quod in persecutione, dum Christiani urgebantur ad manifestanda vasa & sacros libros, potuissent dicere, se nescire, non habere. Atqui hoc est contrarium priori Ecclesiæ, ut pluribus probat Orsi.

107 Objic. I. Nisi permissus sit usus verborum materialis, & restrictionum pure mentalium, tunc sequuntur multa incommoda gravissima, & inevitabilia, v. g. quod Confessarius de crimine in confessione percepto interrogatus, non possit respondere, se nescire, subintelligendo mentaliter: scientia communicabili, vel, qua homo. 2. Quod innocens ad mortem damnatus, non possit negare, se fuisse in tali loco, ubi erat cadaver, tali noctis hora, subintelligendo: cum animo occidendi. 3. Quod, qui mutuum accepit, & jam solvit, a creditore autem iterum conventus ut solvat, si non possit solutionem probare, non possit a Judice interrogatus respondere, se mutuum non accepisse, subintelligendo ad mentem Judicis. Atqui hoc est absurdum. *Ergo*.

Resp. Retorquendo in mendacia officiosa, quæ etiam nullo casu licent, etiamsi gra-

gravissimum oriatur incommodum, propter intrinsecam eorum malitiam, quæ etiam restrictionibus pure mentalibus inest. Sed dico directe ad I. Si confessarius interrogetur ab aliquo, qui sigillum confessionis tangi nolit, quod de catholico quolibet præsumi potest, tunc absque restrictione pure mentali dicet: se nescire crimen, nimirum ea notitia, quam alter ex illo discere velit. Si autem impius quispiam ipsa confessionis secreta nosse desideret, respondendum, impiam esse interrogationem, nec sibi fas esse respondere. Quod quidem observandum, sive pœnitens crimen illud confessus fuerit, sive non; nam si etiam innocens sit pœnitens, idque ediceret confessarius; jam impiæ interrogationi consentiret, & se exponeret periculo detegendi crimen quodlibet aliud a pœnitente expositum, circa quod ab eodem interrogatus, non posset sine mendacio negare, aut sine diffamatione & fractione sigilli tacere. Si enim de primo crimine pœnitentem fateatur innocentem, & de altero taceat; inferet impius: nisi pœnitens secundum crimen fuisset confessus, sacerdos utique non taceret, sed innocentiam defenderet, uti fecit de primo crimine.

Resp. ad 2. & 3. Utroque casu, cum sint restrictiones pure mentales, potius vitæ & pecuniarum faciendam esse jactu-

ram, quam in peccatum consentiendum, & confidendum in Deo, qui potest innocentem variis modis liberare, aut infinities remunerari.

108 Resolutio III. Sive intra, sive extra judicium, illicitus est usus æquivocationum & restrictionum mentalium nullo modo sensibilium. Quod si id fiat cum juramento, perjurium est.

Prob. I. Ex S. scriptura. Psalm. XIV. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? .. Qui loquitur veritatem in corde suo. .. Qui jurat proximo suo & non decipit.* Psalm. XXIII. *Quis ascendet in montem Domini? .. Qui non juravit in dolo proximo suo.* Eccli XXXVII. 23. *Qui loquitur sophistice, odibilis est.* Sed qui utitur restrictione pure mentali, proximum decipit, jurat in dolo, loquitur sophistice. *Ergo.*

109 Prob. II E Patribus. Tertulliani regula hæc est lib. IV. contra Marcionem. cap. 38. „ Justa & digna præscriptio est, in „ omni quæstione ad propositum interro„ gationis pertinere debere sensum respon„ sionis; ceterum aliud consulenti respon„ dere, dementis est. „ Augustinus Epist. CXXV. al. CCXXIV. „ Perjuri sunt, qui „ servatis verbis exspectationem eorum, „ quibus jurandum est, deceperint. „ Atque hoc faciunt, qui utuntur restrictione

men-

mentali, nulla ratione determinabili ſeu ſenſibili. *Ergo.*

Prob. III. Ratione I. omne mendacium 110
eſt peccatum. Atqui reſtrictio pure mentalis eſt mendacium, nam juxta Augustinum lib. de mendacio cap. 3. ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis enunciat. Hoc autem fit per reſtrictionem. II. Iſtæ reſtrictiones eodem modo decipiunt audientem, & vera mendacia ſunt; idem enim eſt dicere petenti: non habeo pecuniam, tacite ſubintelligendo: pro te: quam negare abſolute, absque ulla reſtrictione mentali. Sunt eodem modo contra humanam ſocietatem; cum inde tollatur ſermonum certitudo, oriatur mutua diffidentia, aditus aperiatur dolis, & claudatur juſtis commerciis. Denique legantur propoſitiones damnatæ n. 95. cit.

Objic. contra III. Reſolutionem. In ſa- 111
cra ſcriptura occurrunt plures reſtrictiones pure mentales cum ſanctorum, tum ipſius Chriſti. Ergo licitæ ſunt. *Ant. prob.* 1. Jacob dixit ſe eſſe primogenitum Eſau, Geneſ. XXVII. ſubintelligendo, non natura, ſed jure emtionis. 2. Chriſtus Marci XIII. interrogatus a diſcipulis de die judicii: reſpondit: *De die illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, niſi Pater.* Ubi adeſt reſtrictio mentalis,

quod

quod nesciat scientia communicabili, aut secundum naturam humanam.

Resp. ad 1. Plures fatentur, Jacobum re & verbis fuisse mentitum. Alii existimant excusari omnia posse in sensu mystico & prophetico, & forte Patrem jam divinitus illustratum percepisse sensum, quem intenderat filius.

Resp. ad 2. Apostoli Christo ita disponente mox intellexerunt, eum illis verbis nihil aliud voluisse dicere, quam non expedire, ut dies ille manifestetur hominibus ante tempus. Atqui hic nulla deceptio.

112 Resolutio IV. Neque permissæ sunt restrictiones quodam modo sensibiles; si fiant ex intentione decipiendi proximum. I. Id constat ex Augustino sæpius citato. Nam ingenerare alteri falsam opinionem, est inhonestum, injuriosum, & dolosum. II. Dum quis interrogatur ab eo, qui jus habet inquirendi in veritatem, ut Judex, superior &c. tunc oritur obligatio respondendi. Hinc illicitæ sunt in judiciis, &, si accedat juramentum, perjuria sunt. III. Quando non adest justa & gravis causa occultandi veritatem; per se enim & ordinarie lex humanæ societatis requirit, ut clare respondeatur, quamvis jus interrogandi quispiam strictum non habeat. Cum enim

enim omnis homo naturaliter ſcire deſideret, ſitque animal ſociabile, tunc jus ad veritatem manifeſtandam habere videtur, quando eam occultandi juſta & gravis cauſa non adeſt.

RESOLUTIO V. Æquivocatio ſenſibilis 113 *licita* videtur ex juſta & gravi cauſa: Reſtrictio autem mentalis ſenſibilis, ſolum in caſu graviſſimæ damnificationis injuſtæ propriæ vel alienæ, alioquin moraliter inevitabilis, modo concurrant ſequentia. 1. Ut propoſitio in aliquo ſenſu ſit vera. 2. Ut ille ſenſus verus, externo quodam ſigno ſaltem dubio ſit expreſſus, & ab audiente adverti poſſit. 3. Ne talis reſponſio fiat Judici, aut jus interrogandi habenti.

PROB. I. Iſtæ reſtrictiones non ſunt mendacium, quia non affirmatur falſum, ſed tantum veritas occultatur, quæ tamen ex circumſtantiis deprehendi poteſt; nam ut ait S. AUGUSTINUS in Pſalm. V. *Aliud eſt mentiri, aliud verum occultare. Quamvis omnis, qui mentitur*, ut ait idem libro contra mendacium cap. X. *velit celare quod verum eſt, non tamen omnis, qui vult, quod verum eſt celare, mentitur.*

PROB. II. Non ſunt per ſe deceptivæ 114 proximi, ſed deceptio ex gravi cauſa permittitur; poteſt enim audiens in ſen-

ſenſum proferentis abſolute loquendo venire.

115 Prob. III. Non nocent Societati & commercio humano, quia proſunt in nonnullis circumſtantiis, ubi alias non ſuppeteret medium ſalutem proximi, ſecretum graviter obligans &c. contra injuſtum inquiſitorem licite tuendi.

116 Prob. IV. In S. ſcriptura legitur, viros probos in memoratis circumſtantiis uſos fuiſſe ejusmodi reſtrictionibus & æquivocationibus non pure mentalibus. Nam Abraham dixit Saram, quæ uxor erat, eſſe ſuam ſororem, Geneſ. XII. ut ſe ab occiſione prudenter timenda liberaret: quæ vox erat æquivoca ad denotandam ſororem veram, & neptem, qualis erat Sara, filia Patris, & non filia matris. Idem cum proceſſiſſet ad montem immolaturus filium ex præcepto Dei, dixit ad famulos: exſpectate hic cum aſino: ego & puer, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos. Geneſ. XXII. 5. Nam credidit Abraham in ſpem contra ſpem: cumque Deus ipſi antea promiſiſſet ſemen innumerabile ex Iſaac filio, certo ſperavit, Deum occiſionem ejusdem prohibiturum, & ſe cum filio reverſurum. Angelus Raphael interrogatus a Tobia quis eſſet, cap. V. reſpondit: *ego ſum Azarias, Ananiæ Magni filius*: nimirum ſenſu myſtico, po-

postea iis aperiendo. Christus Joan. VII. dicebat: *Ego non*, seu, ut est in græco, nondum *ascendam ad diem festum istum*: nempe primis diebus, ut volebant Apostoli: sed postmodum ascendit alia die, *non manifeste*, sed *quasi in occulto*. Et ita de aliis.

Ad mendacium quoque reducitur I. Si- 117
mulatio, quæ est vere mendacium reale, ut dictum est.

II. Hypocrisis, quæ est alienæ personæ assumtio ad decipiendum proximum: v. g. dum aliquis fingit se habere virtutem, quam non habet, ad ingenerandam alteri de se existimationem sanctitatis. Quod si hæc fictio tendat ad contemtum veræ sanctitatis, aut disseminandam falsam doctrinam, grave erit peccatum. Ideo Christus toties Pharisæos coarguit: *Væ vobis hypocritæ.*

III. Adulatio, quæ est excessus in laude, & studio alium demulcendi, sibique demerendi. Grave crimen est secundum S. Thomam 2. 2. Quæst. 115. art. 2. quando graviter charitati opponitur, quod triplici modo contingere potest. 1. Quando alterius grave peccatum laudatur. 2. Quando fit cum intentione in anima vel corpore graviter nocendi. 3. Quando cedit alteri ad occasionem peccandi.

IV.

IV. Jactantia, qua quis exterius ſeſe effert ſupra id, quod in ipſo eſt. Virtutes Juſtitiæ connexæ ſunt

I. Amicitia, quæ conſiſtit in mutua benevolentia & benefaciendi ſtudio, honeſtatis, & non ſolum jucunditatis, vel utilitatis gratia.

II. Affabilitas, quæ ſtudet converſationem aliis reddere gratam pro circumſtantiis & conditione Perſonarum. Opponitur ei *Moroſitas*.

III. Liberalitas eſt virtus, quæ moderatur amorem divitiarum, & diſponit ad illas facile expendendas, quando, & quibus recta ratio dictat.

Per defectum ei opponitur *Avaritia*, ſeu nimia tenacitas. Per exceſſum vero *Prodigalitas*, ſeu immoderata profuſio bonorum ſine recta ratione, v. g. in uſus ſuperfluos.

CA-

CAPUT III.

De jure, variisque ejus speciebus.

Jus diversimode accipitur. 1. Pro *Juris-prudentia*, quæ est ars æqui & boni, justi & injusti scientia. 2. Pro *lege*: & ita aliud est *naturale*, *gentium*, & *positivum*. Hoc iterum *divinum*, vel *humanum*: hoc *Ecclesiasticum*, vel *civile*. 3. Pro sententia judicis: hinc dicitur *jus dicere*: aut pro loco judicii: hinc dicitur, aliquem *in jus vocare*. 4. Prout est objectum virtutis Justitiæ: & sic definitur, quod sit *facultas, seu potestas legitima, quam quis habet ad aliquam rem retinendam vel obtinendam, aut ad aliquid faciendum, ita ut in hoc impediri non possit citra injuriam, & læso restitutio ac satisfactio debeatur*. Est duplex: 1. jus *in re*, seu, *reale*, quod est potestas legitima circa rem jam sibi obligatam & obtentam; ita ut habeat actionem in rem ipsam, seu realem, eam a quocunque vindicandi seu repetendi: 2. jus *ad rem*, seu, *personale* est potestas legitima ad obtinendam rem, quæ nondum facta est sua, seu nondum tradita ac possessa; hinc datur in personam, quæ rem illam debet, paritque actionem personalem, quæ fusius exponunt jurisconsulti. Species Juris in re sunt *Dominium*, *usus*, *ususfructus*, *habitatio*, 118

ſervitus, *emphyteuſis*, *feudum*, *libellus*, *ſuperficies*, *pignus*, *hypotheca*, *poſſeſſio*. Jus ad rem oritur ex facto alterius, quem mihi ad aliquid obligatum teneo, v. g. ex poſtulatione, electione, præſentatione, collatione beneficii. Ex alterius venditione ante traditionem oritur jus ad rem. Hic agitur I. de dominio, & ejus objecto. II. De ſubjecto, præſertim de Chriſtianis, Eccleſiaſticis, Peccatoribus & Infidelibus. III. De dominio Clericorum. IV. De dominio Religioſorum. V. De reliquis Juris ſpeciebus, & dominio rerum, quæ ſolo uſu abſumuntur.

§. I.

De dominio & ejus objecto.

119 DOMINIUM aliud eſt *jurisdictionis*, aliud *proprietatis*. Prius ſumitur pro jure gubernandi ſubditos, quale eſt in Principe. Eſtque duplex: *Eccleſiaſticum*, & *civile*, ſeu Politicum. Alterum de quo hic agitur, eſt poteſtas de re immediate & nomine proprio diſponendi per actiones lege permiſſas. Dividitur communiter in *publicum*, *eminens*, ſeu, *altum*, vi cujus Princeps de bonis propriis ſubditorum exigente neceſſitate diſponere poteſt. Et in *privatum*, ſeu, *baſſum*, quod competit cuilibet Domino particulari in re ſua, cum aliqua ſubordinatione ad communitatem

tem ſeu Principem. Aliqui, & forte rectius, negant, Principi vel communitati competere *dominium* altum in bona ſubditorum, quamvis eidem tribuant *Jus*, vi cujus ſubditos obligare poteſt, ut de ſuis rebus pro bono publico aliter, quam ipſi mallent, diſponere debeant. De quo Juriſconſulti viderint. Aliud eſt Dominium *juris*, quod comprehendit integrum jus proprietatis, tam *in re*, quam *ad rem*. Aliud dominium *rei*, quod pro objecto rem habet corporalem, v. g. Fundum, domum &c. Iterum dominium aliud eſt *plenum*, ſeu *perfectum*, quod comprehendit omnes partes dominii integrantes, id eſt, tam rei proprietatem, quam utilitatem: & aliud minus plenum, ſeu, *imperfectum*, quando aliqua pars integrans deeſt. Et hoc ſubdividitur in Dominium *directum*, & *utile*. *Illud* eſt, jus diſponendi de ſola rei proprietate, ſeu, ſubſtantia: vulgo die Grundgerechtigkeit: & Dominus vocatur *directus*. *Hoc* eſt jus, diſponendi principaliter de rei utilitate: cujusmodi dominium competit vaſallis in re feudali, Emphytheutis, ſuperficiariis &c. Aliud eſt dominium *univerſale*, quod comprehendit univerſitatem, ſeu complexum jurium tam realium quam perſonalium, cujusmodi competit hæredi in bona defuncti, aliud *particulare*, quod pro objecto habet rem ſingularem, v. g. Domum, Villam &c. Aliud denique eſt *Revocabile*,

aliud *irrevocabile*. Prius ad certum tempus vel conditionem reſtrictum eſt; alterum, nulla ratione reſtrictum, quod regulariter competit alicui in rem ſuam. Hæ ſunt communiores Dominii diviſiones.

120 Litigant Scholaſtici, an ejusdem rei poſſit eſſe dominium proprietatis penes duos in ſolidum? videtur negandum ex ipſa definitione dominii; quando enim unus Dominus vellet de re ſua diſponere, poſſet prohiberi ab altero, æque, ut ſupponitur, Domino: & hinc facultate libere de re ſua diſponendi deſtitutus eſſet, quod tamen ad verum dominium eſſentialiter requiritur. Miſſis his nugis, dicendum de objecto dominii.

121 Ex ſacris litteris conſtat, omnes res creatas, quæ in hac terra exiſtunt, ſubjecta eſſe dominio hominis. Geneſ. I. 26. *Faciamus hominem . . . & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. . . Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris.* &c. Pſalm. VIII. *Conſtituiſti eum* (hominem) *ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* &c. Quæritur autem, I. an homo habeat dominium in vitam ſuam & membra. II. In famam & honorem. III. An habeat dominium in alium hominem, ita

ut

ut justa sit servitus. IV. An Reipublicæ aliquo casu competat dominium in vitam innocentis, quæ quæstio maxime procedit de judice, an eum, quem scientia privata scit certo innocentem, per publicam tamen actionem criminalem, & testium depositionem allegatur nocens, debeat, aut possit bona conscientia ad mortem condemnare, tunc saltem, quando nullum ad manum habet remedium eum salvandi, aut officium suum pro hoc casu deponendi, & agendi testem, aut in periculo est suos proventus amittendi?

Resolutio. I. Homo non habet domi- 122
nium suæ vitæ & membrorum.

Prob. Homo non potest licite de vita & membris disponere, destruendo pro arbitrio; peccat enim occidendo contra Decalogi præceptum: *non occides*, quod tam ad proximum, quam se ipsum extendunt Patres & ratio. Nam jus vitæ & necis sibi reservavit Deus, dominio solum utili concesso homini. Ait enim Deuteron. XXXII. 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam.* Et Sap. XVI. 13. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Et Paulus I. Cor. VI. *Non estis vestri, emti enim estis pretio magno.* Hinc *directe* se occidere nunquam licet, quod faciebant tamen Donatistæ,

dicti *circumcelliones*, & *Agonistæ*, laqueo se præfocando, præcipitio se collidendo, jactantes se *Martyres*, ex male intellecto illo Christi Joan. XII. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quos propterea reprehendit Augustinus Tract. LI. in Joan. vid. & concilium BRACARENSE II. cap. 16. At vero *indirecte* in quibusdam casibus se occidere licet, variis se ex justa causa exponendo periculis. v. g. Pro defendenda Patria, fide, inserviendo peste, aut alio morbo contagioso laborantibus: amplectendo austerius vitæ genus, aut abstinendo a pretiosissimis medicamentis, quibus vita servari potest. Et ita porro.

123 Neque mutilare se licet; quia ut nemo est Dominus totius, ita nec partium, ex quibus totum exsurgit. Hoc tamen intelligendum est extra casum necessitatis, ubi pro conservatione totius licite amputatur pars. Ideo graviter erravit ORIGENES, qui male intellecto illo Christi Math. XIX. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ut & concupiscentiam evelleret, & suspicionem malæ conversationis evitaret, eoquod fœminas in sacris litteris instrueret, se ipsum castravit, quod prohibet Can. Apost. 22. „ Si „ quis abscidit se ipsum, id est, amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia „ est sui homicida. „ Vid. etiam cap. 6.

dist.

dist. LV. Idem crimen extendunt Authores ad eos, qui pueros etiam consentientes abscindunt, quamvis fiat ob suavitatem vocis, & servitium Ecclesiæ. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Objic. I. Plures viri sancti se ipsos occiderunt. I. Samson Judic. XVI. concussis Palatii columnis se cum Philistæis oppressit. II. Eleazar se elephanti subposuit, a quo suppressus occubuit. I. Machab. VI. 46. III. Razius II. Machab. XIV. 37. seq. se ipsum gladio confodit. IV. S. Appollonia se ipsam in ignem projecit. 124

Resp. ad I. II. & III. Si facta ista excusari possunt, tunc dicendum est, sanctos illos viros id fecisse ex speciali S. spiritus instinctu. Idem dico ad IV. nam de sanctis ejusmodi virginibus scribit S. Augustinus lib. I. de Civit. Dei. cap. 26. „ Fe„ cerunt non humanitus deceptæ, sed di„ vinitus jussæ : nec errantes, sed obe„ dientes : sicut de Samsone nobis fas non „ est aliud credere ; cum eum Apostolus „ Hebr. XI. sanctis adnumeret. „

Objic. II. Propter conservationem totius corporis licite amputatur membrum: ergo etiam ob conservationem animæ, membro, aut vita se ipsum privare licet; maxime cum Christus ipse dixerit Math. 125

V. 29. & XVIII. 9. *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* &c. &c.

RESP. Nego *conſeq.* Diſparitas eſt; quia vita corporis naturalis, quæ non eſt in arbitrio hominis *phyſico*, aliter, ut ſupponitur, conſervari non poteſt; animæ autem ſalus in arbitrio hominis *morali*, cum gratia, repoſita eſt, & in ægro ac mutilo etiam corpore integra ſervari poteſt. Verba Chriſti non in ſenſu litterali, ſed myſtico intelligenda ſunt, quod omnis occaſio proxima, quæ ad peccandum inducit, undecunque proveniat, evitanda ſit; ita, ut parens, frater, aut conjux, quos adinſtar oculi vel dextræ manus diligimus, relinquendi ſint, ubi ad peccatum nos incitare voluerint.

126 OBJIC. III. S. HIERONYMUS in cap. I. Jonæ docet, licitum non eſſe ſe occidere, *absque* eo, ubi caſtitas periclitatur. Ergo ſaltem iſto caſu licet.

RESP. το *absque* eo, accipi poteſt ſenſu incluſivo, non excluſivo, quemadmodum dicitur Cant. IV. 1. *Quam pulcra es amica mea. . .* ABSQUE *eo, quod intrinſecus latet.* Aut loquitur Hieronymus ex aliorum magis, quam ſua mente. Vel noluit

hoc

hoc loco illas damnare mulieres, quæ pro ſervanda pudicitia ſe ipſas interimunt.

Objic. IV. E duobus malis minus eligere licet: atqui minus malum eſt ſe ipſum occidere, quia hoc caſu ſolum corpus perit, quam perdere animam. *Ergo.* 127

Resp. *Diſt. maj.* Quando non utrumque ſimul evitari poteſt. *Conc.* ſecus. Nego *maj.* Quando de oppoſito peccato agitur, ſemper utrumque evitari poteſt. Cum enim peccatum non niſi libero mentis conſenſu committatur: ille autem conſenſus nulli externæ coactioni, aut intrinſecæ neceſſitati ſubſit, ideo fingi non poteſt caſus, ubi ad evitandum unum peccatum aliud committi debeat, niſi in homine plene *perplexo*, quem potius delirum dixeris, quam modo humano operantem.

Objic. V. In communi hominum æſtimatione *vita & fama pari paſſu ambulant.* Atqui homo dominium habet in ſuam famam. Ergo etiam in vitam. 128

Resp. *Diſt.* Axioma, hoc ſenſu, quod ſicut homo habet jus ad defendendam vitam, ita & ad famam. Quemadmodum autem ſine juſta cauſa bonam famam nemo negligere poteſt, ſic nec vitam prodigere. Inſuper autem & vita reſpectu fa-

mæ ſuperioris eſt ordinis, & neque ad tuendam famam, vitam exponere licet: ſecus pleraque duella forent permiſſa.

129 Objic. VI. Homicidium ſolum prohibitum eſt, quando non adeſt juſta cauſa. Ergo ſicut proximum, ita & ſeipſum ex juſta cauſa, v. g. nequis amplius Deum offendat, occidere licet.

Resp. Nego ſuppoſitum, quod ulla fingi poſſit juſta cauſa ſeipſum interficiendi. Ne enim aliquis Deum porro offendat, per liberum arbitrium cum adjutorio Dei ſuppliciter invocato efficere poteſt.

130 Resolutio II. Homo habet dominium ſuæ famæ & honoris.

Prob. Competunt homini actus primarii Dominii circa ſuam famam & honorem; nam poteſt eam proprio labore acquirere: poteſt ejus reſtitutionem condonare: poteſt ſeipſum infamare ex juſta cauſa: v. g. ad petendum conſilium, ad ſui humiliationem & miſericordiæ divinæ exaltationem, qua ratione Paulus ſe blaſphemum fuiſſe, & Augustinus ſuas libidines publicis confeſſionum libris expoſuit. Non tamen hoc licet abſque rationabili cauſa. v. g. Si diffamatio ſui cederet in nocumentum alterius, puta, Patris, communitatis, Superioris: aut in ſcandalum; hinc

Eccli

Eccli XLI. dicitur : *Curam habe de bono nomine, & qui famam negligit, crudelis est.* Vid. etiam cap. 56. XI. Quæst. 3.

Objic. contra II. Resolutionem. Si homo esset dominus famæ, tunc ideo; quia potest ejus restitutionem condonare. Atqui ex hoc non probatur. *Ergo.* minor *prob.* quamvis possit homo restitutionem ob mutilationem membri remittere, inde tamen non sequitur, quod sit dominus membri. Ergo a pari. 131

Resp. Nego *min.* Ad *prob.* dico, cum homo habeat dominium *utile* membrorum, secundum hoc potest condonare restitutionem, quæ facienda esset ob læsum hoc dominium. Ceterum si membrum ipsum posset physice restitui, non posset illam restitutionem remittere, quia non est Dominus *directus* membri physice spectati.

Resolutio III. Competit homini ex justa causa in alium hominem dominium, non quidem vitæ & necis, sed *utile*, seu dominium proprietatis *imperfectum.* 132

Prob. I. pars. Si homo non posset licite alium habere in dominio proprietatis, tunc servitus repugnaret vel juri naturali, vel divino, vel humano, maxime Ecclesiastico. Atqui nulli repugnat. Ergo. *minor* prob. 1. homo jure naturæ habet do-

dominium ſuorum membrorum imperfectum ſeu utile: ergo poteſt illud per voluntariam ceſſionem, aut juſtam coactionem in alium transferre, ejusque ſe ſervum efficere. Hinc Levit. XXV. 44. & Exod. XXI. non improbatur modus, ſe alteri in ſervum vendendi.

133 Prob. II. In lege veteri, quæ utique divina erat, ſervorum fit frequens mentio: & Paulus I. Tim. VI. *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur... Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres ſunt; ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt.* Hinc patet, nec lege christiana generatim abrogatam eſſe ſervitutem; quamvis non deceat, ut chriſtianus ſerviat chriſtiano, ſervitute proprie tali. Ideo Paulus Onesimum fugitivum ſervum ad Dominum ſuum Philemonem remiſit, cum conſilio, non præcepto, manumittendi eum.

134 Prob. III. Jus Eccleſiaſticum ſæpe tractat de chriſtianorum ſervis, nec reprobat. Vide cauſ. XII. q. II. & tit. *de ſervis non ordinandis*, *de conjugio ſervorum* &c. Contrahitur autem ſervitus I. vel voluntarie, quando homo liber ſe tradit alteri in ſervum per venditionem: quod fecit Paulinus Epiſcopus Nolanus, ut filium viduæ redimeret, & ex voto faciunt PP. Trinitarii. Vel II. Juſta neceſſitate, puta nativi-

tivitate ex matre ſerva, quia partus ſequitur ventrem: jure belli: quod tamen inter chriſtianos invicem non obtinet; qui autem ab infidelibus capiuntur, ſervi fiunt. Cum enim infideles poſſent iis vitam adimere, cur non & libertatem? III. Per crimen: quorum varia recenſet, Cl. D. AMORT hic Quæſt. X. pag. m. 277.

QUÆRITUR, an juſto titulo ſervi effecti, 135
licite fugiant a ſuis Dominis?

RESPONDEO. Ordinarie non licet, niſi animæ, aut vitæ periculum immineat.

PROB. I. Ex Paulo I. Cor. VII. *Unusquisque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed & ſi potes fieri liber, magis utere.* II. Paulus ubique inculcat ſervis obedientiam. III. Ne quidem Religionis cauſa fugiendum eſſe ſanxerunt Concilii GANGRENSIS Patres. vid. cap. 37. 38. XVII. q. IV. Idipſum habetur lib. I. Cod. de ſervis fugitivis. „ Servum fugitivum ſui „ furtum facere, & ideo non habere lo„ cum nec uſucapionem, nec longi tem„ poris præſcriptionem, manifeſtum eſt. „ IV. Ratio eſt, non licet Dominum re ſua privare: atqui ſervus proprie talis, eſt res Domini, ergo. V. Admittunt Adverſarii, ſervum, qui ſe ipſum vendidit, non poſſe licite fugere: ergo nec bello

ju-

justo captus fugere potest; quia jure belli eodem modo fit res Domini, quo per venditionem; maxime cum ideo vitam ei donaverit Victor, ut servo uti posset. Hinc intercedit contractus innominatus: dono vitam, ut mihi, quamdiu voluero, servias. VI. Quod si hoc liceret, nulla in Dominos ex servitute redundaret utilitas; deberent enim Domini in fugitivis insequendis multas facere expensas, quæ sæpe superarent servorum opera & æstimationem. VII. Concedunt Adversarii, fugitivos non posse vi resistere Dominis insequentibus: ergo non habuerunt jus fugiendi; cum jus & obligatio reciproca sint.

136 Prob. II. pars Resolutionis tertiæ. Jus vitæ in innocentem soli Deo competit. II. Est contra jus naturæ; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Atqui nemo vult occidi, aut mutilari, aut dirissime haberi. III. Quoad occisionem, & mutilationem id vetitum est Exod. XXI. Quamvis autem illa lex esset ceremonialis, nitebatur tamen æquitate naturali. IV. Jure Romano §. I. Inst. *de his, qui sui vel alieni juris sunt*, Domino quidem competebat jus vitæ & necis in servos: id autem intelligendum est de impunitate. Imo §. II. eod. tit. hæc potestas fuit restricta, ut non liceat Dominis *sine causa* legibus cognita in servos suos ultra modum

dum sævire, ita quidem ut ex constitutione Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri debeat, quam qui servum alienum occiderit. Utrum subditi a Principe cogi possint ad militiam in bello offensivo, aut lucrativo, ex solo interesse privato familiæ: item an licita sit venditio integrarum legionum potentiis exteris, examinat D. AMORT, & negative resolvit, quoad gentes liberas.

OBJIC. I. contra III. Resolutionem. Servitus est contra jus naturæ, ergo non est licita. *Ant. prob.* §. *servitus* Inst. de jure personarum, dicitur: *servitus est constitutio juris gentium, qua quis Domino alieno contra naturam subjicitur.* 137

RESP. Dist. *ant.* est contra jus naturæ, *permissivum. Conc.* contra jus naturæ *prohibitivum.* Nego vel *dist.* est contra jus naturæ *primævum* in sua integritate & perfectione consideratum. *Conc.* est contra jus naturæ lapsæ, & variis miseriis subjectæ. *Nego.*

OBJIC. II. Jure naturæ omnes nascimur liberi. Ergo est contra naturam. 138

RESP. Jure naturæ permissivo nascimur liberi: at vero jus naturæ non prohibet, ne quis alterius dominio ex justa causa

sub-

ſubjiciatur, propter conſenſum gentium.

139 Objic. III. Servus bello etiam juſto captus licite fugit, & fugiendo priſtinum ſtatum libertatis adquirit, ergo. ant. prob. ex §. 17. Inſt. de rerum diviſione. *Si ſervi evaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt.*

Resp. Aut loquitur textus de ſervo, nondum quiete poſſeſſo, ſed qui poſt apprehenſionem ſtatim effugit: quemadmodum fera occupata, ſi ſtatim evaſerit, noſtra eſſe deſinit, & naturali libertati reſtituitur. Aut dico codicem derogare Inſtitutionibus. Jam autem lex codicis clara eſt pro mea reſponſione. Vid. tot. tit. ff. & cod. de ſervo fugitivo.

140 Resolutio IV. Judex eum, quem privatim certo ſcit innocentem, quamvis publice per falſa allegata videatur reus, condemnare non poteſt.

Prob. I. Judex nullo caſu innocentem *directe* interficere poteſt: atqui hoc caſu *directe* occideret innocentem, ut talem certo cognitum; eoquod pronuntiet ſententiam, ex qua *directe* ſequitur alterius occiſio: ſicut nocentem directe occidit, pronunciando contra eum mortis ſententiam.

tiam. *Ergo*. Major *prob.* hanc poteſtatem Judex nec habet a ſe ipſo, nec a Republica. *Ergo*. *Ant. prob.* non *a ſe*; quia vi juris naturalis occiſio innocentis injuſta eſt. Nec a republica, quæ, ut Adverſarii volunt, haberet dominium altum etiam in vitam ſubditorum propter bonum commune, quod ſubverteretur, ſi contra allegata & probata liceret judicare Nam quamvis Reſpublica habeat a Deo poteſtatem occidendi malefactores, ut patet contra Waldenſes Exodi XXII. *Maleficos non patieris vivere: qui coierit cum jumento, morte morietur.* Et ex Paulo Rom. XIII. *Si malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum operatur.* Et ex cap. 40. cauſa XXIII. q. 5. aliisque: nulla tamen ei competit poteſtas in vitam innocentis, propter expreſſam legis naturalis, & divinæ prohibitionem Exodi XXIII. *Inſontem & juſtum non occides. Prob. major* II. Quisquis juſte occiditur, a lege occiditur, ut ait S. AUGUSTINUS q. LXVIII. in Levit. Atqui nulla extat lex, innocentem occidendi. Non naturalis, non divina, ut patet. Non humana; ad vitam enim innocentis ſe extendere non poteſt, quia *non eſt poteſtas niſi a Deo*: atqui a Deo hanc non habet Reſpublica. Ergo injuſte occiditur innocens.

141 Prob. II. Judex in ferenda ſententia debet ſequi veritatem, dum haberi poteſt: hac deficiente allegata & probata *præſumuntur* eſſe vera. Sed ſi innocentem *cognitum*, qui publice allegatur nocens, condemnaret, non ſequeretur veritatem, ſed falſitatem ſibi cognitam, quæ publice tunc videretur veritas. *Ergo.*

Respondent Adverſarii, Judicem debere ſequi veritatem *publicam*, quæ habetur ex actis, non autem *privatam.*

Contra eſt. Falſitas, quamvis publice videatur veritas, nunquam tamen eſt *veritas*, niſi *apparens*; nam veritas eſt conformitas actus cum ſuo objecto: atqui ex eo, quod teſtes publice dicant falſum, ipſum aſſertum non poteſt fieri conforme objecto. *Ergo.* Hinc dicit Deus Exodi XXIII. *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.* Deviaret autem a vero judex & plurimorum acquieſceret ſententiæ, quos certo ſciret mentiri.

142 Prob. III. Ex damnata ab Innocentio XI. propoſitione certum eſt, quod Judex non poſſit ſequi ſententiam minus probabilem, relicta illa, quæ ipſi videtur probabilior: atqui Judici non ſolum probabilior, ſed certa prorſus eſt ſententia, hunc eſſe innocen-

nocentem. Ergo non poteſt ſequi opinionem oppoſitam.

RESPONDENT Adverſarii. Judex debet ſequi ſententiam, quæ ipſi non privatim, ſed ex actis eſt probabilior: hæc autem noſtro caſu eſt contra reum.

CONTRA. Falſum eſt, quod judex debeat ſequi illam ſententiam, quæ ipſi ex actis NB. *falſis* videtur probabilior; nam ea quæ juris ſunt, ipſus ſupplere debet, ex leg. un. cod. ut ea, quæ deſunt Advocatis partium, judex ſuppleat. *Non dubitandum eſt, Judicem, ſi quid a litigantibus, vel ab his, qui negotiis aſſiſtunt, minus fuerit dictum, id ſupplere & proferre, quod ſciat legibus & juri publico convenire.* Sic ſi aliquis per legitimos teſtes convictus fuerit, non oppoſita exceptione contra teſtes, Judex ex officio illos ſic cognitos repellere debet.

PROB. IV. Ut quis juſte condemnari va- 143
leat, debet *judici* probatus eſſe nocens: ſed ille, quem privatim ſcit certo innocentem, non poteſt *judici* probari nocens. Ergo non poteſt ab eo condemnari. *Min. prob.* Probatio juxta omnes, eſt actus judicialis, quo *Judici* de facto controverſo fides fit: adeoque debet ſcire, vel moraliter certo credere, talem eſſe nocentem. Sed quem Judex certo ſcit innocentem,

non poteſt credere nocentem. Ergo non poteſt Judici probari nocens.

RESPONDENT Adverſarii *Diſt.* inter ſcientiam, ſeu, fidem *publicam*, & *privatam*, ajuntque, non iſtam, ſed illam Judici ſequendam eſſe.

144 CONTRA. Judex debet judicare ſecundum dictamen ſuæ conſcientiæ ; *cum omne, quod non eſt ex fide*, ſeu, conſcientia, *peccatum ſit.* cap. ult. de Præſcript. & debet *ex animi ſui* ſententia æſtimare, quid aut credat, aut parum *ſibi* probatum opinetur. leg. 3. §. 2. ff. de teſtibus. Ergo licet ex allegatis falſis publicis publica oriatur ſcientia, vel fides *aliis* : non tamen id JUDICI, cui SOLI facienda eſt probatio, verum videri poterit, quod certo falſum novit. Quæro inſuper, in quo conſiſtat illa fides publica ? an in eo, quod judex credat, hoc teſtes dixiſſe ? Hoc autem non credit, ſed phyſice ſcit. An in eo, ut ſibi perſuadeat, teſtes dixiſſe verum ? ſed hoc eſt impoſſibile, propter contrariam certitudinem. Aut forte fingere debet, ſe dictis teſtium credere ? ſed fictiones ſine aperto textu non procedunt ; maxime, quando agitur de vita innocentis.

145 PROB. V. Si ex allegatis publicis quædam probetur alterius uxor, cum non ſit, per ſententiam tamen ut talis declaretur ;

tur; non poteſt vir ad eam, quam privatim certo ſcit non ſuam, accedere, ſed potius ferre debet cenſuras Eccleſiaſticas, juxta cap. XIII. de reſt. ſpoliat. & cap. XLIV. de ſent. excom. Et hoc ideo; quia fornicatio eſt intrinſece mala. Ergo nec Judex condemnare poteſt publice allegatum nocentem, quem privatim ſcit certo innocentem; quia occiſio innocentis eſt intrinſece mala.

Respondent Adverſarii, diſparitatem eſſe; quia conjuges utuntur matrimonio ut perſonæ *privatæ*, conſequenter *privatam* notitiam ſequi debent. Judex vero cum ſit perſona *publica*, etiam notitiam *publicam* ſequi debet.

Contra. Juxta Adverſarios, ut ſervetur 146
ordo judicialis, debet judex in ferendo & pronuntiando ſententiam ſequi notitiam *publicam* contra propriam conſcientiam: ergo etiam Partes litigantes in exequendo ſententiam, deberent ſequi *publicam* illam notitiam ex actis falſis hauſtam, etiam contra propriam conſcientiam, cum ſit mutua relatio inter imperantem, & obtemperantem. Atqui ſequela falſa eſt. Ergo & prius. Inde a contrario potius infero. Ob privatam ſcientiam poſſunt Partes contravenire ordini judiciali, ad quem maxime executio ſententiæ pertinet. Ergo etiam hoc poteſt Ju-

dex, eoquod utrumque ſit intrinſece malum.

147 Si autem, ut quidam Adverſarii volunt, in hoc caſu propter bonum commune, & ad ſervandum ordinem judiciarium, Deus ut vitæ & necis Dominus tribuat jus in vitam innocentis: cur non etiam ex eadem ratione tribuit jus in corpus non ſuæ; cum æque ſit Dominus corporum, ut conſtat ex Oſea propheta, cui præcepit, ut faceret ſibi filios fornicationum, tribuendo jus in corpus meretricis? atqui in caſu priore Deus hoc jus non tribuit ob bonum proceſſus judiciarii. Ergo neque in vitam innocui.

148 Prop. VI. Præcipua Adverſariorum ratio eſt, quod boni publici maxime interſit, hoc caſu ſervari ordinem judiciarium; quia ſi ſemel liceret Judici ſequi ſcientiam *privatam* contra allegata *publica*, plures alii anſam arripere poſſent ſub prætextu privatæ ſcientiæ vere nocentes abſolvendi, in maximum reipublicæ detrimentum. Atqui hæc ratio nulla eſt. Nam 1. Minus malum eſt, abſolvere plures nocentes, quam damnare unum innocentem. 2. Cum hic caſus ſit rariſſimus, & tantum non methaphyſicus, periculum erit valde remotum. Judex enim inferior, de quo uno ſermo eſt, vix audebit abſolvere nocentem, quia timere debet, ſe a ſupe-

riore

riore graviter puniendum, & officio privandum. 3. Fatentur Adverſarii, noſtram ſententiam eſſe Judici admodum gravem & moleſtam: non eſt ergo periculum, ut ea facile quis abutatur. 4. Si quis Judex corruptus velit parcere vere reo, facile in promptu habebit alia media, quibus ei occaſionem evadendi præbere poſſit.

Prob. VII. Ideo juxta Adverſarios ſcien- 149
tia ſua uti non poteſt Judex, quia privata eſt, quæ non influit in ordinem judiciorum. Atqui hæc ratio nulla eſt. *Ergo.* minor *prob.* 1. quamvis privata ſcientia non poſſit fundare poſitivam abſolutionem, influit tamen eatenus, ut contrariis allegationibus & teſtimoniis fidem habere non poſſit, & ſententiæ negativæ, ſibi contra reum non fuiſſe legitime probatum, locum facere. *Ergo.* 2. Quamvis unus teſtis ad ferendam ſententiam non ſufficiat, contrarias tamen probationes, alias plene probaturas, ita infringit, ut judex declarare poſſit, contra reum non fuiſſe plene probatum, eumque ab inſtantia abſolvere queat. Atqui notitia hujus teſtis non minus *privata* eſt, quam judicis: ergo eundem effectum habebit notitia privata Judicis; cum de ea ſit certior, quam de ſcientia teſtis. 3. Poteſt judex, fatentibus Adverſariis, teſtes contrarios monere de ſua privata ſcientia, ut eos a

ferendo teſtimonio hac ratione abſterreat. Ergo ſcientia privata judicis influit. 4. Poteſt etiam reum remiſſiore tenere in cuſtodia, & occaſionem fugæ præbere: quod ſecus non liceret. Ergo privata hæc ſcientia aliquid operatur in Judice. 5. Duorum teſtium, quamvis privata ſolum notitia, ſecundum Adverſarios contra Innocentem valet: cur non valebit notitia judicis, quamvis privata, pro eodem, ſaltem ad infringendum robur teſtimonii contrarii?

150 Objic. I. contra IV. Reſolutionem. Judex non poteſt ferre ſententiam ut perſona privata. Sed ſi in noſtro caſu abſolveret, ferret ſententiam, ut perſona *privata*, ex privata ſcientia, cui allegata publica ſunt contraria. *Ergo.*

II. Non poteſt confeſſarius uti privata notitia ſacramentali. Ergo nec judex privata notitia: quia uterque agit diſtinctam perſonam.

Resp. ad I. Nego *min.* ſed abſolvit ut *judex*, *cui* de delicto non potuit fieri fides, ob ſcientiam contrariam.

Resp. ad II. Nego *conſ.* Diſp. eſt, quia ſigillum ſacramenti eſt prorſus aliquid ſingulare, & ita a Deo inſtitutum, ut ſcientia illa potius *divina*, quam *humana*, nullo modo nec in favorem, nec in præjudi-

judicium alicujus uti liceat. Sic si Maritus v. g. sacerdos græcus, ex confessione suæ uxoris resciret nullitatem sui Matrimonii, cohabitare tamen teneretur, quod est aliquid prorsus singulare. Notitia vero Judicis tam privata, quam publica, tota humana est; nec ulla lege prohibitum est, quin possit etiam privata scientia uti.

Objic. II. Datur casus, quo Judex sciens 151
tenetur injustam sententiam exequi, ita postulante ratione boni publici, & ordinis Judiciarii. Ponam enim Titium condemnatum fuisse ad solvendum Sempronio debitum ex mutuo. At postquam sententia transiit in rem judicatam, reperitur apocha, qua de solutione jam prius facta constat. Sempronius nihilominus instat apud judicem pro executione sententiæ latæ. Ille ad hoc tenebitur ex cap. XIII. de sent. & re Jud. Nova enim instrumenta reperta executionem non remorantur. Leg. 4. Cod. de re judicata. Ergo a pari de ferenda sententia.

Resp. Postquam sententia transiit in rem judicatam, non potest amplius judici probari facta solutio, & injustitia materialis sententiæ latæ; nam instrumenta noviter post rem judicatam reperta, non amplius attenduntur; & ideo, cum injustitia sententiæ Judici probari non possit, præ-

ſumitur vera, quia ante ſententiam ita judici probatum fuit. In noſtro autem caſu judici nunquam probatum fuit, illum eſſe reum.

152 Objic. III. Judex ordinarius ſententiam a delegato latam exequi debet, etiamſi ſciat illam eſſe injuſtam cap. XXVIII. V. *quia vero.* de officio ad poteſt. Jud. deleg. Ergo etiam Judex ſecundum allegata & probata ſententiam ferre debet, etiamſi privatim ſciat contrarium.

II. Judex in cauſa coram ſe pendente compertum forte habet inſtrumentum, ex quo ſententia ferenda foret: Pars vero in ſui favorem illud non producit, aut eodem caret. Hoc caſu Judex, cum ea, quæ facti ſunt, ſupplere non poſſit, in favorem partis inſtrumentum producere non poteſt; & ſic contra eam judicare debet, etiamſi illam ſciat innocentem. Ergo a pari.

Resp. ad I. Cum in negotiis forenſibus raro haberi poſſit vera & *phyſica* ſcientia, ſed tantum *moralis*, ex præſumptionibus orta, ideo nomine *ſcientiæ* in dicto cap. intelligenda erit *præſumptio*, ut ſenſus ſit: etiamſi Judex ordinarius *præſumat*, ſententiam fuiſſe injuſte latam, exequi tamen debebit. Rationem dat ipſe textus: *quod non cognitio, ſed executio tantum demanda-*

tur

tur eidem. Ideoque judicium ſuum debet ſubmittere judicio delegati, & præſumere, quod non habeat perſpectas omnes circumſtantias, quæ delegatum promovere potuerunt ad ferendam juſte ſententiam; præcipue, cum pars læſa appellare potuiſſet, & hoc ipſo, quod ſententiam permiſerit in rem judicatam tranſire, præſumitur, quod etiam ipſa agnoverit juſtitiam ſententiæ. Quod ſi vero evidenter ſciret injuſtitiam ſententiæ, notum eſt, non poſſe inferiorem obedire ſuperiori injuſta mandanti. cap. V. *de Reſcript.* cap. VIII. *de Prob.* cap. LIV. §. *nos igitur. de Appellat.* cap. II. *de Crim. falſi.* leg. VII. Cod. de prec. Imp. offerendis.

Resp. ad II. Si inſtrumentum, ex quo decidenda foret cauſa, penes judicem exiſtat, tunc ex æquitate tenebitur illud proferre, ne innocens damnetur. Si vero aliunde ſciat, inſtrumentum fuiſſe erectum, tunc illud nihil probat, quia inſtrumenta debent in judicio produci, a partibus recognoſci, & legaliter examinari: ſecus judex de inſtrumenti veritate certus eſſe non poteſt. Ceterum judici ſemper prohibetur, ne parti per modum Advocati patrocinetur.

Objic. IV. Lex in præſumptione juris, 153
ſeu periculi communis fundata, etiam obligat in particulari caſu, ubi præſumptio fal-

fallit: atqui Judicem debere ſententiam ferre ſecundum allegata & probata, & procedere ſervato ordine juris, eſt lex in præſumptione juris fundata, ob commune periculum, ne ſecus Judex ob prætextum notitiæ privatæ nocentibus faveat. Item ſententiam ſecundum allegata latam, eſſe juſtam, præſumtio juris eſt: ergo etiam in particulari caſu, licet præſumptio fallat, ſervanda eſt.

Resp. *Diſt. maj.* Si lex obſervari poſſit ſine peccato mortali. *Conc.* ſecus. *Nego.* Inſtantia eſt in caſu. n. 145. licet enim pro favore talis Matrimonii & pro juſtitia ſententiæ ſtet præſumptio juris, non poteſt tamen Maritus parere ſententiæ, quia ſine peccato mortali fornicationis cohabitare non poteſt. Ceterum jactatum commune periculum jam ſupra everti n. 148. Verum quidem eſt, ſententiam ſecundum allegata latam eſſe juſtam, in præſumptione fundari: ſed notum quoque eſt, præſumptionem cedere veritati. Licet ergo allegatus reus, præſumatur reus; hæc tamen præſumptio apud Judicem locum habere nequit, cui veritas de Innocentia ejusdem perſpecta eſt, & cui conſequenter nunquam potuit probari nocens.

154 Objic. V. Non poteſt judex condemnare eum, quem privatim ſcit nocentem, ſi

ſi publice allegetur innocens : ergo nec abſolvere, quem ſcit innocentem.

II. Eſt etiam contrarius D. THOMAS 2. 2. Quæſt. LXIV. art. 6. & LXVII. art. 2.

RESP. ad I. Nego *conſ.* Diſparitas eſt; *quia jura* ſunt proniora ad abſolvendum, quam condemnandum. Dein abſolutio nocentis non eſt intrinſece mala, ſicut occiſio innocentis.

RESP. ad II. Sit, S. THOMAM hic docere contrarium; at quoniam bene multi Thomiſtæ ab eo hoc in capite recedunt, id mihi quoque nemo vitio vertet. Quin & liceat dicere D. THOMAM ſibi ipſi hac in materia adverſari; docet enim locis citatis, non poſſe carnificem ſententiam exequi contra eum, quem certo ſcit innocentem: & tamen poſſe Judicem talem condemnare; cum utique occiſionis innocentis cauſa *principalis moralis* ſit judex, non carnifex, illeque *directe* præcipiat innocentem occidi, quem *phyſice* occidit carnifex.

§. II.

De ſubjecto Dominii.

DOMINIUM competit omni & ſoli creatu- 155
ræ intellectuali, cum hæc ſola poſſit

gau-

gaudere facultate, de re ſua libere diſponendi. Porro a jure dominii excluſos non fuiſſe homines per peccatum originale, conſtat ex Pſal. CLIII. *Terram autem dedit filiis hominum.* Varie in hac materia errarunt hæretici. I. Poſt medium ſæculi III. qui ſe dicebant *Apoſtolicos*, præter alios errores & hunc propugnabant, non licere chriſtiano bona temporalia poſſidere, minime autem Eccleſiæ miniſtris: & qui non omnibus renunciaverit quæ poſſidet, non poſſe eſſe diſcipulum Chriſti, nec ſpem habere ſalutis.

156 II. Eccleſiaſticorum bonis ſæculo XII. maxime ſe infenſum præbuit, hocque modo popularem auram captare ſtuduit ARNOLDUS Brixienſis, Petri ABAELARDI diſcipulus, cujus in Clerum furores eleganti carmine cecinit Guntherus Ligurinus lib. III. de geſtis Friderici I. Imperatoris apud REUBERUM pag. m. 525.

Cujus origo mali, tantæque voraginis autor
Extitit Arnoldus, *quem Brixia protulit ortu*
Peſtifero, tenui nutrivit Gallia ſumtu,
Edocuitque diu: tandem natalibus oris
Redditus, aſſumta ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans dente, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipſumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam ſceleratаque dogmata vulgo
Diſ-

Diffundens, vanis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos, & prædia nulla
Jure ſequi Monachos, nulli fiſcalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda.
Illis primitias, & quæ devotio plebis
Offerat, & decimas caſtos in corporis uſus,
Non ad luxuriam, ſive oblectamina carnis
Concedens, mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitos que jocos, laſcivaque gaudia Cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachos que ſuperbos.
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta monebat.
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falſa probans: quia tantum falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei, certumque tenorem
Non ſatis exacta ſtolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiſcens toxica verbis.
Ille ſuam vecors in Clerum, Pontificemque,
Atque alias plures adeo commoverat urbes,
Ut jam ludibrio ſacer, extremoque pudori
Clerus haberetur: quod adhuc (ni fallor) in illa
Gente nocet, multumque ſacro detruncat honori.
* * * * *Nil Juris in hac re*
Pontifici ſummo, modicum concedere Regi
Suadebat populo: ſic læſa ſtultus utraque
Majeſtate, reum geminæ ſe fecerat Aulæ.
Unde etiam tandem (neque enim reor eſſe ſilendum,

Nec

Nec de funesto repetatur postea sermo)
Judicio Cleri, nostro sub Principe victus,
Adpensusque cruci, flammaque crepante solutus
In cineres, Tyberine tuas est sparsus in undas.
Ne stolidæ plebis, quam fecerat improbus, error
Marytris ossa novo, cineresque foveret honore.

157 III. Eodem sæculo WALDENSES docebant, decimas Ecclesiis solvendas non esse, eo-quod Ecclesiæ primitivæ non solverentur: illicitum esse Clericis possessiones habere, & præbendas. Episcopos & Abbates regalia habere non posse: malum esse, fundare & dotare Ecclesias & claustra: non esse condenda pro Ecclesiis testamenta: nullum Ecclesiæ censualem fieri debere: Clericos omnes manibus operari debere, ne eleemosynis viverent, exemplo Apostolorum. Errores isti non male sonant in auribus quorumdam pseudo-politicorum, quibus adeo exosæ sunt *mortuæ*, quas dicunt, *manus.*

158 IV. Sæculo XIV. WICLEFUS sequentia docuit. prop. 15. inter damnatas a Concilio CONSTANTIENSI. Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali: prop. 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu, delinquentibus. prop. 17. Deci-

mæ

mæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum eas auferre. prop. 32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti. prop. 33. Sylveſter Papa & Conſtantinus M. Imp. errarunt Eccleſiam dotando. prop. 36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſiones habentibus ſunt hæretici, eoquod poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & ceteri Laici. prop. 39. Imperator & Domini ſæculares ſunt ſeducti a diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus. prop. 44. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerunt de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic a Papa usque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici. Alias quoque propoſitiones Parlamento Anglicano propoſuit, a Rege tamen Richardo II. rejectas. Ordine quinta ita habebat: „ Quod „ Regni communitas non oneretur tallagiis inſuetis, antequam totum patrimonium, quo Clerus dotatur, deficiat. Patet, quia omnia iſtis ſunt bona pauperum, charitative exponenda ad eorum egentiam, vivente Clero in perfectione primariæ paupertatis. „ Propoſitionem Wiclefi decimam quintam renovavit Huſſus ſæcul. XV.

Hic ergo agendum I. de dominio Christianorum. II. Ecclesiasticorum. III. Peccatorum & Infidelium.

159 Resolutio I. Christiani sunt capaces Dominii rerum temporalium. *Contra Apostolicos.*

Prob. I. Nullo jure Christianis prohibetur possidere res temporales. *Ergo. Ant. prob.* Non jure naturali, ut est evidens; hoc enim permittit omnibus, nec illud lege christiana fuit abrogatum vel limitatum. Non jure divino; nam Christus hoc in capite jus naturæ non correxit: sicut enim in lege veteri sanctissimi quique viri Adam, Patriarchæ, David, Salomon, maximas possederunt divitias, ita etiam in nova lege discipulis Christi adnumerati sunt homines bene habentes, ut constat de Josepho ab Arimathæa, qui prædicatur ut dives, & discipulus tamen erat Jesu Math. XXVII. 5. Ita quoque Lazarus & ejus sorores cum jam Christi amplexi essent legem, adhuc possidebant Castellum, & Christo in amoribus erant. Apostoli quoque, etsi sponte omnibus renuntiarent, tamen circumducebant mulieres christianas, quæ de suis facultatibus ipsis ministrabant. Denique dicetur in extremo Judicio electis. *Venite . . . esurivi, & dedistis mihi manducare, bibere: collegistis me, cooperuistis me.* &c. Math. XXV.

Quæ

Quæ omnia quomodo facere potuiſſent, niſi juſtis ex laboribus, atque ex privatis facultatibus, jure comparatis, ea præſtitiſſent? ut ratiocinatur S. EPIPHANIUS hæres. LXI. Patet hoc quoque ex primis chriſtianorum perſecutionibus, ubi Chriſtiani ab Ethnicis plerumque bonis omnibus ſpoliabantur: quod evidenti argumento eſt, eos bona temporalia patrimonialia poſſediſſe, ſine affectu quidem, ſed cum animo, ſe & pauperes inde ſuſtentandi: quod & præſtiterunt inſigni cum charitate; ſecus præceptum eleemoſynæ fuiſſet a Chriſto abrogatum. Scripſit pro hoc argumento S. AUGUSTINUS Epiſt. CLVII. olim LXXXIX. in Pſalm. LI. & S. EPIPHANIUS loc. cit.

OBJIC. I. Chriſtus neminem pro diſcipulo agnovit, qui non renunciaverit omnibus, quæ poſſidet. Luc. XIV. 33. Ergo chriſtiani nihil proprii poſſidere poſſunt. 160

RESP. Aut loquitur ibi Chriſtus de perfectione ſingulari, ad quam non ex præcepto, ſed ex conſilio quidam libere ſe adſtringunt: aut intelligi debet de renuntiatione *quoad affectum*, non autem quoad dimittendam realem poſſeſſionem. Aut etiam dedit præceptum perſonale ſuis Apoſtolis; qui, cum eſſent in orbem univerſum mittendi ad prædicandum Evangelium, id exequi non potuiſſent, niſi re-

bus omnibus renuntiaſſent. Certe etiam ibidem dixit Chriſtus: *ſi quis venit ad me, & non odit Patrem &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus*: ubi intelligi debet: ſi quis Patrem & cognatos plus quam Chriſtum dilexerit, quod ipſe explicat Math. X. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non eſt me dignus* &c.

161 OBJIC. II. Dixit etiam Chriſtus Math. XIX. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum cælorum.* Ex quo inferebant Apoſtolici: quod impedit chriſtianum a Regno cœlorum, idque reddit impoſſibile adeptu, habere non licet chriſtiano: atqui divitiæ & poſſeſſio bonorum impedit a Regno cœlorum. Ergo.

RESP. Voluit Chriſtus ſolum docere, *difficile* eſſe, ut divites, propter affectum, quem communiter habere ſolent inordinatum, ſalventur. Quod vero impoſſibile non ſit per gratiam, exponit ipſe. Nam cum diſcipuli illo reſponſo perterriti interrogarent: *quis ergo poterit ſalvus eſſe*? reſpondit: *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Certe ſcimus, multos divitiis bene uſos, & cœlum iis ſibi coëmiſſe. Lazarus mendicus ab Angelis deportatus eſt in ſinum Abrahæ divitis.

OBJIC.

Objic. III. Primi christiani vendidere suas facultates, & pretium detulerunt ad Apostolos Act. II. utique propter Christi præceptum.

Resp. Christiani Jerosolymitani id non 162
fecerunt ex præcepto, sed consilio Apostolorum, studio majoris perfectionis. Item, quoniam per prophetiam noverant, christianos brevi esse dispergendos, & civitatem destruendam, volebant se rejectis impedimentis præparare ad fugam, ut observat S. Thomas lib. III. contra gent. cap. CXXXV.

Objic. IV. Ananias & Saphyra cum 163
partem pretii de agro vendito sibi reservassent in proprietatem, morte puniti sunt. Act. V.

Resp. Puniti fuerunt propter mendacium, & violationem voti, quod antea fecerant Deo.

Objic. V. Math. XIX. & Marci X. Ac- 164
cedens quidam ad Jesum ait illi: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondens Jesus exposuit ei præcepta decalogi, quæ cum ille omnia se observasse a juventute affirmaret, Jesus intuitus eum dilexit, & dixit ei: *unum tibi deest: vade & quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in*

cœlo, & veni & sequere me. Qui contristatus in verbo abiit mœrens, erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus ait discipulis suis: filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Ex quo ita infertur: hic dives servarat omnia præcepta, propterea etiam dilectus a Christo: & tamen unum ei deerat, nempe, ut relinqueret omnia. Ergo christiani nihil possidere possunt.

Resp. *disting.* Unum adhuc ei deerat, ad vitam æternam consequendam. *Nego.* Ad singularem perfectionem obtinendam. *Conc.* Nam observante Augustino Epist. CLVII. non dixit Christus: *si vis venire ad vitam,* vende omnia &c. sed, *serva mandata.* Si autem *vis perfectus esse*, vade, *vende*, & sequere me: quod fecerunt Apostoli: nec tamen omnibus Christianis fuit præceptum, etsi consilium omnibus datum fuerit. Dici etiam potest, illum juvenem nimio affectu suis divitiis fuisse affixum, & ab amplectenda lege christiana impeditum: quo casu utique divitiæ plus diliguntur, quam Deus; & ita mortaliter peccatur.

165 Resolutio II. Ecclesiastici bona temporalia possidere possunt. *Contra Arnoldistas, Waldenses & Wiclefum.*

Prob. I. Jure naturali quisque possidere potest res temporales: atqui ab hoc jure

non

non eximuntur viri Ecclesiastici per sacros ordines. Ergo. minor *prob.* non extat circa hoc præceptum Christi, vel Ecclesiæ. Si enim extaret præceptum Christi, tunc illud Math. X. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, nec peram in via, neque duas tunicas, neque virgam.* Atqui hoc præceptum intentum hæreticorum non evincit. *Ergo.* minor *prob.* Nam Christus ibi tantum voluit, ut Apostoli, dum actu exibant ad prædicandum, non deberent de iis rebus providere, eoquod ii, quibus annuntiaturi essent Evangelium, necessariam sustentationem subministrare deberent. Hinc addit: *dignus est enim operarius mercede sua.* Atque ideo dixit Luc. XXII. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil. dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Ideo & D. THOMAS 1. 2. q. CVIII. a. III. ad 3. observat, hoc præceptum fuisse tantum *personale* & *temporale.* Pluribus autem hoc argumentum pertractat S. AUGUSTINUS lib. II. de consensu Evangelistarum cap. XXX. ubi verba Christi exponit, & nostram resolutionem probat in hunc modum: „ Unde satis ostendit, cur „ eos hæc possidere ac ferre noluerit; non „ quod necessaria non sint sustentationi hu„ jus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut „ eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis,

„ quibus Evangelium credentibus annun-
„ tiarent, tanquam ſtipendia militantibus,
„ tanquam fructum vineæ plantatoribus,
„ tanquam lac gregis paſtoribus. Unde
„ Paulus dicit I. Cor. IX. *Quis militat*
„ *ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vi-*
„ *neam, & de fructu ejus non edit? quis pa-*
„ *ſcit gregem, & de lacte gregis non percipit?*
„ hinc enim loquebatur de iis, quæ ne-
„ ceſſaria ſunt prædicatoribus Evangelii:
„ unde paulo poſt dicit: *Si nos vobis*
„ *ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi*
„ *carnalia veſtra metamus? Si alii poteſtatis*
„ *veſtræ participant, non magis nos? ſed*
„ *non ſumus uſi hac poteſtate.* Unde appa-
„ ret, hæc non ita præcepiſſe Dominum,
„ tanquam Evangeliſtæ vivere aliunde non
„ debeant, quam eis præbentibus, quibus
„ annuntiant Evangelium: alioquin con-
„ tra hoc præceptum fecit idem Apoſto-
„ lus, qui victum de manuum ſuarum la-
„ boribus tranſigebat, ne cuiquam gravis
„ eſſet: ſed poteſtatem dediſſe, in qua
„ ſcirent ſibi iſta deberi. Cum autem a
„ Domino aliquid imperatur, niſi fiat:
„ inobedientiæ culpa eſt: cum autem po-
„ teſtas datur, licet cuique non uti, &
„ tanquam de ſuo jure cedere. . . Cum
„ itaque dicit Paulus, ita Dominum or-
„ dinaſſe, ſe autem uſum non eſſe; uti-
„ que oſtendit, utendi poteſtatem datam,
„ non impoſitam ſerviendi poteſtatem. „

Prob.

Prob. II. Duplicis generis ſunt bona Ec- 166
cleſiaſticorum: 1. Patrimonialia, ſeu propria: 2. Eccleſiaſtica, quæ intuitu ſpiritualis functionis percipiunt: atque utraque poſſidere poſſunt. *Ergo.* minor *prob.* quoad 1. Ab horum poſſeſſione nullo jure prohibentur, cum juri naturæ per ordinationem nec ſponte, nec coacte renuntiaverint, & laici libenter in eorum bona ſuccedant, tanquam legitime antea a Clericis poſſeſſa. Minor *prob.* quoad 2. Congrua ſuſtentatio debetur Eccleſiæ Miniſtris, ſicut eadem debetur Miniſtris Reipublicæ: & illis quidem potiori jure, quia præcipuæ ſunt religionis partes, ob finem nobiliorem. Jam autem, ſi Clericis non liceat poſſidere bona Eccleſiaſtica, debet iis aliunde provideri. Qua autem ratione, his maxime temporibus? Verum de æquitate Chriſtianorum Principum ſperare fas eſt, quod a pientiſſimis anteceſſoribus conceſſa, aliove juſto titulo adquiſita Bona Clericis eripere nolint: quidquid maligna nonnullorum forte moliantur conſilia.

Prob. III. Quando Eccleſia adhuc in ſui 16
puritate fuerat conſtituta, ut neque Proteſtantes negant, ſuos habuit fundos & poſſeſſiones etiam ante Constantinum M. ut conſtat ex Eusebio lib. II. de vita Conſtantini M. cap. 39. 41. & lib. X. H. E. cap. 5. Ubi refert Decreta hujus Impe-

ratoris, quibus bona, Ecclesiis olim erepta, restitui iisdem jubet. Denique Christus ipse loculos habuit, in suam, suorum, ac pauperum necessitatem. Vid. S. AUGUSTINUS Tract. L. in Joan. & Tract. LXII. Apostoli bona a primis fidelibus oblata administrabant, sibi ac aliis inde providentes: utique legitimi possessores.

168 OBJIC. I. In veteri lege Sacerdotes & Levitæ exclusi erant a possessionibus, & divisione terræ sanctæ, ut constat ex Num. XVIII. 20. & vivere jubebantur ex primitiis & oblationibus. Idem repetitur Deuteron. XVIII. Ergo multo minus possidere quid possunt Ecclesiæ Christianæ Ministri.

RESP. Tribum Levi exclusam fuisse a distributione terræ, ita ut determinatam partem, seu, provinciam non obtinuerit: non autem exclusam a possessionibus intra varias tribus; habebant enim suas villas, domos, & agros in civitatibus, in quibus habitabant, & dicebantur civitates *refugii*, seu, *asyli*. Ceterum Primitiæ & oblationes cedebant in eorum peculium. Hinc BARNABAS, quamquam Levita, possedit tamen agrum, cujus divenditi pretium dedit Apostolis Act. IV. Ratio autem, cur tribus Levi non habuerit portionem propriam, erat, quia erant dispergendi per omnes Provincias.

OBJIC.

Objic. II. Bona temporalia maxime immobilia, ab Ecclesiasticis possessa, sunt in præjudicium reipublicæ; nam

I. Clerici prætendunt immunitatem realem, ita, ut bona illa nihil contribuant ad supportanda onera communia Reipublicæ.

II. Bona mobilia ita a Clericis reconduntur, ut nihil inde in publicam utilitatem dimanet: cum tamen eædem pecuniæ, si in manibus Laicorum forent, per modum sanguinis in corpore humano, ita in corpore politico circuirent ad singula membra status. Hinc merito dicuntur manus *mortuæ*, quæ nihil conferunt.

III. Opes a Clericis possessæ tantum serviunt eorum luxui, avaritiæ, ingluviei.

IV. Decedit pauperibus, adeoque Reipublicæ, his hominibus maxime gravatæ, quidquid a Clericis possidetur, & in superfluos usus plerumque expenditur.

V. Clerici deberent vivere more Apostolorum, quorum se successores jactant, qui dicebant: *habentes alimenta, & quibus tegamur. His contenti simus*. 1. Tim. VI. 8.

VI. Nihil boni reipublicæ conferunt, suis tantum utilitatibus & commodis intenti:

tenti: ergo juſtum non eſt, ut ex Reipublicæ bonis tam laute & ſplendide ſuſtententur. Ut nihil dicam, de invectivis adverſus Eccleſiæ ornatum.

Resp. ad I. Nego. *ant.* Utique prætendunt Clerici illam immunitatem realem, & cum jure, ſi non divino, ſaltem humano, toties ab Imperatoribus, & Principibus Religioſiſſimis conceſſo & confirmato. Neque tamen hodie ſe ſubducunt oneribus communibus ſupportandis, exactionibus, & præſtationibus tam ordinariis, quam extraordinariis, præ ceteris civibus gravati. Imo in neceſſitatibus publicis quis ærario Principis, quis annonæ caritati, alendis pauperibus, etiam nobilibus, magis ſuccollat, quam Eccleſiaſtici, non dicam ſæculares, qui de patrimonio Chriſti familiam ſuam non raro ditant, ſi ſint frugales: aut . . . ſed Religioſi?

Resp. ad II. Non ita reconditæ ſunt Cleri opes, ut non auri ſacra fames, quæ orbem univerſum depaſcit, etiam in has fodinas penetraverit, easque pene expilaverit, aut proxime expilatura ſit. Experientur autem poſteri, quid reipublicæ poſtmodum ſuperfuturum ſit, ubi exhauſta ſemel fuerint Eccleſiaſticorum repoſitaria, ceu tuta ſemper egentium aſyla. Quid in Reipublicæ utilitatem ex bonis Eccleſiaſticorum redundet, ſciunt Principes,

pes, qui exigunt ſteuras. Norunt opifices: experiuntur pauperes. Fingam autem, omnia quæ a Clero hodie poſſidentur, eſſe in manibus alienis: quid inde fieret? vereor, ut cito extra provinciam redditus omnes exportentur pro mercibus & nugis extraneis: nec ſupererunt niſi debita, opificibus, viduis, pupillis, ad græcas calendas reddenda. Enimvero tunc egregie cautum erit reipublicæ, proviſum principi: qui pauperrimus ſit neceſſe eſt, quando nihil amplius ſubditi præſtare poſſunt.

Resp. ad III. Non nego, quosdam Clericos opibus ſuis abuti: Horum patrocinium non ſuſcipio. Dicam §. ſequenti, Clericos bonorum Eccleſiaſticorum non eſſe Dominos, & ſuperflua poſt congruam ſuſtentationem erogare debere in cauſas pias. An autem omnibus hoc vitium ineſt? Propter quorumdam exceſſum non arguendus eſt integer ſtatus, nec ſuis bonis, utiliter expendendis privandus. Bene multi cives, coloni, Nobiles, bonis ſuis abutuntur, cum multo majore diſpendio; quia pecuniæ plerumque deferuntur extra patriam, & inſuper contrahuntur debita, quibus ſucceſſive gravatur respublica. An ideo omnes cives &c. ſuis bonis ſpoliandi? quodſi etiam Eccleſiaſtici ſua abliguriunt, plerumque hoc fit in patria, & pretium dilapidatum aliorum civium patrimonio accedit.

Resp.

Resp. ad IV. Quis pauperibus magis ſuccurrat, Clericalis, an Laicalis ſtatus? pauperes judicent. Nunquam major erit egentium copia, quam dum Clerus egere incipiet. Quid? an non plurimi ex his ipſis, qui ſtatum Clericalem amplexi ſunt, egere deberent in ſtatu Laicali, ſicque augerent pauperum, forte etiam prædonum numerum? adde, quod illuſtres aliique proles ſuas ſæculo ineptas, aut nimis multiplicatas, monaſteriis & Eccleſiis non raro obtrudant. Quæro, an cum bono, aut damno reipublicæ?

Resp. ad V. Cur hodierni Chriſtiani non vivunt more primorum, qui nihil habebant commune, ſed diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat? Act. IV. 35. Nonne & Laici horum ſucceſſores ſunt? mutantur circumſtantiæ temporum & mores. Paulus loc. cit. hoc non de Apoſtolis, ſed omnibus Chriſtianis dicebat. Neque etiam dixit: *his contenti* Simus, quaſi ex obligatione, qua falſa lectione fucum non nemo haud ita pridem facere voluit. Sed, *his contenti* Sumus, ex libera moderatione. Fateor autem, nihil aliud Clericis de bonis Eccleſiaſticis competere, præter congruam ſtatus eorum ſuſtentationem: cetera in cauſas pias, maxime uſum pauperum, non luxum, & pompam, commeſſationes, reſervanda & expendenda.

Resp.

Resp. ad VI. Quodſi etiam nihil bono Civili conferrent Clerici, quod falſum eſſe conſtat ab experientia, omnia conferunt ad bonum Religionis, cujus cauſa potior eſt, ob finem præſtantiorem. Si autem nullum omnino emolumentum ex Eccleſiaſticorum Bonis Reipublicæ accederet, conſiderationem ſaltem meretur votum cœlibatus: quo abſente hominum numerus ab exordio ſtatus Clericalis & Regularis in tantum fuiſſet adauctus, ut eorum ſuſtentationi vix integer orbis ſufficeret. Quod ſpectat Eccleſiæ ornatum, poteſt in hoc quoque fieri exceſſus: nunquid autem multo magis exceditur in ornatu profano, Palatiis, Theatris, aulæis, imo ſtabulis, &c. Religioſiſſimi Reges & Sapientiſſimi Magi Chriſto pauperi obtulerunt munera, aurum, Thus, & myrrham. Ut nihil dicam de templo Salomonis, figura Eccleſiarum noſtrarum, cujus tamen ornatum & divitias nunquam aſſequuntur? Hoc argumentum pluribus pertractarunt, Reverendiſſimus D. Abbas Desingius lib. *de opibus Sacerdotii*, & Clariſſ. Gufl in ſuis vindiciis Juris Eccleſiaſtici.

Resolutio III. Peccatores & infideles 170
ſunt capaces Dominii. *Contra Wiclef*, *&* *Huſs*.

Prob. I. Ex ſacra ſcriptura. Adam poſt peccatum non amiſit dominium, quod

prius

prius habuit. Peccatores erant Pharao, Nabuchodonoſor, Reges Juda & Iſraël plurimi: atqui iſti omnes jure ac dominio ſuo non exciderunt. *Ergo.* Impii & infideles erant Imperatores Romani: & tamen cenſum Cæſari dandum Chriſtus voluit: *reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.*

171 Prob. II. Si quolibet peccato privaretur quis rerum ſuarum dominio, tunc incerta forent omnia dominia, ſicque oriretur ingens in humana ſocietate confuſio, quam Deus vi ſuæ Sapientiæ vix permittere potuit. Ut enim hæc incertitudo, & oriunda inde confuſio tolleretur, inventa eſt præſcriptio.

172 Prob. III. Si peccatum privaret jure ac dominio, tunc propria auctoritate ejusmodi Dominis auferri poſſent bona, negari tributa &c. Atqui hoc eſt contra claram S. Scripturam, & omnia jura, divina æque ac humana: foretque occaſio rebellionum ac tumultuum. *Ergo.*

§. III.

De dominio Clericorum.

173 Bona Clericorum plerumque dividuntur ab auctoribus hodiernis I. In *Patrimonialia*, quæ Clerici ex hæreditate, teſtamento, alioque contractu, labore manuum,

nuum, vel ingenii, nullo habito respectu ad Clericatum vel Ecclesiam adquirunt. II. In *quasi Patrimonialia*, seu, *industrialia*, quæ Clericis ex industria & labore spirituali, v. g. Stipendiis missarum, administratione Sacramentorum, concionibus, distributionibus quotidianis &c. uno verbo ex redditibus stolæ, aut intuitu Ecclesiastici ac Clericalis ministerii proveniunt. III. In *Parsimonialia*, quæ Clerici ex redditibus ad congruam sustentationem sibi deputatis, parcius, quam licite possent, vivendo sibi subtrahunt, ac reservant. IV. In *proprie* & *mere Ecclesiastica*, quæ respectu Ecclesiæ & titulo beneficii recipiunt: ut sunt Decimæ, fructus ex fundis parochiali domui adscriptis, fructus grossi beneficiariis annuatim distributi. Sed antiquis Canonibus prorsus incognita videtur ista divisio, qui constanter de solis *patrimonialibus*, & *Ecclesiasticis* loquuntur. Vid. Can. Apost. 39. & 40. causa XII. q. III. tota. Concil. AGATHENSE Can. XLVIII. relato cap. 19. XII. q. I. vid. etiam cap. 20. eadem c. & q. cap. I. de testam. cap. 9. eodem. ubi hæc rescribit Pontifex. „ Consultationi tuæ taliter re-„ spondemus, quod licet Clerici de his, „ quæ paternæ successionis, vel cognatio-„ nis intuitu, aut de artificio sunt adepti, „ seu dono consanguineorum aut amico-„ rum, NB. non habito respectu ad Ec-„ clesiam pervenerunt ad ipsos, libere di-

„ ſponere valeant. De his tamen, quæ „ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, „ nullum de jure poſſunt facere teſtamen- „ tum. „ Vid. etiam 12. eod. & cap. I. de ſucceſſione ab inteſtato. Denique legatur totus titulus *de peculio Clericorum*: nulla hic alia bona comparent, quam I. *patrimonialia*, quo etiam referuntur induſtrialia, non tamen labore ſpirituali parta. II. *Eccleſiaſtica*, ſed habito reſpectu ad Eccleſiam adquiſita. Inferius autem ſpecialiter oſtendam, redditus, qui dicuntur ſtolæ &c. item parſimonialia, bonis Eccleſiaſticis accenſeri.

174 Ceterum bona Eccleſiaſtica *Clericorum* probe ſecernenda ſunt a bonis Eccleſiaſticis *Eccleſiarum*: horum enim ſolum eſſe adminiſtratores, non Dominos, fatentur omnes. Alia Clericorum bona iis ad congruam & honeſtam ſuſtentationem *neceſſaria*, alia *ſuperflua* ſunt, id eſt, quibus ad ſuſtentationem ſtatui ſuo competentem non indigent & ſuperſunt. In quo autem ſita ſit decens ea ſuſtentatio, aliter definit cupiditas, quæ nunquam dicit, *ſatis eſt*: aliter chriſtiana moderatio, ut bene advertit continuator Tournelii. Summatim illa determinari non poteſt, propter diverſitatem temporum, locorum, perſonarum, ſed viri pii ac prudentis judicio in pondere ſanctuarii menſuranda eſt.

Plu-

Plura hic inquirere necesse est : I. An Clerici habeant perfectum & plenum dominium in bona Patrimonialia. II. An etiam idem habeant in bona Ecclesiastica sustentationi suæ necessaria. III. An in redditus stolæ, distributiones quotidianas, &c. quæ ab aliis vocantur *quasi patrimonialia*, & *industrialia*. IV. An in bona superflua. V. An illi, quibus ad sustentationem sufficit patrimonium, ex redditibus Ecclesiasticis vivere possint ? VI. Cum omnes fateantur, superflua eroganda esse in causas pias, qua id obligatione faciendum sit : an ex solo præcepto Ecclesiæ, aut ex charitate, vel virtute Religionis, aut ex justitia ? VII. An de bonis Ecclesiasticis (de patrimonialibus enim non est dubium) testari valide & licite possint ad causas profanas ?

Resolutio I. Clerici habent perfectum, plenum, & irrevocabile dominium in bona sua patrimonialia, & quæ eo referuntur. 175

Prob. I. Iis omnibus, quæ n. 165. seq. adducta sunt argumentis. Et ex Canonibus, n. 173. cit. ubi iis facultas tam inter vivos, quam mortis causa libere disponendi asseritur.

Prob. II. Ratione. Clerici neque ex præcepto, neque ex voto, fiunt inhabiles Dominii bonorum Patrimonialium ; nam ut 176

 ait

ait S. Thomas 2. 2. q. CLXXXV. a. 6. „ Vivere absque proprio, supererogationis est; non enim cadit sub præcepto, „ sed sub consilio. Unde Math. XIX. cum „ dixisset Christus adolescenti: *si vis ad* „ *vitam ingredi, serva mandata*, postea superadddendo subdit: *si vis perfectus esse*, „ *vade, & vende omnia, quæ habes, & da* „ *pauperibus*. Non autem Episcopi (Clerici) in sua ordinatione ad hæc se obligant, ut sine proprio vivant. Neque „ etiam vivere absque proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officium, „ ad quod se obligant. „

177 Resolutio II. Quamvis Clerici jus habeant ad congruam sustentationem, & in illa bona adquirant dominium *revocabile*, post consumptionem autem eorum etiam *irrevocabile*; non habent tamen in redditus etiam necessarios dominium plenum, perfectum, & irrevocabile: sed sunt tantum bonæ fidei possessores, & administratores.

Prob. Isti redditus sunt vere bona Ecclesiastica, intuitu beneficii vel functionis spiritualis percepta: atqui in hæc non competit Clericis dominium, sed solum jus, inde vivendi, & superflua erogandi in causas pias, ut patebit ex infra dicendis. *Ergo*.

Reso-

Resolutio III. Clerici non habent dominium plenum & irrevocabile in redditus ſtolæ, diſtributiones quotidianas, ſtipendia miſſarum, oblationes, honoraria pro concionibus, ſtipendia pro ſepulturis &c. quæ ab aliis uno verbo *quaſi patrimonialia*, ſeu *induſtrialia* adpellantur: neque in parſimonialia. 178

Prob. I. Quidquid conſideratione Eccleſiæ, vel functionis ſacræ Clericus adquirit, bonis Eccleſiaſticis accenſetur ex n. 173. & præcipue ex Can. 19. XII. 1. ubi ſtatuitur: „ Epiſcopi de rebus propriis vel „ acquiſitis, vel quidquid de proprio ha- „ bent, hæredibus ſuis, ſi voluerint, de- „ relinquant. Quod vero de proviſione „ ſuæ Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive „ de fructibus, ſive NB. de oblationibus, „ omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſui- „ mus. „ Atqui ſtipendia Miſſarum, & ſepulturarum, honoraria pro concionibus &c. non ſunt niſi oblationes fidelium gratis factæ; vocantur enim a Benedicto XIV. ſæpiſſime *eleemoſynæ*, & certum eſt, quod Clerici intuitu Eccleſiæ iſta adquirant. Niſi enim Eccleſiaſtici forent, non acciperent. Ergo iſti redditus ſunt bona Eccleſiaſtica: atqui bonorum Eccleſiaſticorum Clerici non habent dominium plenum: ex dicendis. *Ergo*.

Prob. II. Specialiter de redditibus *ſtolæ*. 179

Isti certe dantur intuitu beneficii ; nisi enim beneficiatus esset, ea non acciperet: præsertim cum Parochi aliunde ex officio & justitia populo administrare sacramenta, prædicare verbum Dei, sepelire defunctos &c. obligentur. Quando autem dantur aliis non Parochis, dantur tamen ratione ipsius status Clericalis. Cum ergo illa non adquirerent, nisi Ecclesiastici forent, sequitur, illos redditus consideratione Ecclesiæ & Sacri ordinis acquiri, & Ecclesiastica esse.

Respondent Adversarii, non dari intuitu Ecclesiæ aut beneficii, sed intuitu industriæ, & laboris spiritualis in administratione sacramentorum.

180 Contra est. Ipsi etiam fructus beneficiorum dantur propter laborem & industriam spiritualem ; nam *beneficium datur propter officium* cap. fin. de rescript. in 6. & tamen fatentur omnes, fructus beneficiorum, quos grossos vocant, non esse bona industrialia, sed proprie Ecclesiastica. Etiamsi enim alias breviarium recitaret, istos tamen fructus non perciperet, nisi beneficiatus foret. Ergo etiamsi Parocho dentur redditus stolæ propter industriam spiritualem, bona tamen Ecclesiastica sunt; quia nisi Ecclesiasticus & Parochus esset, non acciperet.

Con-

Contra est II. Peculium *profectitium* di- 181
citur, quod intuitu Patris datur: *castrense*, quod intuitu militiæ. leg. 11. ff. de castrensi peculio & §. I. Inst. per quas personas cuique adquiritur. Ergo etiam peculium, seu bonum Ecclesiasticum dicitur, quidquid intuitu Ecclesiasticæ functionis & sacræ militiæ datur.

Prob. III. Specialiter de distributionibus 182
quotidianis. Istæ sunt pars tertia redditiuum beneficii juxta Concilium Tridentinum Sess. XXI. cap. 3. & Sess. XXII. cap. 3. & adquiruntur intuitu beneficii. Ergo sunt redditus Ecclesiastici.

Respondent Adversarii, has distributiones, utpote jam separatas a fructibus grossis, non dari ratione & intuitu beneficii, cum Clerico etiam residenti, non tamen in choro præsenti nullo modo dentur juxta cit. Tridentinum, sed dari ratione laboris personalis, nempe recitationis divini officii in choro.

Contra est. Etiam ipsi fructus grossi 183
dantur propter laborem: & tamen certo sunt bona Ecclesiastica. *Ergo.* Dein separatio non mutavit naturam bonorum Ecclesiasticorum; si enim talia fuerunt ante separationem ex mente fundatorum, talia quoque erunt post separationem, cum intentio mutata non fuerit.

184 PROB. IV. De *parſimonialibus*. Supponitur, iſta provenire ex redditibus Eccleſiaſticis, quos etiamſi Clericus licite potuiſſet conſumere, utpote honeſtæ ſuſtentationi deſtinatos, & conſumptione plenus fieri Dominus: ſi tamen adhuc apud Clericum frugalius viventem formaliter extent, per hoc naturam bonorum Eccleſiaſticorum non exuunt, ſed omnino retinent. Si enim Clericus frugalius, quam licite poſſet, vivat, facit, quod SS. Canones ſummopere inculcant, quodque exemplo ſuo Apoſtoli, aliique Sanctiſſimi Patres docuere, qui ex iis bonis, quæ ſibi parce vivendo ſubtraxerant, nihil ſibi Dominii attribuendum putarunt, ſed fideliter in pauperes, cauſasque pias diſpenſarunt.

185 PROB. V. Specialiter de bonis, quæ Clericis ex functionibus ſpiritualibus obveniunt. Non eſt credibile, quod Clerici antiquis temporibus nihil adquiſiverint ex functionibus ſpiritualibus; cum fidelium eo tempore major fuerit erga Clerum uti æſtimatio, ita liberalitas. Quodſi ergo quædam adquiſierint, & illa juxta Adverſarios tanquam mercedem ſua fecerint, & illis *quaſi patrimonium* auxerint, tunc potuiſſent ex illis redditibus, tanquam bonis parſimonialibus, ſibi comparare fundos, ditare conſanguineos &c. & alias pro libitu diſponere. Atqui hoc ſemper Clericis prohibitum fuit; nam poſt mortem Cle-

Clerici, qui fundos, aliave bona immobilia reliquerat, ſolicite indagari jubent Canones, an illi fundi fuerint ante Clericatum coëmti, vel ſaltem, an Clericus bona patrimonialia ante ordinationem habuerit, vel poſt ordinationem, v. g. ex hæreditate acceperit. Si poſt Clericatum ejusmodi bona comparaſſet, Eccleſia judicabat, ex bonis Eccleſiaſticis comparata fuiſſe, adeoque in dominio Eccleſiæ, cui Clericus inſerviit, manere debere. Si autem Eccleſia judicaſſet, Clericos habere dominium in redditus, ex functionibus & labore ſpirituali partos, tunc utique ſupponere & præſumere debuiſſet, fundos ex ejusmodi redditibus fuiſſe comparatos, ideoque in dominio Clericorum, conſequenter hæredum eſſe. Sed contrarium conſtat ex toto tit. *de peculio Clericor.* & Can. 49. Concil. Carthaginensis III. „ Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, „ Diaconi, vel quicunque Clerici, qui or„ dinantur, & tempore Epiſcopatus vel „ Clericatus ſui agros, vel quæcunque „ prædia nomine ſuo comparant, tanquam „ rerum dominicarum invaſionis crimine „ teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem „ ipſa contulerint. „ Vid. etiam Concilium Hispalense relat. Can. 4. XII. 5. Toletanum cap. 6. Diſt. LXXXIX.

Objic. I. Contra has Reſolutiones. Quæ 186
Clericis neceſſariæ ſunt ad congruam ſu-

ſtentationem, vel quæ ex induſtria ſpirituali percipiunt, dantur ut *merces*, & *ſtipendium*, ut patet ex cap. 16. de Præbend. I. Cor. IX. 7. Luc. X. 7. I. Timoth. V. 17. ſeq. Atqui ſtipendium & merces tranſit in dominium laborantis, v. g. militis: ergo hæc bona ſunt in dominio Clericorum.

Resp. *Diſt.* dantur ut merces, *proprie* talis. Nego. Improprie. *Conc.* nam res temporalis non poteſt eſſe *proprie* merces operæ ſpiritualis, citra Simoniam. Audiatur S. Thomas 2, 2. q. C. art. 2. „ Accipere „ aliqua ad ſuſtentationem eorum, qui ſacra„ menta Chriſti miniſtrant . . . non eſt pec„ catum; non enim ſumitur tanquam pre„ tium mercedis, ſed tanquam ſtipendium „ neceſſitatis. Unde ſuper illud I. Tim. „ V. *Qui bene præſunt Presbyteri*, ait Au„ guſtinus, accipiant ſuſtentationem neceſ„ ſitatis a populo, mercedem diſpenſatio„ nis a Domino. „ Miles quidem & mercenarius dominium adquirit ſui ſtipendii, quia eſt proportio inter laborem & mercedem, & datur illis ſine onere erogandi, imo vix ad ſufficientiam: labor autem ſpiritualis non recipit mercedem, & datur Clericis cum onere reſtituendi ſuperflua. Textus oppoſiti ſolum probant, deberi Clericis congruam ſuſtentationem: quod ipſum lubens fateor.

Objic.

Objic. II. Si Clerici horum reddituum 187
non fierent Domini, tunc a functionibus ſpiritualibus, aut frugali modo vivendi abſterreri poterunt: hac autem ratione parum conſulitur cauſis piis, quibus unice favere videtur iſta ſententia.

Resp. Si hoc motivo ducantur Clerici, ut dominium adquirant: non bono ducuntur. Audiant Augustinum lib. XI. de Sermone Domini in monte cap. 24. „ Si „ propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam „ cibum. „ & cap. 16. lib. cit. dat rationem aſſerti. „ Quæcunque res propter aliquid aliud quæritur, ſine dubio inferior eſt „ (in æſtimatione quærentis) quam id, „ propter quod quæritur. Quapropter ſi „ Evangelium & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, „ & poſterius regnum Dei. „

Objic. III. Levitæ T. V. qui erant fi- 188
gura Clericorum N. T. habebant dominium in redditus ſibi aſſignatos: ergo etiam Clerici noſtri.

Resp. *Conc.* ant. Nego *conſ.* diſparitas eſt; quia Levitæ, cum aliunde a diviſione terræ promiſſæ fuerint excluſi, & in ſuam, ſuæque familiæ ſuſtentationem plurimis indigerent, hinc Deus oblationes ac decimas eorum juri conceſſit, ut legere eſt

est Num. XVIII. *Tui juris erit.* Maxime, cum etiam multis indigerent ad filiorum dotationem. Hinc horum reddituum perceptio sine onere eis fuit attributa. Accedit, quod carnalis Hebræorum populus, qui maximam benedictionis partem in temporalibus divitiis & rerum abundantia collocabat, nondum capax fuerit hujus doctrinæ, quam tradidit CHRISTUS Ecclesiæ suæ: *melius esse dare quam accipere.* Clerici autem nostri suos redditus percipiunt eo solum fine, ut inde congrue sustententur; hinc tantum bonæ fidei Possessores censendi sunt. Imo etiam considerare debent, quod altiore motivo Domino famulentur, nec suam beatitudinem in rerum terrenarum abundantia collocent. Ceterum Cl. D. AMORT utitur stylo inverso, atque ex eo, quod Levitæ non habuerint dominium in suam substantiam, contra Clericorum dominium argumentatur. Eligat Lector, quid placuerit.

189 OBJIC. IV. Pauperes in res sibi a fidelibus oblatas adquirunt dominium, licet ipsis offerantur intuitu Dei. Ergo etiam Clerici in redditus sustentationi necessarios, & Missarum stipendia, quæ eleemosynæ adpellantur.

RESP. I. Retorq. Pauperes sunt immunes ab obligatione erogandi in causas pias: ergo etiam Clerici, quod tamen ne-

negant Adverſarii. Ergo non eſt paritas.

Resp. II. Sicut illi qui vere pauperes non ſunt, ſe tamen fingunt, aliis vere pauperibus injuriam faciunt, & ad reſtitutionem tenentur, ſicut, inquam, illi eleemoſynarum dominium, mea quidem opinione, non adquirunt; cum intentio fidelium ſit vere pauperibus ſuccurrendi: ita etiam Clerici, etſi jus ad neceſſariam ſuſtentationem, & in hos redditus dominium revocabile habeant, omne tamen quod ſupereſt, ad cauſas pias applicandum eſt, ex mente fidelium, de qua infra. Quod vero pauperes, quando forte ultra neceſſariam ſuſtentationem ex largitate fidelium quædam (etſi rariſſime) ſuperflua accipiunt, eorum dominium irrevocabile adquirant, non autem Clerici, ratio eſt; quia præſumendum eſt, quod ea mente a fidelibus donentur pauperibus, ut non ſolum præſenti neceſſitati, ſed etiam futuræ proſpicere queant, cum raræ ſint occaſiones ejusmodi, ut ſuperfluum haberent vere pauperes. Contra Clerici redditus habent ſtabiles, & rariſſime ea penuria laborant. Ulterior diſparitas hæc eſt. Eleemoſynæ pauperibus dantur absque omni onere: contra quæ Clericis dantur, cum onere dantur, ut omne quod ſupereſt, in pias cauſas erogent: conſequenter adinſtar bonæ fidei poſſeſſorum fructus neceſſarios

per-

perfecto dominio consumunt, extantes autem, etiam ex parsimonia, juxta intentionem fidelium, & ipsius Christi Domini, cujus sunt dispensatores, in causas pias erogare tenentur. Ideo in redditus etiam necessarios, quos ex industria spirituali recipiunt, plenum & irrevocabile dominium non adquirunt.

190 Resolutio IV. Clerici non habent dominium in bona superflua.

Prob. I. Redditus Ecclesiastici, seu, bona Clericorum, in SS. Canonibus passim adpellantur *Res Dei*, *Patrimonium Christi*, *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *patrimonia pauperum*. Legantur Can. Apostol. 37. & 75. cap. 1. & 23. & 28. caus. XII. quæst. 1. cap. 1. & 6. & 19. caus. XII. quæst. 2. cap. 57. & 59. & ult. caus. XVI. quæst. 1. cap. 16. de Præbend. cap. 4. de Immunit. Eccles. cap. 34. de Elect. in 6. Concilium Tridentinum Sess. XXV. cap. 1. de Reform. Ideo etiam Clerici adpellantur solum Administratores, Dispensatores, Procuratores eorundem Bonorum cap. 3. caus. XVI. quæst. 2. cap. 3. caus. XXIII. quæst. 2. cap. 8. dist. XLVII. Videatur & S. Augustinus in Psalm. 119. Gaudentius Brixiensis serm. de Villico S. Bernardus epist. 2. ad Fulconem Canonicum Lugdunensem. epist. 42. ad Henricum Episcopum Senonensem. serm. 24. in Cant.

Item

Item ferm. in hæc Evangelii verba : *ecce nos reliquimus* omnia. „ Sacrilega eis (pau-„ peribus) crudelitate furripitur, quid-„ quid fibi Miniftri & Difpenfatores, non „ utique Domini vel poffeffores, ultra „ victum accipiunt vel veftitum. „

Huic Argumento tria refpondent Ad- 191
verfarii. I. Hos Canones & SS. Patrum textus intelligendos effe de primitiva Ecclefia, ubi bona erant indivifa, & Epifcopis, Clericis, Ecclefiis, atque pauperibus communia : atvero poftquam famofa illa in quatuor partes divifio facta fuit, non quidem fub SYLVESTRO in fictitia Synodo, de qua vid. CABASSUTIUM ; fed vel fub SIMPLICIO, vel fub GELASIO (vid. Can. 26. XII. quæft. 2.) Clerici in partem fibi affignatam acquifiverunt dominium.

CONTRA eft. I. Præter citatos a nobis 192
textus, quorum aliqui, v. g. cap. 16. de præb. cap. 34. de Elect. in 6. TRIDENTINUM &c. poft factam divifionem loquuntur, etiam alii Canones & Patres eodem modo ftatuunt. Vid. cap. 4. de pecul. Cler. cap. 2. de Donat. cap. 4. XII. 5. Concil. PARISIENSE VI. „ Non funt res Ecclefiæ ut „ propriæ, fed ut dominicæ, & a Do-„ mino commendatæ, tractandæ. „ Concilium TOLETANUM Can. III. relatum cap. 6. Dift. LXXXIX. GREGORIUS VII. relatus cap. 13. I. 3. Concil. LATERANENSE Seff.

IX.

IX. de Reform. apud Card. SFONDRATI in Nepotiſmo theologice expenſo pag. m. 77. „ Statuimus, ut Eccleſiarum bona temere „ non effundant, ſed ea in piis & Sanctis „ operibus exponant, quorum cauſa ma- „ gni & opimi redditus per Sanctos Pa- „ tres ſtatuti, & ordinati fuerunt. „ PETRUS Bleſenſis Epiſt. XX. „ Non militi- „ bus, ſed pauperibus erogare tenentur „ patrimonium Crucifixi, cujus ipſi non „ Domini, ſed tutores ſunt. „

193 CONTRA eſt II. Clerici, ut fatentur Adverſarii, ante factam diviſionem non habuerunt dominium in ſuperflua. Ergo neque poſtea, quia diviſio non tribuit plus juris quam antea competiit arg. leg. 1. ff. *famil. heriſcundæ.* Cum ergo ante diviſionem non habuerint aliud jus, quam ad congruam ſuſtentationem: neque aliud modo habebunt.

194 CONTRA eſt III. Per diviſionem non fuit mutata natura bonorum Eccleſiaſticorum. Ergo ſunt adhuc hodie patrimonium Chriſti & pauperum. *Ant. prob.* RR. Pontifices, qui auctores ſunt hujus diviſionis, nec potuerunt, nec voluerunt illorum naturam mutare. 1. Non *potuerunt*; quia etiamſi ſupremam de beneficiis diſponendi facultatem habeant, cap. 2. de Præbend. in 6. illa tamen cum Eccleſiarum gravi detrimento abuti non poſſunt. Foret autem

tem grave detrimentum, ſi Clerici illa bona ſuperflua, quæ ante diviſionem erant eroganda in cauſas pias, modo poſſent libere applicare ad cauſas profanas, ſicque magna parte reddituum Eccleſia privaretur, & pauperes. 2. Nec *voluerunt*; hanc enim mutationem non expreſſerunt, nec præſumi debet, voluiſſe eos Eccleſiis inferre tam grave præjudicium, & favere avaritiæ aut vanitati ac luxui Clericorum, & bona pauperibus eroganda attribuere conſanguineis Clericorum, contra Canones & mentem fundatorum.

Contra eſt IV. Pauperes, aliæque cau- 195
ſuæ piæ ante diviſionem habuerunt jus ad ſuam portionem, & ſuperflua Clericorum: ergo etiam nunc habent, poſtquam ſunt commixtæ portiones; quia confuſio non aufert jus priori Domino. §. 27. de R. D. leg. 7. §. 8. ff. de A. R. D.

Nec dicant Adverſarii, portionem pau- 196
perum fuiſſe applicatam ad fundanda hoſpitalia, Xenodochia &c.

Nam de tali commutatione non conſtat, qua authoritate Rom. Pont. contigerit: an de conſenſu pauperum? imo potius conſtat contrarium; non enim ex portione pauperibus debita, ſed ex piis donationibus & fundationibus plerumque erecta fuerunt ejuſmodi loca. Dabo autem,

 por-

portionem pauperum ad hunc finem fuisse applicatum: non tamen propterea amiserunt jus ad portionem subsequentium temporum. Nam post factam divisionem, si novæ fiant accessiones reddituum Ecclesiasticorum, eas itidem in quatuor partes distribuendas esse docet S. GREGORIUS M. post divisionem scribens. lib. V. Epist. 44. edit. noviss. ad Leontium Episcopum visitatorem Ariminensis Ecclesiæ. „ Quod vero de redditibus Ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor juxta consuetudinem oportet fieri portiones, unam scilicet, quæ Clero præbenda sit: aliam quæ pauperibus: de reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus: unam sartis tectis profuturam: aliam pro sustentatione sua Castorio proprio Episcopo dirigendam: reliquam tibimet retinendam. „ Vid. eund. lib. XIII. Epist. 44. lib. XI. Epist. 34. olim 29. legantur cap. 29. XII. 2. cap. 63. XVI. 1. cap. 30. XII. 2. Ergo etiam hodie sua pars debetur pauperibus: unde vero, nisi ex superfluis Clericorum? consequenter horum non sunt Domini. Itaque fere ubique portio pauperum intermixta videtur redditibus Clericorum, ut adeo, quod post sustentationem Clericorum superest, pauperibus jure debeatur.

197 RESPONDENT Adversarii II. Ad argumentum num. 190. propositum, textus citatos loqui de bo-

bonis ipsarum *Ecclesiarum*, non vero de redditibus, sustentationi *Clericorum* deputatis.

Contra est I. cap. fin. de pecul. Cleric. & pleraque ejusdem tituli, loquuntur de bonis immediate ad Clericum pertinentibus: imo ibidem præcipitur, ut res omnes, quas Clericus post suam ordinationem adquisivit, (nisi patrimonialia fuerint) post mortem ipsius non consanguineis cedant, sed bonis Ecclesiæ adnumerentur. Utique autem vix dubium est, quin ex redditibus superfluis ista comparata fuerint. Cum ergo etiam ista Ecclesiæ cedere debeant, clarum est, Clericos non habere dominium in superflua.

Contra est II. Si redditus superflui, 198
etiam Clericis destinati proprie pertinerent ad eos, tunc Ecclesia illis injuriam faceret, prohibendo eos testari ad causas profanas, eoquod hæc facultas, de bonis suis disponendi, cuilibet de jure naturæ competat; *nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liberum, quod iterum non redit, arbitrium iis relinquatur, disponendo de* rebus suis, ut dicitur leg. 1. I. Cod. de SS. EE. Et ideo Clerici de bonis suis patrimonialibus libere testari possunt cap. 9. de test. Atqui non possunt testari de redditibus superfluis ad causas profanas; cum juxta Ad-

versarios saltem ex præcepto Ecclesiæ erogandi sint ad causas pias. Ergo cum dici nequeat, iis per hanc prohibitionem fieri injuriam, sequitur, non habere eorum dominium.

199 Contra est III. Ecclesia pariter faceret injuriam consanguineis Clericorum, dum eos ab intestato succedere non permittit: sicut injuria illis fieret, si non admitterentur ad successionem in patrimonialibus, quorum sunt Domini. Sed hoc iterum dici nequit; quia Ecclesia nulli jus suum auferre solet. Ergo consequens est, consanguineos non habere jus ad superflua defuncti Clerici. Si vero hæredes non habent, nec defunctus habuit; quia hic omnia sua jura in hæredes transmittit.

200 Respondent Adversarii III. Ad argumentum principale. Textus cit. & præcipue SS. Patrum, loqui *exaggerative*, & more concionatorum, prout etiam Augustinus de superfluis divitum loquens ait in Psalm. 147. „ Superflua divitum, necessaria sunt „ pauperum: possidentur aliena, cum pos„ sidentur superflua. „ Nec tamen sequitur, divites non habere dominium in sua superflua.

201 Contra est. I. Cur non potius dicam, Adversarios nimis *laxe* loqui, dum ratiunculis toti antiquitati incognitis, opinio-

nem

nem defendunt novam, Patribus & conciliis evidenter contrariam. Audiant Dionysium Carthuſ. ne hunc quidem antiquum, de vita Canonicorum cap. 24. „ Securius ac ſalubrius creditur aut paretur „ dictis Sanctorum, per quos locutus eſt „ ſpiritus Sanctus, quam Scholaſticorum „ quorumdam, qui ſuo magis quam expedit, credunt & nituntur ingenio, auctoritatemque Sanctorum ad ſuam detorquent opinionem. „

Contra eſt. II. Si unus tantum vel al- 202
ter Pater per exaggerationem loqueretur, tunc forte valeret data reſponſio; at vero omnes ſic loquuntur, nec Patres ſolum, ſed ipſa concilia tam particularia, quam generalia, quæ utique poteſtatem habent definiendi, nec loqui ſolent Rhetorum more, ſed plane. An etiam Theologi veteres, nobiſcum preſſe ſentientes, rem exaggerarunt?

Contra eſt. III. Admittunt Adverſarii, 203
Clericos ex citatis textibus eſſe obligatos ad eroganda ſuperflua in cauſas pias ex *præcepto*: cur non etiam dicunt, Patres quoad hoc exaggerative loqui?

Contra eſt IV. Quamvis Augustinus, 204
& alii quidam, eodem fere modo loquantur de ſuperfluis divitum, nunquam tamen dicunt, eos non eſſe Dominos ſua-

rum divitiarum : quod tamen dicunt de Clericis. Loquuntur ergo de casu extremæ necessitatis, ubi bona fiunt *communia*, & pauperis occupantis.

205 Prob. Resolutio II. Mens fidelium, bona sua Ecclesiis conferentium, nunquam fuit, ut superflua cedant dominio Clericorum, sed, ut quod post congruam sustentationem eorum residuum est, in pauperes & causas pias erogetur : ergo non habent dominium ; quia contra mentem offerentium, qui possunt donationi suæ *modum* statuere, nec Clerici agere possunt, nec Pontifices facta divisione agere voluerunt. *Ant. prob.* ex Can. 59. XVI. 1. qui desumptus est ex Capitularibus Carol. M. & Ludovici Imperatorum. Item Concilio Aquisgranensi cap. 116. „ Res Ecclesiæ, „ sicut a sanctis Patribus traditur, & in „ superioribus capitulis continetur, vota „ sunt fidelium, pretia peccatorum, & „ patrimonia pauperum. Fideles namque „ fidei ardore & Christi amore succensi, „ ob animarum suarum remedium, & cœ„ lestis patriæ desiderium, suis propriis „ facultatibus locupletem fecerunt Eccle„ siam, ut his & milites Christi alerentur, „ & Ecclesiæ exornarentur, & pauperes „ recrearentur, & captivi pro temporum „ opportunitate redimerentur. „ Legatur etiam cap. penult. XII. 1. & novella 3. cap. 3. ubi ad restitutionem obligantur Clerici, si aliter expendant redditus a fun-

datori-

datoribus donatos, quam illorum intentio fuit. Idipſum etiam cernere eſt in plerisque Diplomatibus fundationum & donationum. Unde tale formatur argumentum. Quando alicui fit donatio *ſub modo*, & certo pacto, aliquid præſtandi, tunc tenetur ex juſtitia talem modum adimplere, & *niſi* faciat, reſtitutioni obnoxius eſt. leg. 2. & 3. Cod. *de Donat. quæ ſub modo.* e. g. Si alicui donentur 100. aurei, ut Romam pergat, & quod neceſſariis expenſis supereſt, pauperibus largiatur: ſi non faciat, peccabit contra juſtitiam, obligatus ad reſtitutionem; eoquod non fuerit Dominus ſuperfluorum. Atqui bona Clericis donata fuerunt *ſub* prædicto *modo.* Ergo non ſunt Domini &c.

Nec dicant Adverſarii, fideles de tali 206
modo non ſemper cogitaſſe, aut nunc ſaltem non cogitare, vel expreſſe paciſci, dum ſua Clericis donant.

Contra eſt. Ut obſervat Cardinalis Sfondrarti in ſuo Nepotiſmo theologice expenſo §. VII. n. 7. fidelium intentio explicanda eſt juxta Canones, Patrumque interpretationem omnino authenticam & legalem, quæ, ut oſtendi, omne ſuperfluum in pias cauſas erogari jubet. Id enim etiam de Jure Civili obtinet; ut, dum aliquis rem ſuam in alterum donatione, aliove contractu transfert, conti-

nuo res translata naturam & qualitatem a legibus præscriptam induat, quamvis donans, aut vendens, nullam donationi aut venditioni conditionem adjecerit. E. g. Si pupillo res pretiosa donata fuerit, absque ulla reservatione aut conditione, ille tamen citra authoritatem tutoris eam alienare non potest. Ita a pari de Clericis. Nam bona illis oblata a fidelibus, Christo donata fuerunt, intentione legibus conformi. Hinc ait S. THOMAS in Epist. II. ad Cor. cap. 12. lect. 5. „ Fideles non dederunt divi- „ tias suas Prælatis, propter se, sed pro- „ pter Pauperes, & ideo non dederunt „ eis, sed pauperibus. Prælatis autem dan- „ tur tanquam pauperum dispensatori- „ bus. „

207 PROB. III. Si Clerici sunt Domini quasi patrimonialium, parsimonialium, & Ecclesiasticorum bonorum, tam necessariorum, quam superfluorum; tunc *omnia* bona Clericorum erunt *patrimonialia*, contra ipsos Adversarios, qui patrimonialia distinguunt ab Ecclesiis. Sequela *prob.* nomen *Patrimonii* complectitur omnes facultates alicui proprias leg. 1. §. 7. ff. de off. præf. urbi. leg. 20. ff. quod metus causa. NB. l. 17. pr. ff. ad sen. consf. Trebell. atqui si Clerici *omnium* sunt Domini, tunc *omnia* sunt illis *propria*. Ergo omnia sunt patrimonialia.

OBJIC.

Objic. I. Contra hanc IV. Reſolutionem. 208
Juxta conſtitutionem *cum ſicut nobis*. Julii III. „ Nos attendentes, fructus, pecunias, „ & res alias occaſione Eccleſiarum, & „ Eccleſiaſticorum beneficiorum pro tem- „ pore provenientes, licet poſtquam ad „ manus beneficiatorum pervenerint, & „ cum aliis ipſorum beneficiatorum fructi- „ bus, pecuniis, & rebus commixti, ſeu „ ipſis Beneficiatis incorporati ſunt, non „ ulterius Eccleſiaſticis, ſed potius ipſo- „ rum beneficiatorum propriis & ab eis „ acquiſitis judicandi ſint. Et propterea „ quodammodo pro profanis haberi. Ergo „ &c.

Resp. I. Bullam loqui de caſu *commixtionis* cum rebus propriis Clericorum, quo caſu *per accidens* adquiritur dominium, leg. 78. ff. de ſolut. cum obligatione tamen juſtitiæ erogandi in cauſas pias. v. g. Fur, Depoſitarius, tutor, curator, alienas pecunias miſcendo ſuis, earum adquirit dominium: non ratione fundi &c. ſed ratione commixtionis: cum obligatione tamen reſtituendi. De hoc caſu loqui Bullam, patet ex ipſis verbis.

Resp. II. Eam loqui ſolum pro *foro externo*, ubi, quia Eccleſiaſtici proventus a patrimonialibus diſcerni nequeunt, *quodammodo* pro profanis habentur ad excludendum fiſcum: non autem pro *foro interno*.

209 Objic. II. Si Clerici non habent dominium, tunc ostendi non potest, penes quem illud existat. Non enim est penes Pauperes: nec penes Ecclesias; quia Clericis liberum est, in quascunque causas, modo pias, res illas expendere: neque penes Deum, cui aliunde in omnia, etiam patrimonialia, bona supremum dominium competit.

Resp. Dominium non quidem existere penes pauperes; quia nullus *determinate* habet jus aliquid a Clerico exigendi, quamvis omnes *disjunctive*, eoquod eorum portio Clericorum immixta sit: sed existere penes Christum, tanquam caput Ecclesiæ, cui a fidelibus donationes fiunt, & a quo acceptantur. Constat enim, ad hoc, ut donatio sit valida & revocari nequeat, requiri acceptationem: quodsi ergo fidelis secum statuat, sua elargiri causis piis, jamque interno actu donet, communis est Doctorum sententia, talem donationem, etiam prius quam causis piis innotescat, & ante earum acceptationem, non amplius revocari posse, quia jam a Christo pro causis piis acceptata fuit. Ergo dominium existit penes Christum. Ideo bona Clericorum vocantur *patrimonium Jesu Christi*. cap. 34. de elect. in 6. *res Dei*. Tridentinum cit. *pecunia Christi* cap. 1. XII. 2. qui Christi pecunias aufert, fraudat, & rapit. cap. 3. ibidem. Certe ipsi Adversarii haud aliter docere possunt

de

de dominio rerum, ad ipsas Ecclesias pertinentium. Quando autem dicitur, illa bona *pertinere ad jus sacerdotum*, intelligendum est, dominium esse penes Christum, *jus* vero *administrandi*, inde vivendi, & dispensandi, esse penes Clericos.

OBJIC. III. Clerici in pœnam sæpius pri- 210
vantur fructibus beneficiorum, & dicuntur fructus *non facere suos*, aut debere restituere, quos *lucrati* fuerant. vid. TRIDENTINUM Sess. VI. cap. 1. de Reform. Sess. XXIII. cap. 1. de Refor. Sess. XXIV. cap. 12. de Reform. Sess. XXV. cap. 14. de Reform. Ergo si talem pœnam nullo delicto mereantur, fructus faciunt *suos*, fiuntque eorum Domini.

RESP. *Dist. conseq.* Ergo faciunt *suos*, quoad jus administrationis & congruæ sustentationis. *Conc.* quoad *dominium. Subdistinguo.* minus plenum & *revocabile. Conc.* plenum & irrevocabile. *Nego.* Iterum *subdisting.* faciunt suos, post consumptionem, bona fide factam. *Conc.* antea, quoad extantes. *Nego.* Itaque admitto, quod Clerici jus habeant, decenter ex fructibus se sustentandi. Quodsi hos fructus consumpserint; consumpserunt ut Domini, quia usus rei consumptibilis est actus perfectus Dominii. Quoad fructus extantes, seu congruæ sustentationi non necessarios, jus habent quosdam pro futuris necessitatibus reser-

reservandi, consequenter dominium aliquod revocabile. Ubi autem congruæ sustentationi necessarii amplius non fuerint, jus habent illos administrandi, & obligationem erogandi in causas pias. Quando ergo in pœnam privantur fructibus, ita ut illos non faciant suos, nequidem quoad jus administrandi; tunc, ut pœna cum effectu censeatur irrogata, debent ex bonis patrimonialibus, si quæ habent, vivere, consequenter dominio etiam *revocabili*, & *jure* ex beneficio se sustentandi, privantur: fructus vero beneficii, etiam suæ sustentationi necessarios applicare tenentur ad causas pias. Quodsi patrimonialia non habeant; tunc, ne cum dedecore status Clericalis mendicare teneantur, poterunt sibi tanquam vere pauperibus necessaria subministrare, parcius tamen, & ut pauperes decet, ut denuo pœna locum habeat cum effectu. Hac ratione congrue satisfactum TRIDENTINO, aliisque juribus abunde responsum fuisse existimo.

211 OBJIC. IV. Clerici in illo statu, quo ipsis assignata fuit certa portio, habuerunt illius portionis dominium. Ergo adhuc habent. *Ant. ptob.* Portio, quæ habetur titulo divisionis, habetur jure dominii; divisio enim est titulus ad pariendum dominium, aut usucapiendi conditionem non minus habilis, quam emptio, venditio, permutatio, per textus luculentos & omni exceptione

ne majores §. ult. J. de off. Jud. leg. 17. ff. & usurp. & usucap. l. 1. & 2. Cod. *Communia utriusque judicii.* Atqui portio, quam in illo statu habuerunt Clerici, habita fuit titulo divisionis, dum nempe res, ante hoc Clericis & pauperibus communes, authoritate Ecclesiastica fuerunt divisæ. *Ergo.*

Resp. I. Nego *ant.* ad *prob.* distinguo *maj.* Quando ante divisionem alicui competit dominium in communi, ut hæredibus. *Conc.* secus. *Nego.* Clerici autem ante divisionem non habebant dominium in superflua, imo nec in necessaria, sed tantum jus ad congruam sustentationem: ergo nec post divisionem, utpote quæ non mutat naturam bonorum. Sicut ergo bona Ecclesiæ ante divisionem erant in patrimonio Christi, ita etiam post divisionem. ex n. 149.

Resp. II. Hoc argumentum contra Adversarios probat, pauperes habere jus in superflua Clericorum. Sicut enim ante divisionem habuerunt jus in ea bona, quæ post sustentationem Clericorum & fabricam Ecclesiarum supererant, ita etiam hodie habebunt. Cum autem pauperibus vix ullibi assignata fuerit quarta pars, aut saltem hodie non extet, probabiliter cum portione Clericorum confusa: sequitur, omne quod Clericis superest, pauperibus, aliisque causis piis deberi.

Resp.

Resp. III. Divisio in quatuor partes ideo facta est, ut rixæ, dissidia, lites, quæ inter Episcopos, capitula, fabricæ præpositos, & eleemosynarios, ante bonorum partitionem oriri solebant, extinguerentur, non ut Clerici adquirerent dominium in Patrimonium Christi, inde luxuriari, ac consanguineos ditare possent, aut liberarentur ab onere erogandi superflua in causas pias.

212 Objic. V. Pauperes & Ecclesiæ per eandem divisionem assignatæ sibi portionis acquisiverunt dominium, quia nemo alius in illam portionem jus habet. Ergo etiam Clerici.

Resp. Nego *ant.* dominium enim manet penes Christum, ex n. 209.

213 Objic. VI. Quod Clerici non sint Domini, inde probatur maxime, quia eorum bona dicuntur *res Dei*, *Patrimonium Christi* &c. & a fidelibus Deo oblata sunt ad cultum divinum, ornatum Ecclesiarum, sustentationem Clericorum, & pauperum. Atqui hoc nimium probat; sequitur enim, neque Religiosos non mendicantes, habere dominium in communi, sed illud existere penes Christum, utpote cum fuerit idem finis donationum factarum monasteriis intuitu servitii divini, ut patet ex diplomatibus fundationum. Sed hoc est absur-

ſurdum, ſic enim nulla daretur diſtinctio inter Religioſos Ord. S. Franciſci, omnis dominii, non tantum perſonalis, ſed etiam in communi incapaces, & reliquos ordines monaſticos, qui juxta communem ſententiam habent dominium in communi.

Resp. Nego min. ad prob. *Conc. maj.* Nego *min.* & probationem. Nam fratres minores ex ſingularis paupertatis voto incapaces ſunt *omnis* dominii, undecunque oriatur: reliqui autem ordines ex titulo paupertatis ſunt ſolum incapaces Dominii *perſonalis.* Quod vero non habeant dominium rerum, Deo intuitu ſervitii divini oblatarum, non provenit ex voto paupertatis, ſed ex natura talium bonorum, & mente fidelium, *ſub modo* donantium. Eſt adhuc aliud latum diſcrimen; nam ceteri ordines habent dominium illorum bonorum, quæ titulo laicali poſſident, v. g. hæreditates, legitimas, legatá ſuorum Religioſorum, quæ non intuitu ſervitii divini donantur, ſed jure naturæ filiis debentur, ſicut habuiſſent, ſi manſiſſent in ſæculo. Quodſi ex iſtis pecuniis emantur bona immobilia, eorum pariter dominium in communi penes monaſterium exiſtit. Atvero fratres minores hujus dominii incapaces ſunt.

Objic. VII. S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 214
7. ait de Epiſcopo: „ De his autem, quæ „ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, vi-

„ detur

„ detur esse eadem ratio, quæ est de pro-
„ priis bonis; ut scilicet propter immo-
„ deratum affectum & usum peccet qui-
„ dem, si immoderate sibi retineat, &
„ aliis non subveniat, sicut requirit debi-
„ tum charitatis. „ Ergo eodem modo habet dominium suorum reddituum Ecclesiasticorum, sicut patrimonialium, nec peccat contra justitiam, sed solum contra charitatem, si in causas pias superflua non expendat.

Resp. I. Quamvis non desint, qui D. Thomam Adversariis favere existiment. Vix tamen est verosimile, S. D. a Traditionis via hac in quæstione voluisse deflectere. Dico ergo, mentem S. Thomæ non nihil dubie expressam, desumendam esse ex aliis locis, & secum ipso concordandum. Nam præter ea, quæ n. 206. ex eodem citavi, sic ait 2. 2. q. 110. a. 1. ad 7. „ Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ
„ ut principalis dispensatoris, non tamen
„ ejus ut Domini & possessoris. „ Et eadem parte. q. 119. a. 3. ad 1. „ Clerici
„ sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ,
„ quæ sunt pauperum, quos defraudant
„ prodige expendendo. „ Et eadem part. q. 86. a. 2. „ Oblationes quæ a populo
„ Deo exhibentur, ad Sacerdotes perti-
„ nent, non solum ut eas in suos usus
„ convertant; verum etiam ut eas fideli-
„ ter dispensent, partim quidem expen-

„ dendo

„ dendo eos in his, quæ pertinent ad cul-
„ tum divinum. Partim vero in his, quæ
„ pertinent ad proprium victum, partim
„ etiam in usus pauperum. „ Item ead. part. q. 87. a. 1. ad 4. „ Decimæ, quæ
„ ministris Ecclesiæ dantur, per eos de-
„ bent in usum pauperum dispensari. „
Et art. 3. ad 1. „ In lege nova decimæ
„ dantur Clericis non solum ad suam su-
„ stentationem, sed ut ex eis subveniant
„ pauperibus, & ita non superfluunt. „
Et art. 4. ad 4. „ Decimæ debent cede-
„ re in subventionem pauperum per di-
„ spensationem Clericorum. „

Resp. II. *Dist.* textum: eadem est ratio &c. quoad aliquid, quatenus Episcopus, aut Clericus, supposita divisione & assignata per eam certa pauperibus portione, nihil jam pauperibus ex sua portione de justitia debeat. *Conc.* Eadem est ratio quoad omnia. *nego.* Quod enim etiam ex sua portione superest, ex mente fidelium ad cultum Dei, & in genere ad pias causas expendere debet. Dein etiam observari meretur, quod D. Thomas utatur verbo dubio: *videtur.* Et non definiat, an ex justitia obligetur ad restitutionem, quod tamen quodlibeto 6. expresse tradiderat.

Resp. III. Si D. Thomas voluisset docere, quod Episcopus possit *eodem modo* de Ecclesiasticis & patrimonialibus disponere,

tunc non dixiſſet loco in objectione allegato ad 2. „ Et ideo ſi de eo, quod „ uſui Epiſcopi vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, „ & conſanguineis vel aliis dare, non peccat; dummodo illud faciat moderate, id „ eſt, ut non indigeant, non autem ut „ ditiores inde fiant. „ Atqui de patrimonialibus utique dare poteſt ultra indigentiam, etiam ut ditiores inde fiant. Ergo non voluit facere *omnimodam* paritatem. Taceo, quod D. THOMAM pro noſtra ſententia expoſuerint primarii ejus diſcipuli, S. ANTONINUS, aliique ab AMORTO allegati.

215 RESOLUTIO V. Clerici quamvis habeant ſufficiens patrimonium, non debent neceſſario de illo ſe ſuſtentare, ſed poſſunt vivere de redditibus Eccleſiæ: de patrimonio autem pro libitu diſponere. Eſt contra multos Theologos gallos, & Clar. D. AMORTUM.

PROB. I. SS. Canones in univerſim & in genere definiunt, poſſe Clericum vivere ex bonis Eccleſiæ, absque ulla diſtinctione inter divitem & pauperem: *ergo.* vid. cap. 10. I. 2. cap. 45. §. 1. cauſ. XII. 2. cap. 16. & 30. de Præbend.

216 II. In nullo Concilio hoc onus impoſitum eſt Clericis, ut de patrimonialibus

diſpo-

diſponere nequeant pro libitu. Atqui juxta Adverſarios non poſſent, ſed deberent inde ſe ſuſtentare, & redditus Eccleſiaſticos etiam neceſſarios erogare in cauſas pias. Ergo.

III. Ex verbis Chriſti & Pauli ſupra n. 217
165. allegatis, quæ ſcientiæ iſti expreſſe favent.

IV. Juxta Paulum I. Cor. IX. Clericus 218
qui labore victum quærit, adhuc ſuſtentationem ſuam exigere poteſt a populo, cui ſacra miniſtrat. Atvero quod aliquis labore vel artificio quolibet lucratur, ad patrimonium ejus ſpectat: ergo poteſt aliquis patrimonio non uti, & vivere de redditibus Eccleſiaſticis.

V. Clerici, qui poſt ordinationem quæ- 219
dam adquirunt patrimonialia, pro libitu de iis diſponere poſſunt, juxta Can. 49. Concilii Carthaginensis III. cap. 1. XII. 3. „ Si ipſis (Clericis) proprie aliquid „ liberalitate alicujus, vel ſucceſſione co„ gnationis obvenerit, faciant inde, quod „ propoſito eorum congruit. „ Atqui hoc non poſſent juxta Adverſarios, ſed debérent ſe inde ſuſtentare: ergo contra Canones loquuntur. Idem ſtatuit Concil. Parisiense III. relatum a continuatore Tournelii. „ Decrevimus, ut Epiſcopus „ res ſui juris, quæ aut ante Epiſcopa-

„ tum, aut certe in Episcopatu hæreditaria „ successione adquisivit, secundum autho- „ ritatem Canonicam quidquid quoque „ vult, faciat . . . res autem & facultates „ Ecclesiæ . . . non in propinquorum suo- „ rum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura „ deveniant. „

220 VI. Authoritate D. Thomæ qui 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. docet. „ Dicendum, „ quod non omnia bona Ecclesiarum sunt „ pauperibus largienda, nisi forte in arti- „ culo necessitatis; in quo pro redemptio- „ ne captivorum, & aliis necessitatibus „ pauperum, etiam vasa cultui divino di- „ cata distribuuntur: & in tali necessitate „ peccaret Clericus, si vellet de rebus Ec- „ clesiæ vivere, dummodo haberet patrimo- „ nialia bona, de quibus vivere posset. „ Ergo extra hunc casum necessitatis non obligatur de patrimonialibus suis vivere.

221 Objic. I. Contra hanc Resolutionem V. Can. Apost. 40. præter alia statuit: „ Ex „ his autem, quibus indiget, Episcopus, „ NB. *si tamen indiget*, ad suas necessita- „ tes & peregrinorum fratrum usus ipse „ percipiat, ut nihil eis possit omnino „ deesse. „ Eadem fere habet Concil. Antiochenum Can. 25. ut habetur apud Grat. cap. 23. XII. 1. Ergo si Episcopus aut Clericus non indiget, de Ecclesiæ redditibus vivere non potest. Atqui habens patrimonialia non indiget. Ergo. Resp.

Resp. Hæc verba: *ſi tamen indiget*, non referenda ſunt ad Epiſcopum: ſed ad conſequentia, *ad ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum*, hoc ſenſu: Epiſcopus, ſi multos alere fratres debeat, Canonicam e bonis Eccleſiaſticis portionem tam ad ſui, quam eorum, qui ad ſe peregrinando divertunt, ſuſtentationem percipere poteſt; quam tamen totam percipere non poſſet, ſi tantus peregrinantium non foret numerus. Porro ſic eſſe exponendum hunc Canonem Apoſtolicum, patet; quia ſecus non ſatis conveniret cum Can. 39. & maxime, quia hic ipſe objectus Canon in fine dicit generaliter: „ Ordinavit enim „ lex Dei, ut qui altari inſerviunt, de „ altari nutriantur: NB. quomodo nec „ milites unquam ſuis annonis arma ho„ ſtibus inferunt. „ Quæ verba magis favent Clericis patrimonio inſtructis, quam pauperibus, qui *annonis ſuis* ſupponuntur deſtituti. Eodem modo exponendus etiam Can. Antiochenus, qui videtur deſumptus ex Apoſtolicis.

Objic. II. S. Hieronymus ſcribens ad 222
Damaſum, & relatus cap. 6. cauſ. I. q. II. & plenius cap. ult. XVI. 1. ait: „ Clericos illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſu„ ſtentari, quibus parentum & propin„ quorum nulla ſuffragantur bona; qui „ autem parentum bonis & opibus ſuis „ ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt

„ accipiunt, ſacrilegium profecto commit-
„ tunt; & per abuſionem talium judicium
„ ſibi manducant & bibunt. „

Resp. Textus ille non legitur inter opera Hieronymi, ut notarunt citatis locis correctores Romani, adeoque nullius eſt authoritatis. Sed permiſſa etiam non nulla ejus authoritate, dicit gloſſa, verbum *accipiunt*, debere ſumi cum addito: *& in malos uſus convertunt*. 2. Eſſe ſolum exhortationem, non præceptum. 3. Intelligi debere de portione pauperibus deſtinata. 4. Aut loquitur de caſu neceſſitatis, de quo agit S. Thomas num. 220. citatus.

223 Objic. III. S. Prosper, ſeu potius Julianus Pomerius de vita contemplativa lib. II. cap. 9. & 10. relatus a Gratiano cap. 7. 8. 9. cauſ. I. q. 2. hoc ipſum claris verbis docet.

Resp. Juliani Pomerii privati authoris verba legem non faciunt, ſed ejus piam mentem declarant, & conſilium ſubminiſtrant. Ait enim lib. II. cap. 12. „ No-
„ verint eſſe deformius, poſſeſſores de
„ eleemoſynis pauperum *veſci*. 2. Loquitur de portione pauperibus debita, 3. maxime caſu neceſſitatis, de quo S. Thomas. 4. Loquitur de iis, qui ſe in Clericorum communitates recipiebant ex avaritia: „ Ne
„ ali-

„ aliquos pauperes paſcant, ne advenien-
„ tes excipiant, aut ne ſuum cenſum ex-
„ penſis quotidianis imminuant. „ ut ipſe ait. 5. Eo ſenſu intelligi debet hic author, quo eum intellexerunt veteres: atqui Patres Concilii Aquisgranensis iſto ſenſu intellexerunt. Ajunt enim cap. 108. „ Quam-
„ quam Canonicis (quod in ſacris Cano-
„ nibus illis prohibitum non legitur) li-
„ ceat proprias res & Eccleſiæ ex humi-
„ litate & juſtitia habere, quod Mona-
„ chis . . . penitus inhibitum eſt. „ & cap. 120. „ Proinde qui & ſuas & Eccleſiæ
„ habent facultates, & Eccleſiæ utilitatem
„ interius & exterius conferunt, accipiant
„ in congregatione cibum & potum, &
„ partes eleemoſynarum, & his contenti
„ ſint: ne plus accipientes, pauperes gra-
„ vare videantur, perpendentes ſententiam
„ Proſperi, (Juliani Pomerii) qua dici-
„ tur: qui ſua poſſident, & dari ſibi ali-
„ quid volunt, ſine grandi peccato ſuo,
„ unde pauper victurus erat, non acci-
„ piunt. „

Objic. IV. S. Augustinus allegatus a 224
Gratiano cap. 28. XII. 1. „ Si privatim
„ quæ nobis ſufficiunt poſſidemus, non
„ ſunt illa (bona Eccleſiaſtica) noſtra,
„ ſed pauperum, quorum procurationem
„ quodammodo gerimus, non proprieta-
„ tem nobis uſurpatione damnabili vindi-
„ camus. „ Ergo.

Resp. *Disting.* Si privatim possidemus *assignatam* nobis *ab Ecclesia portionem*, cetera sunt pauperum: *Conc.* Si privatim possidemus *patrimonialia*, omnia Ecclesiastica sunt pauperum. *Nego.* Vult Augustinus, Clericum contentum esse debere sua portione, nec involare in eam, quæ est pauperibus destinata. Aut si loquitur de patrimonialibus, tunc intelligendus est de casu necessitatis, de quo loquitur S. Thomas citatus.

225 Alii ad omnes auctoritates oppositas in genere respondent, I. eas contrario usu abrogatas fuisse. II. Ecclesia olim, quando proventus erant tenues, statuit, ut illis solum Clericis, qui ex propriis bonis se sustentare non poterant, de Ecclesiæ bonis provideretur, non autem illis, qui habebant patrimonium: postquam vero Beneficia stabiliter erecta fuerunt, cuique Beneficiario jus in assignatam sibi portionem assignata fuit, unde vivere licite posset.

226 Resolutio VI. Quamquam, ut Card. Bellarminus cum sale advertit, perinde sit, an Clerici bonis Ecclesiasticis abutentes, charitatis, vel justitiæ defectu damnentur: dicendum tamen, eos obligari ex justitia ad eroganda superflua in causas pias: & ubi secus fecerint, ad restitutionem obligatos esse.

Prob.

Prob. I. Clerici tenentur erogare ſuperflua in cauſas pias: atqui 1. non ſolum ex charitate, neque 2. ex virtute religionis, neque 3. vi ſolius præcepti Eccleſiaſtici. Ergo ex juſtitia; alia enim radix obligationis vix adſtrui poteſt. *min. prob.* quoad 1. juxta communiſſimam Theologorum ſententiam, hæc obligatio eſt gravis: ſed obligatio *charitatis* & miſericordiæ non ſemper eſt gravis, niſi quando pauperes in extrema neceſſitate exiſtunt, quod rarius contingit. Ergo hæc obligatio non eſt ex charitate tantum. 2. Hæc obligatio eſt Clericis ſpecialis & propria, ut patet ex citatis hucusque Can. obligatio autem charitatis eſt omnibus hominibus communis; dicit enim Chriſtus ad omnes Luc. XI. 41. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* 3. Si obligarentur ex ſola charitate, tunc ſuperflua NB. tantum in pauperes erogare deberent, & non etiam in alias cauſas pias: ſequela autem eſt falſa. *Ergo.*

Minor *prob.* quoad 2. Si obligantur ex 227
virtute *Religionis*; tunc ideo; quia bona Eccleſiaſtica ſunt *Res Dei* & ea intentione a fidelibus donata, ut ad cultum divinum cauſasque pias applicentur. cap. 3. & 13. XII. 3. prout placet Cardinali de Lugo, hujus ſententiæ Patrono: atqui hoc ipſo quod bona Clericorum ſint *res Dei*, eorum dominium non poteſt eſſe penes Cle-

ricos, consequenter simul contra justitiam faciunt, erogando ea ad profana: faciunt etiam contra pactum tacitum cum fidelibus initum: ex n. 205. seq.

228 RESP. non nemo, negando causalem, & putat, ideo Clericos obligari ex virtute religionis, quia bona solum intuitu Dei Clericis offeruntur.

CONTRA est I. Eleemosyna pauperibus plerumque erogatur intuitu Dei, nec tamen pauperes tenentur superflua erogare ex virtute religionis, si forte facti fuerint ditiores. II. Eodem modo donantur res Clericis, sicut Ecclesiis: atqui superflua Ecclesiarum ex *justitia* eroganda sunt in causas pias, & non solum ex *religione*. Ergo. III. Motivum donandi non mutat naturam rei donatæ, bene vero modus, sub quo donatio fit.

229 PROB. *min.* principalis quoad 3. Hæc obligatio descendit ex *jure divino*, ut plurimi ex Adversariis apud P. REIFFENSTUEL J. Can. & præcipue VASQUIUS fatetur his verbis: „ Nullum legi, qui assereret, ju- „ re tantum humano, cui per consuetu- „ dinem derogari posset, sed omnes asse- „ runt, ad hoc Clericos teneri jure divi- „ no & naturali. „ Et hoc ideo; quia vel peccant contra charitatem, vel contra religionem, vel contra justitiam. Ergo

non

non ſola lege Eccleſiæ obligantur, ſed divino & naturali jure: quod colligitur ex Tridentino Seſſ. 23. de Refor. cap. 1. ubi expreſſe aſſerit: Clericos *præcepto divino* teneri, pauperum, aliarumque perſonarum miſerabilium curam paternam gerere. Ergo etiam quoad alias cauſas pias jure divino, & non ſolum humano obligantur.

Prob. II. Clerici non ſunt Domini ſuperfluorum, ut probatum eſt hactenus: ergo obligati ſunt ex juſtitia eadem erogare juxta intentionem fidelium: atqui intentio fidelium fuit, ut ſuperflua erogentur in cauſas pias. Legatur etiam Can. 59. XVI. 1. Ergo. 230

Prob. III. Quod alicui ſub certo modo & conditione datur, hic ad illam conditionem & modum implendum ex juſtitia obligatur ex leg. 1. 2. 3. Cod. *de Donat. quæ ſub modo vel conditione.* & quia hoc caſu intercedit contractus innominatus: atqui fideles offerendo ſua bona Clericis pacto expreſſo vel tacito (vid. n. 205. ſeq.) eo fine & conditione, ac ſub modo donant, ut quod ſupereſt Clericorum ſuſtentationi, ad cultum divinum & reparationem Eccleſiarum, alimoniam pauperum, uno verbo, ad cauſas pias applicetur, ex dictis. Ergo ex juſtitia. *Min. prob.* niſi fideles hac intentione dediſſent, non feciſſent opus bonum & meritorium; 231

ſi

si enim nulla habita ratione pietatis & cultus divini, Clericorum tantum vanitati & Nepotum eorum luxui providere voluissent, tunc potius opus malum fecissent. Præsumendum est autem de fidelibus, de quorum mente expresse non constat, eos intendisse opus pium & meritorium. Ergo præsumendum est, eos hac intentione donasse.

232 Prob. IV. Nisi dicatur, fideles hac intentione donasse res suas, tunc Adversarii nullum amplius habent fundamentum, obligandi Clericos ad eroganda superflua in causas pias, & quidem sub peccato gravi: nam juxta ipsos Clerici sunt Domini superfluorum: omnia illorum bona sunt patrimonialia. n. 207. & quasi profana. n. 208. in objectione: neque ex intentione fundatorum tenentur in alios, quam proprios ad libitum usus convertere. Ergo nulla jam est obligatio, sed plenum & illimitatum dominium illis competit, sicut in propria patrimonialia.

233 Dicent, obligari eos ex præcepto Ecclesiæ.

Contra est. Si hoc; tunc non ex jure divino, contra Tridentinum n. 229. tunc potest Pontifex in hac obligatione dispensare: potest contra hoc præceptum humanum introduci valida, & licita consuetudo:

do: ſicque jam nulla erit obligatio. Sequeretur etiam, diſpenſationem ſuperfluorum ad profana, ſolum eſſe malam, quia prohibitam. Atqui ex SS. Can. & TRIDENTINO Concilio ſatis colligitur, ideo eſſe prohibitam, quia bona Eccleſiæ ſunt *res Dei, Patrimonium Chriſti, vota fidelium, pretia peccatorum* &c.

Denique legatur Bulla Innocentii XII. contra Nepotiſmum apud Cardinalem SFONDRATI, ubi Pontifex ait: „ Juſtitiæ & prudentiæ leges cuſtodiendas, & de rebus „ Eccleſiaſticis juxta æquitatis & *juſtitiæ* „ rationem diſponendum eſſe. „

OBJIC. I. Contra VI. Reſolutionem. Si 234
ideo Clerici ex juſtitia tenentur erogare ſuperflua in cauſas pias, quia ſunt *res Dei*, & hac intentione a fidelibus donatæ: tunc ſequitur, eadem obligatione obſtrictos eſſe miniſtros Eccleſiæ laicos, cantores, æditus &c. atqui hoc falſum. Ergo.

RESP. Nego *ſeq.* nam quæ miniſtris laicis dantur ex bonis Eccleſiæ, ſunt vera & propria merces reſpective laicalis, nec dantur cum hoc onere, quemadmodum Clericis: neque tam abundanter dantur: & illi plerumque integram familiam ſuſtentare debent. Dein retorq. miniſtri laici nullo modo tenentur erogare ſuperflua in cauſas pias ex hoc titulo, quod ſint ab

Eccle-

Ecclesia profecta, quamvis ut alii divites ex generali præcepto charitatis obstricti sint. Atqui hæc Clericorum obligatio certa est, iisque propria. Hinc nulla paritas inter laicos mercenarios, & Clericos, ex altiore motivo altari deservientes; utpote ut in sortem Domini cooptati, contemptis sæcularibus curis Domino, parti hæreditatis suæ, unice deserviant: ideo tonsi, ut superflua se dimisisse, aut libenter dimissuros se meminerint.

235 Objic. II. Viget hodie universalis fere consuetudo, ut Clerici superflua sua ad causas, etiam profanas libere expendant. Ergo.

Resp. retorq. Ergo neque ex præcepto Ecclesiæ amplius obligantur? Ceterum hanc consuetudinem siqua tamen viget, de qua dubitare licet, potius esse corruptelam, mox ostendam.

236 Resolutio VII. Consuetudo, qua Clerici ad causas profanas testantur, illicita & invalida videtur.

Ante probationem observandum I. Clericos, quemadmodum proprie sunt Domini bonorum patrimonialium, ita de iis libere testari posse, non item de bonis consideratione Ecclesiæ acquisitis, per clarum textum cap. 9. *de Testament.* item cap. 19. XII. 1. cap. 1. & 2. XII. 3. II. S

II. De bonis Eccleſiaſticis, etiamſi in vivis ad quaslibet cauſas pias diſponere poſſint, teſtari tamen jure prohibentur cap. 1. 7. 8. 9. 12. de Teſtam. Rationem prohibitionis hanc dant auctores, ut Clerici, attendentes, nullam ſibi ſupereſſe facultatem de bonis ſuis mortis cauſa diſponendi, a turpi illa & nociva coacervandi cura, ac tenaci ſolicitudine liberi, bona ſua ſuperflua adhuc in vivis ad pias cauſas libentius applicent.

III. Poteſt tamen introduci conſuetudo, ut ad pias cauſas licite & valide teſtentur cap. 12. de Teſtam. Quia cum id ſolo jure Eccleſiaſtico prohibitum ſit, eidem contraria conſuetudine, quæ tamen rationabilis eſſe debet, derogari poterit. Et iſta conſuetudo paſſim jam viget, ut teſtatur Clar. E. Bernardus Reitter *in jure Cleri circa teſtamenta*, diſcurſu prodromo n. 2. Idem quoad cauſas profanas fieri poſſe, quidam admittunt. Alii validam, non tamen licitam defendunt ejusmodi conſuetudinem ad cauſas profanas teſtandi.

Prob. Reſolutio quoad I. partem. Illi- 237
cita eſt conſuetudo, Juri divino & naturali contraria: atqui conſuetudo teſtandi ad cauſas profanas, eſt contraria Juri divino & naturali, quo Clerici tenentur ſuperflua erogare in cauſas pias. Ergo eſt illicita.

II.

238 II. Nemo poteſt de re aliena, cujus non eſt Dominus, diſponere inter vivos invito Domino: ergo nec mortis cauſa, quia manet res aliena. Atqui ſuperflua Clericorum ſunt res aliena, nempe Patrimonium Chriſti. *Ergo.*

239 III. Dato, non conceſſo, quod ſolo jure Eccleſiaſtico prohibita ſit Clericis erogatio ſuperfluorum ad cauſas profanas, certum tamen eſt, quod graviter peccent contra iſtud præceptum agentes, adeoque illicita ſit conſuetudo inter vivos: ergo etiam illicita eſt conſuetudo ſic diſponendi mortis cauſa; quia utique majorem poteſtatem habent Clerici inter vivos, arg. cap. 8. de Teſtam. quam mortis cauſa.

240 Prob. II. pars. Conſuetudo, quæ non eſt *rationabilis*, ſed juri naturali & divino contraria, certo eſt invalida ex cap. 10. & fin. *de conſuetud.* Atqui hæc conſuetudo non eſt rationabilis &c. Ergo. minor *prob.* conſuetudo nutritiva peccati, & quæ ſine periculo animæ exerceri non poteſt, non eſt rationabilis; atqui talis eſt iſta conſuetudo, utpote illicita ex n. præc. Ergo.

241 II. Contradictionem involvere videtur, ut conſuetudo quædam ſit *illicita*, & tamen *valida*: nam illicita, *rationabilis* eſſe non poteſt: quæ autem *rationabilis* non eſt,

eſt, neque *valida* eſſe poteſt. Aliud eſt enim, conſuetudinem inchoari contra legem per actus peccaminoſos, aliud conſuetudinem continuatam eſſe peccaminoſam. Primum, non alterum admitti poteſt.

III. In cap. 12. de teſtam. Solum appro- 242
batur conſuetudo teſtandi ad cauſas *pias*: ergo illa teſtandi ad *profanas* hoc ipſo reprobata eſt. Et quamvis argumentum a contrario non ſemper efficaciam habeat; valet tamen, quando contrarium non eſt aperte deciſum: uti certe definitum in jure nullibi eſt, conſuetudinem ad cauſas profanas teſtandi eſſe probatam: imo aperte improbatur ex n. 236.

IV. Conſuetudo, quæ vergit in damnum 243
& detrimentum Eccleſiæ, non valet, juxta cap. 1. de conſuetud. Atqui hæc conſuetudo cedit in detrimentum Eccleſiæ, quæ alias jus habet ſuo Clerico ſuccedendi ab inteſtato: quo tamen privatur per teſtamentum ad cauſas profanas. Quamvis autem Eccleſia quædam particularis privetur ſuo jure per teſtamentum Clerici etiam ad cauſas pias conditi, præterita illa Eccleſia, cui deſervierat: non privatur tamen ſuo jure Chriſtus, cui bonorum omnium Eccleſiaſticorum dominium competit.

244 V. Cap. 40. de elect. in 6. damnatur consuetudo, vi cujus in Ecclesiis cathedralibus, Regularibus ac Collegiatis vacantibus „ Capitula, Conventus, Colle-„ gia, & singulares earundem Personæ „ bona, a Prælatis ipsorum dimissa, vel „ vacationis tempore obvenientia, quæ in „ utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, „ vel futuris deberent successoribus fideli-„ ter reservari, occupant, inter se divi-„ dunt, surripiunt, dilapidant, dissipant „ & consumunt in eorum grave dispen-„ dium & jacturam. „ Ergo etiam damnatur consuetudo, vi cujus Laici res a Clerico testatore relictas, & de jure Ecclesiæ debitas occupant, inter se dividunt, in Ecclesiæ grave dispendium: ergo etiam damnatur consuetudo ita testandi, quæ profanis jus faceret res Ecclesiasticas occupandi.

245 Objic. I. Contra hanc VII. Resolutionem. Clerici solo jure humano Ecclesiastico prohibentur testari: atqui humanum jus potest contraria consuetudine abrogari: *ergo* &c.

Resp. Nego *maj.* Jam enim probatum fuit n. 226. seq. Obligationem erogandi superflua, ex jure naturali & divino descendere, quod nulla consuetudine abrogari potest. Quamvis autem Auctores passim testentur, in multis provinciis & diœcesibus

ceſibus actu vigere eam conſuetudinem, tolerante, & ſic quaſi tacite approbante Romano Pontifice cum Eccleſia; hoc tamen non evincit intentum Adverſariorum. Nam conſtat ex cap. 18. de præb. *multa per patientiam tolerari, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debent tolerari.* Quod autem toleretur iſta conſuetudo, nempe *pro foro externo* tantum, plures eſſe poſſunt rationes. 1. Ad evitanda majora mala, ne Clerici in favorem conſanguineorum teſtari non permiſſi, ſuperflua commeſſationibus, aliisque illicitis uſibus dilapident, cum ſcandalo fidelium. Arg. cap. *denique.* 6. §. 1. Diſt. 4. Secunda ratio eſſe poteſt, quia cum difficile diſcernatur, an Clericus de Patrimonialibus vel Eccleſiaſticis ad profana fuerit teſtatus, ſicque innumeræ lites orirentur: videtur Eccleſia conſcientiæ Clericorum, quando in aditu æternitatis & Judicii ſeveriſſimi conſtituti ſunt, relinquere & illorum teſtamenta *pro foro externo* ſuſtinere.

OBJIC. II. Quæ poſſunt ex privilegio & 246
diſpenſatione Romani Pontificis adquiri, poſſunt etiam obtineri conſuetudine arg. cap. 9. de off. ord. in 6. Atqui jus teſtandi ad cauſas profanas adquiri poteſt ex privilegio. Ergo etiam conſuetudine: & hinc eo ipſo non eſt juris divini, in quo Pontifex diſpenſare non po-

teſt. *minor prob.* hoc privilegium de facto conceſſum fuit Clero Romano a SIXTO IV. an. 1474. a JULIO III. in Bulla *cupientes* anno 1550. confirmata a PAULO V. in Bulla *in eminenti* anno 1606. ſic autem loquitur JULIUS: „ De omnibus bonis, Ju„ ribus &c. etiam ex fructibus, redditi„ bus & proventibus Eccleſiarum & be„ neficiorum Eccleſiaſticorum acquiſitis, cu„ juscunque quantitatis, qualitatis, ſum„ mæ, valoris & pretii, ſeu conditionis „ exiſtant, tam *donare inter vivos*, *quam* „ *mortis cauſa*, *etiam teſtamento*, & qua„ vis alia ultima voluntate in favorem „ conſanguineorum & affinium, & qua„ rumvis aliarum perſonarum diſponere li„ cite valeant. „

RESP. I. Nego *maj.* Quod enim pro uno vel altero caſu rationabile eſt, non etiam pro *omni* caſu rationabile eſt. e. g. Pontifex ſecundum multos auctores in votis etiam ſolemnibus, in gradibus conſanguinitatis diſpenſare, Religioſo facultatem teſtandi concedere poteſt: nec tamen hæc omnia conſuetudine obtineri poſſunt.

247 RESP. II. Nego *min.* Nimium enim probat, nempe Clericos etiam inter vivos non obligari ſuperflua applicare ad cauſas pias, quod nec Adverſarii admittunt. Neque etiam credibile eſt, quod citati Pon-

tifices obligationem juris divini & naturalis, tot Patrum aſſertis, tot Conciliorum Canonibus, tot Prædeceſſorum decretis roboratam, uno quaſi halitu ſubvertere, & Eccleſias, cauſasque pias omni jure, quod in bona Clericorum habuere ſemper, in momento privare voluerint, aut potuerint.

Resp. III. Allegatæ, ſimilesque conſti- 248
tutiones intelligendæ ſolum ſunt de *foro externo*, ita ut Clerici, aliique Romæ teſtantes, vel ab inteſtato decedentes, ſecuri ſint, quod illorum relicta bona non ſint invadenda a fiſco Cameræ Apoſtolicæ, quod Julius III. & Paulus V. expreſſe cavent. Porro hanc reſponſionem ut juſtam & piam approbatam eſſe a S. Pio V. teſtatur Navarrus apud Clar. P. Reitter.

Resp. IV. Motivum, tale privile- 249
gium Clero & populo Romano concedendi, fuit, ut ſplendor almæ urbis, quæ caput eſt orbis, & Eccleſiæ reſtitueretur, & ut Clerum populumque hoc favore magis ſibi devincirent Pontifices, quorum multum intereſt, eos ſibi habere fideles. Ideo & P. Reiffenſtuel judicat, hoc ipſum privilegium in bonum Eccleſiæ ordinari, adeoque concurrere cauſam piam, quæ ejusmodi teſtamentum cohoneſtare valet.

250 Resp. V. Nego ſequelam, prohibitionem teſtandi ad profana non eſſe juris divini: vel *diſtinguo*, non eſt juris divini *abſoluti*. trans. non eſt juris divini *hypothetici*. *Nego*. cum enim Romano Pontifici, tanquam Chriſti vicario, ſubordinatæ ſint fidelium voluntates, poteſt ille ex ſuprema ſua poteſtate eandem immutare, non acceptare, ſeu retro inhabitare in quibusdam circumſtantiis, ſicque indirecte diſpenſare v. g. in votis, retro inhabilitando voluntatem voventis: immutando voluntatem fidelis, bona ſua Eccleſiæ offerentis: atque vi Dominii *quaſi eminentis*, ſeu potius vi poteſtatis ſupremi diſpenſatoris de rebus Eccleſiaſticis diſponendo: quemadmodum Princeps ſæcularis vi ejusdem Dominii alti de bonis ſubditorum in quibusdam caſibus diſponere poteſt. Adeoque obligatio erogandi ſuperflua in cauſas pias, eſt juris divini in Theſi, non autem in hypotheſi, qua Pontifex voluntatem offerentis immutat. &c.

251 Objic. III. In extravagante 2. Joan. XXII. *de elect.* adprobatur conſuetudo, qua etiam perſonis ſæcularibus ex redditibus vacantium beneficiorum aliquid percipere licet, ergo & conſuetudo, teſtamento aliquid relinquendi profanis, probari poteſt.

Respondet Magnif. P. Schmier, hic non decidi, num perſonæ, quibus ex conſuetudine

tudine redditus Ecclesiarum vacantium obvenire possunt, circa illos ad causas profanas testari valeant. Et licet in fine mentio fiat *sæcularium*, quasi & isti virtute consuetudinis tales redditus adquirere possint, attamen haud aliæ personæ sæculares intelligi possunt, nisi quæ in servitio Ecclesiæ sunt constitutæ: quibus si quid obveniat ex bonis Ecclesiæ, prohibitum non est, in usum quem voluerint applicare.

Resp. II. Non absolute permittitur ista 252
consuetudo, sed cum aliquo temperamento; ut de redditibus Ecclesiæ vacantis non accipiatur major quantitas, quam quæ determinata est pro solutione decimarum: sicut ergo laici ipsas decimas adquirere possunt ex privilegio: ita & aliquod æquivalens.

Resp. III. Forte illæ Personæ fuerunt 253
Patroni Ecclesiæ vacantis, aut de ejus familia, vel benefactores, aut eorum hæredes, quibus ex gratitudine aliquid dare non est irrationabile.

§. IV.

De Dominio Religiosorum.

Sermo est de Religiosis, Regulam ap- 254
probatam professis, non autem de Eremitis,

mitis, aut Tertiariis, qui non religiosi, sed vere sæculares sunt, & Dominii indubie capaces. Quamvis enim vivant in aliquo ordine *late dicto*, ille tamen ordo non est *Religiosus*. Idem dicendum est de Novitiis, qui licet in favorabilibus pro veris Religiosis habeantur, & privilegiis fori Canonici, & ordinis sui gaudeant, dominium tamen rerum suarum retinent; cum ante professionem de iis licite & valide testari queant.

255 Notum est, aliam esse professionem *simplicem*, aliam *solennem*. Utrinque emittuntur vota *substantialia* paupertatis, castitatis, & obedientiæ. In quo autem votorum solennitas consistat, non adeo conveniunt auctores: videtur reposita in duabus: 1. ut Religiosus perpetuo se obliget Monasterio vel ordini: & vicissim ordo se eidem perpetuo obliget. 2. In constitutione Ecclesiæ, qua vovens ad certos effectus redditur inhabilis, v. g. ad contrahendum matrimonium, ad habendum rei alicujus dominium in particulari: ad obligandum se alteri nomine proprio, citra voluntatem superioris: sic enim ait Bonifacius VIII. cap. un. de *voto* in 6. *solennitas voti ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Hæc ipsa autem constitutio efficere videtur, ut dicta oriatur inhabilitas ad non nullos effectus, cum voto simplici per se compatibiles, & reciproca inter

Reli-

Religiosum & Religionem obligatio. Religiosos Dominii etiam in communi incapaces esse, docuerunt olim APOSTOLICI, & postea FRATRICELLI atque etiam MAJOR. tit. de V. S. Contra quos sit

256 RESOLUTIO I. Religiosi sunt capaces dominii in communi bonorum, tam immobilium quam mobilium, sensu num. 213. exposito.

PROB. I. Religiosi nec vi voti paupertatis, nec vi Ecclesiasticæ legis sunt incapaces dicti dominii. *Ergo. Ant. prob.* 1. Non vi voti paupertatis; hoc enim non obstante Religiosi Societatis Jesu post emissa vota simplicia, quibus veri efficiuntur Religiosi, adhuc retinent dominium suorum bonorum in particulari. Ergo multo magis dominium in communi consistere potest cum voto paupertatis. Ad hoc enim sufficit, ut Religiosus a se abdicaverit usum liberum rerum suarum, eumque alligaverit voluntati Superiorum. Quod patet ex constitutione GREGORII XIII. *ascendente* Domino. 2. Non ex vi constitutionis Ecclesiasticæ; nam TRIDENTINUM Sess. XXV. cap. 3. *de Regularibus*, permittit omnibus Monasteriis & Domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Jura antiqua Religiosos tantum interdicebant

dominio *particulari*: ergo ſalvum ipſis manebat dominium *in communi.*

257 Prob. II. Joannes XXII. cap. *cum inter non nullos*. extravag. ejusdem de V. S. definiit, Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe dominium rerum in communi, nec hujus abdicationem pertinere ad perfectionem Evangelicam. *Ergo.*

258 Objic. I. Tota communitas Clericorum non habet dominium ſuorum bonorum Eccleſiaſticorum, cum illud, in noſtris principiis, ſit penes Chriſtum: ergo nec communitas Religioſa habet dominium ſuorum bonorum Religioſorum.

Resp. *Diſting. conſ.* non habet dominium bonorum Religioſorum, quæ ſunt religioſa, vel Eccleſiaſtica, a fidelibus Deo dicata. *Conc.* Aliorum, titulo Laicali adquiſitorum, quemadmodum ſunt hæreditates, & bona inde comparata. *Nego.* Reſpectu priorum bonorum habent Jus ſaltem adminiſtrandi, quemadmodum Clerici.

259 Objic. II. Bona Religioſorum non minus ſunt Eccleſiaſtica, quam Clericorum: ergo eodem modo ſunt extra eorum dominium.

Resp. *Diſting. ant.* Bona Religioſorum *aliqua*, non minus ſunt Eccleſiaſtica. *Conc.*

om-

omnia. *Nego.* ſicut enim Clerici etiam poſt ordinationem poſſunt quædam adquirere patrimonialia ſine reſpectu ad Eccleſiam: ita etiam communitates religioſorum: v. g, ex hæreditate, dote, artificio, labore manuum &c.

Objic. III. Non extat in Jure Can. ul- 260
lus textus, qui Religioſis attribuat dominium, ſed tantum *poſſeſſionem*, quam etiam habent Clerici in bonis intuitu Eccleſiæ adquiſitis. *Ergo* &c.

Resp. *Diſting. ant.* Non extat textus, *clare* permittens dominium. *trans.* non extat *tacite* permittens, & neque extat argumentum legis. *Nego.* nam v. g. cap. *exiit,* de V. S. in 6. paupertas Franciſcanorum per hoc diſtinguitur a ceteris ordinibus tam mendicantibus, quam non mendicantibus, quod illi nequidem dominium *in communi* velint habere: ergo infertur, quod reliqui hoc dominium habeant. Idem eſt dicendum de Tridentino, quod nomine *poſſeſſionis* intelligit eam cum dominio in communi conjunctam, quia eam opponit Franciſcanis. Denique juxta communem Doctorum ſententiam, ſundatam in auth. *ingreſſi* Cod. de SS. EE. & Nov. V. & Novel. 123. Monachus quidquid adquirit, monaſterio adquirit. Atqui verbum *adquirere* alteri, proprie dicit in alium transferre dominium.

Objic.

261 Objic. IV. Sic Religiosi cum voto paupertatis melioris essent conditionis quoad Bona Ecclesiastica, quam Clerici sine voto paupertatis; quia isti solam haberent *possessionem*: illi vero etiam *dominium* in communi.

Resp. Nego sequel. Nam Religiosi in particulari nullum habent dominium: quod tamen habent Clerici in sua patrimonialia. Neque etiam communitas religiosa est melioris conditionis communitate Clericorum quoad bona, eodem motivo Clericis & Religiosis oblata, cum horum in mea opinione neutri sint Domini. Sicut autem Clerici possunt adquirere patrimonialia, ita etiam communitas Religiosa.

262 Objic. V. Si communitas Religiosa haberet dominium aliquorum bonorum: tunc nomine communitatis vel intelligerentur muri & lapides, vel Religiosi? non *primum*; quia res inanimatæ non sunt capaces dominii. Non *alterum*; quia Religiosi sunt incapaces dominii ob votum paupertatis. Hinc quemadmodum bona est illatio: singula mendicabula non habent aureum: ergo nec tota communitas mendicabulorum habet aureum; ita quoque: singuli Religiosi non habent dominium: ergo nec tota communitas.

Resp.

RESP. Nego. *ant.* Intelligitur enim nomine *communitatis* quædam Perſona ficta. Quemadmodum civitatis nomine quoad bona communia intelligitur ejusmodi perſona ficta. Et ita de communitatibus ſingulis. Ad alterum dico, Religioſos ſingulos non habere dominium in particulari, habere autem dominium *inadæquatum* in communi, ex quibus dominiis inadæquatis exurgit adæquatum communitatis. Ad parit. *diſp.* eſt, quia quodlibet mendicabulum ſupponitur nec inadæquate habere aureum. Religioſus autem quisque habet dominium *inadæquatum* in communi. Conſtat inſuper, incapacitatem dominii non oriri ex voto paupertatis, ſed ex lege poſitiva. n. 255.

RESOLUTIO II. Religioſi ſolenniter profeſſi non habent dominium rerum temporalium in particulari: Jeſuitæ vero, quamvis ante emiſſa vota ſolennia ſint veri Religioſi ex declaratione Rom. Pontificum, retinent tamen dominium rerum ſuarum in particulari. 263

PROB. I. pars. Ex cap. 4. & 6. de ſtatu Monachorum. Item ex TRIDENTINO Seſſ. XXV. cap. 2. de Regularibus, ubi id clare docetur.

II. Pars conſtat ex citata Bulla GREGORII XIII. *aſcendente Domino*, & ex quotidiana praxi.

OBJIC.

264 Objic. I. Religiosus, qui de rebus suis non disposuit ante professionem, potest adhuc disponere post professionem, & dividere inter filios, si quos reliquit in sæculo, retenta sibi legitima, ut patet. Ex authent. *Si qua mulier.* Cod. de SS. EE. Novella 123. cap. 38. relata cap. 9. XIX. 3. Atqui hoc sapit dominium. *Ergo.*

Resp. Jure veteri poterat ejusmodi Pater adhuc habere dominium, ut habent Scholastici S. J. vel saltem per modum administratoris dividere inter liberos, quos utique intuitu religionis exhæredare non poterat: non autem hoc licet jure novo.

265 Objic. II. Religioso immediate defertur hæreditas: ergo etiam dominium, ut patet ex leg. 56. §. hoc etiam 1. Cod. de Episc. & Cler.

Resp. *Disting.* Defertur hæreditas Religioso, ut eam adeat nomine monasterii. *Conc.* nomine proprio. *Nego.*

266 Objic. III. Religiosus comparatur servo: atqui hæreditas immediate defertur servo, & mediate solum Domino servi ex leg. 3. Cod. de *hæred. instit.*

Resp. *Dist.* Religiosus comparatur servo in favorabilibus Religioni. *Conc.* in odiosis.

ſis. *Nego.* Sic enim comparatur filiofamilias, cui delatam hæreditatem Pater etiam invito filio adire poteſt. ex l. 8. Cod. *de bonis, quæ liberis.* Olim quando teſtator prævidebat, hæredi nihil aut parum ſuperfuturum propter æs alienum, ſicque repudiandam fore hæreditatem, inſtituit illius ſervum, ut in eum redundaret opprobrium.

Resolutio III. Incapacitas hujus dominii in particulari apud Religioſos provenit ſolum ex diſpoſitione Juris poſitivi Eccleſiaſtici. 267

Prob. Non oritur ex natura voti, nec ex natura Religionis: ergo ex ſolo jure Eccleſiaſtico. *Ant. prob.* quoad 1. Votum *ſimplex* & *ſolenne* non differunt quoad ſubſtantiam: atqui cum voto ſimplici paupertatis conſiſtit apud Jeſuitas capacitas dominii in particulari. Ergo etiam poſſet conſiſtere cum voto ſolenni, niſi obſtaret Eccleſiæ diſpoſitio. *Ant. prob.* quoad 2. Jeſuitæ ſimpliciter profeſſi, ſunt veri Religioſi, nec poſſunt denominari Religioſi *Bullati. Ergo.* De paupertate aut dominio Franciſcanorum dicetur infra, ubi de *uſu.*

Objic. I. Contra hanc Reſolutionem. Religioſus profeſſus vi ſui voti & ſtatus omni ſe abdicat jure ac dominio, & ſe 268

ipſum

ipſum ac jura ſua tradit Religioni : ergo incapacitas oritur non tantum ex diſpoſitione Eccleſiæ.

Resp. *Diſting. ant.* quoad *uſum* juris. *Conc.* quoad ipſum *jus.* Nego. *Subdiſting.* Niſi religio ſponte velit aliquid juris profeſſo relinquere. *Conc.* Secus. *Nego.*

269 Objic. II. Religioſus eodem modo ſe tradit Religioni aut Monaſterio, ut ſervus Domino : atqui hic ita ſe tradit, ut nullum retineat dominium. *Ergo.*

Resp. *Diſt.* Si ita velit religio & Eccleſia. *Conc.* Secus. *Nego.* Tunc enim potius debet Religioſus comparari filiofamilias.

270 Objic. III. Si ex ſola diſpoſitione Eccleſiæ oritur incapacitas dominii, tunc Romanus Pontifex poteſt diſpenſare cum Religioſo, eumque reddere capacem dominii : atqui hoc non poteſt, juxta cap. 6. de ſtatu Monach. ubi : „ Abdicatio proprietatis, „ ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt an„ nexa regulæ Monachali, ut contra eam „ nec ſummus Pontifex poſſit licentiam „ indulgere. „

Resp. Nego minorem. Textum *Diſt.* Non poteſt Pontifex licentiam indulgere pro ſuo arbitrio & ſine legitima cauſa. *Conc.* ex gravibus motivis. *Nego.*

§. V.

§. V.

De reliquis juris speciebus, & præcipue de usu rerum consumptibilium, an separari possit a Dominio.

USUSFRUCTUS, non *causaliter* spectatus, 271
qui est *jus utendi re propria*, quæ competit cuilibet Domino: sed *formaliter* consideratus est *jus utendi fruendi re aliena, salva manente substantia.* Dicitur *jus*; quia non agitur de actuali usu. *Utendi*, per quod distinguitur vel a *jure*, quod habet creditor in re oppignorata, depositarius in deposito. Dicitur *fruendi*: nempe integros percipiendi fructus, per quod distinguitur ab *usu*, vi cujus usuarius tantum potest sumere ad necessitatem quotidianam, non autem superflua, nec vendere, aut alienare fructus, ut habetur leg. 12. ff. *de usu.* Dicitur *re aliena*; nam ususfructus est servitus: res autem propria non servit Domino, sed prodest jure dominii. l. 26. ff. de S. P. R. *Salva substantia*; debet enim usufructuarius rem integram Domino restituere. Hinc ususfructus constituitur in rebus, usu consumptibilibus.

Usus est *jus utendi solum re aliena, salva ejus substantia*; debet enim usuarius rem 272
integram & illæsam Domino restituere:

 hinc

hinc constituitur solum in rebus, quæ ipso usu non consumuntur, v. g. equus, domus, liber &c. Atvero Fratres Minores S. FRANCISCI cum vi Regulæ profiteri se dicant altissimam paupertatem, nec ullius rei, sive in particulari, sive in communi habere dominium, distinguunt duplicem usum: unum *juris*, alium *facti*. Primum dicunt, usum rei, de qua disponere aliquis potest in suum commodum, tanquam de re sua: alterum, quo quis utitur re simpliciter ac defacto, abstrahendo, an faciat nomine proprio vel alieno. Simplex usus facti in re, quæ ipso usu non consumitur, non habet difficultatem. Atvero usus facti in re, quæ ipso usu consumitur, ut cibus, potus, pecunia, quæ dum expenditur, moraliter consumitur, an separari queat a dominio? disceptatur. Hæc controversia maxime tempore JOANNIS XXII. agitata fuit. Dicebant Fratres Minores, se voto paupertatis omne prorsus dominio se abdicasse, tam in particulari, quam in communi, ita ut etiam vestium, ac alimentorum, quibus utuntur, dominium maneat aut penes fideles donantes, aut penes summum Pontificem, de quorum licentia manducarent, & biberent, & usque ad actualem simplicem usum facti, seu absumtionem actualem quodlibet eorum ab ipsis revocari posset. Imaginarium hoc dominium, ab usu rei consumptibilis distinctum, seu potius ab-

strac-tum,

ſtractum, quod in eum transferebant Fratres Minores, ſe repudiare profeſſus eſt Joannes XXII. in conſtit. *ad conditorem* de V. S. inter ſuos extravagantes, quamvis ex oppoſito FF. Minores dicerent, a Nicolao III. illud fuiſſe acceptatum. Ipſe autem Joannes XXII. multis probat, dominium rerum, uſu conſumptibilium, ab uſu ſeparari non poſſe, nec in abdicatione impoſſibili hujus dominii conſiſtere perfectionem paupertatis Evangelicæ. Cum quo ſit

Resolutio. Uſus rerum licitus, quæ 273
ipſo uſu conſumuntur, ſeparari non poteſt a dominio. Eſt communior jurisconſultorum: quamvis bene multi Theologi contrarium opinentur.

Prob. I. Auctoritate cit. Pontificis conſtit. *ad conditorem*, & ſequentibus. Ubi ex inſtituto iſtam ſententiam non tantum propugnat, ſed ut legislator definit.

Prob. II. Auctoritate S. Thomæ 2. 2. 274
q. 78. a. 1. ☉ „ Sciendum eſt, quod „ quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum „ conſumimus eo utendo ad potum, & „ triticum conſumimus eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet ſeorſum computari uſus rei a re ipſa; ſed „ cuicunque conceditur uſus, ex hoc ipſo

 „ con-

„ conceditur res. Et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo vellet vendere vinum, & vellet seorsim vendere usum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non est. „ Ergo S. Thomæ dominium, abstractum ab usu rei consumptibilis, est non ens.

275 Prob. III. Simplex usus rei, solo usu consumptibilis, a dominio separatus, nec est *ususfructus*, nec *usus*: ergo separari non potest. *Ant. prob.* In materia Juridica, qualis est hæc, loqui, & sentire debemus ad mentem legislatorum tam Canonici, quam Civilis, & Jurisperitorum; *cuilibet* enim, ut fert adagium, *in sua arte credendum est*: atqui tam Legislatores, quam Jurisperiti, definiunt usumfructum & usum, quod sit jus utendi re aliena *salva ejus substantia*; quod in re, quæ ipso usu consumitur, fieri non potest. *Ergo.* Hinc dicitur §. 2. Inst. *de usufructu.* „ Constituitur autem ususfructus non tantum in fundo &c. . . . Exceptis iis, quæ ipso usu consumuntur; nam hæc nunquam naturali ratione, neque Civili, recipiunt usumfructum: quo in numero sunt vinum, oleum &c. Quibus proxima est pecunia numerata. . . Ergo senatus non fecit earum rerum usumfructum (nec enim poterat) sed per cautionem quasi usumfructum constituit. „

&

& l. 2. §. 1. ff. *de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur.* „ Quo ſenatus conſulto non id effectum eſt, ut „ pecuniæ uſusfructus proprie eſſet : nec „ enim *naturalis ratio* auctoritate ſenatus „ commutari potuit : ſed remedio intro- „ ducto „ (nempe cautione ab uſufructuario de reddendo æquivalenti pro re conſumpta) „ cœpit quaſi uſusfructus „ haberi. „ Unde hunc in modum arguo. Ratio Naturalis prohibet, ut rei uſu conſumptibilis detur uſus absque dominio, neque hanc rationem naturalem immutare potuit Senatusconſultum : ergo hanc rationem naturalem neque immutare poteſt præconcepta Franciſcanorum intentio, qua putant, ſe dominium ab uſu poſſe ſeparare. Item : quaſi - uſusfructus in rebus conſumptibilibus non aliter conſtitui poteſt, niſi præſtita cautione de reddendo æquivalenti, ut ita ſaltem in æquivalenti ſalva maneat ſubſtantia rei alienæ, qua alter fruitur ſeu abutitur : atqui hæc cautio deficit apud Franciſcanos : ergo non habent ſolum uſum, ſed jus utendi : conſequenter abſumunt cum dominio, ſaltem in communi.

Prob. III. Cum res, uſu conſumptibilis 276
ſit aliquod individuum pretio æſtimabile, non niſi per abſtractionem duo concipi poſſunt, 1. ſimplex uſus : 2. dominium ab uſu præciſum. Quæro itaque, quid in hac re

ſit pretio æſtimabile, an ipſum dominium: an vero abuſus rei, vel utrumque? Non utrumque; quia 1. res eſt individua, & ipſo uſu pretium conſumitur, ac dominium ceſſat. 2. quia ſecus creditor poſſet aut dominium ſibi reſervare pecuniæ mutuatæ, & aliquid pro ſolo uſu pecuniæ conceſſæ exigere a debitore, vel conceſſo etiam dominio aliquid exigere pro utroque, ſicque non daretur uſura, quod eſt falſum, ſi uſus a dominio abſtractus eſt pretio æſtimabilis: ergo Franciſcani non ſequuntur perfectiſſimam paupertatem, cujus intuitu confinxerunt hanc diſtinctionem; cum nihil pretio æſtimabile a ſe abdicaverint, abdicando dominium imaginarium. Neque etiam dici poteſt, pretium æſtimationis eſſe in dominio, non autem in uſu; nam totum pretium rei uſu conſumptibilis conſiſtit in uſu, ſeu abuſu, & deſtructione illius, ad ſuſtentationem utentis ordinata: quo certe nihil contribuit imaginatio dominii. Dein, ſi actualis conſumptio rei non eſſet illius pretium, tunc non minueretur patrimonium illius, qui Franciſcanis lautum præbet convivium, retento ſibi ciborum, vinique dominio: atqui experientia Dominos convincit de contrario. *Ergo.*

277 Prob. IV. Si Franciſcani non ſunt Domini rerum uſu conſumptarum; tunc vel ſunt fures, vel bonæ fidei poſſeſſores.

Ab-

Abſit primum ſomniare ; quia conſumunt cum licentia donantis : ergo alterum. Atqui bonæ fidei poſſeſſor fructus & res, ex quibus non eſt factus locupletior, conſumit ut Dominus, nec conſumptos debet reſtituere : ergo etiam Franciſcani ejusmodi res conſumunt ut Domini.

Prob. V. Dominium ſeparatum ab uſu 278
rei conſumptibilis non exiſtit apud donantes ; illi enim non habent animum retinendi, ſed cum ipſa re transferendi, ut Franciſcani poſſint jure abſumere : nec apud Rom. Pontifices, qui illud a ſe abdicarunt, ut patet ex his Joannis XXII. verbis cit. extrav. *ad conditorem Canonum.* „ Nos itaque . . . illa volentes in ſancta „ Dei Eccleſia, quæ non verbo obtinent „ tantum, ſed quæ re potius, ob„ ſervari : præmiſſis in ſcrutinio rectæ „ conſiderationis adductis, ac deliberatione „ cum fratribus noſtris & multis aliis præ„ habita diligenti, dignum arbitrantes & „ congruum, profeſſores dicti ordinis non „ verbis tantum, non ſimulatis actibus, „ ſed operibus claris, veritate ſuffultis, „ perfectioris ſtatus ac altioris pauperta„ tis ſibi prærogativam præ aliis mendi„ cantibus vendicare, ac nihilominus ho„ nori S. R. Eccleſiæ (cujus obnubilari „ poſſet gloria, ſi tam perverſæ ſimula„ tioni, quæ profecto & ipſis ſimulantibus „ officit, & aliis ſcandali materiam ſub„ miniſtrat, diſſimulando illi occurrere

 „ con-

„ consentiret) ac insuper volentes indem-
„ nitati Prælatorum & Rectorum salubri-
„ ter super hoc providere, nolentes in
„ posterum sub prætextu seu pallio talis
„ dominii temporalis, verbalis, nudi, ac
„ ænigmatici, tanta bona, quanta prædi-
„ cti fratres faciunt, infici, ac fomentum
„ tantis malis, quanta procedunt ex si-
„ mulatione hujusmodi, ministrare, de
„ fratrum nostrorum consilio hoc edicto
„ in perpetuum valituro sancimus, quod
„ in bonis (usu consumptibilibus)
„ nullum jus seu dominium aliquod
„ Romanæ Ecclesiæ adquiratur. „ Ergo dominium est penes Franciscanos. Denique legatur tota illa constitutio, utut longior, plena tamen argumentis & ratiociniis pro hac Resolutione.

279 Objic. I. Nicolaus III. cap. *exiit* de verb. sign. in 6. declarat, Franciscanorum arctissimam paupertatem in eo sitam esse, ut nihil sibi proprium vendicent, tam in communi, quam in particulari: & quod eandem perfectionem paupertatis Christus & Apostoli docuerint tam verbo, quam exemplo: Econtra Joannes XXII. prorsus docet contrarium quoad primum cit. extrav. *ad condit.* quoad alterum vero hæreticum esse declarat, siquis dixerit, Christum & Apostolos in iis rebus, quibus ad vitam sustentandam usi fuerint, jus utendi, adeoque dominium non habuisse.

buisse. Extravag. *Cum inter non nullos.* Ergo vel alteruter Pontificum erravit, vel debet aliter explicari JOANNES XXII. & sic fratres minores habebunt solum simplicem usum facti absque dominio.

RESP. Nego *cons.* Et dico, neutrum Pontificum errasse in materia fidei & morum: etsi forte in quæstione Scholastica fuerint contrariæ opinionis. Dixi: *forte.* Nam & in ista combinari possunt, quod facit ipse JOANNES XXII. cit. loc. NICOLAUS III. tantum voluit, Franciscanos non habere dominium in communi, quoad bona immobilia, aut res etiam mobiles, quæ tamen usu non consumuntur, ut sunt libri, vasa &c. Nunquam autem dixit, ne eorum quidem rerum, quæ usu consumuntur, iis competere dominium in communi. Idem dicendum est de paupertate Christi & Apostolorum, qui saltem *pro aliquo tempore* tale dominium in communi rerum usu non consumptibilium a se abdicaverant. JOANNES XXII. idem docet, hocque dicit esse hæreticum, si quis pertinaciter affirmat, Christum & Apostolos *toto tempore* vitæ non habuisse dominium saltem in communi rerum necessariarum, cum legatur, eum habuisse loculos, tam pro præsentibus, quam futuris sui & suorum necessitatibus. De simplici usu rerum usu consumptibilium a dominio separato nihil statuit NICOLAUS; si quid autem statuisset,

JOANNES potuit Antecessoris decretum in materia Scholastica reformare, & corrigere: qui tamen eundem nostro mox dicto sensu per longum exponit. Nulla ergo Pontificum inter se contrarietas, nec NICOLAUS fictitiæ Franciscanorum distinctioni favet.

280 OBJIC. II. Usum facti esse separabilem a dominio illorum, nihil aliud est, quam uti re ad consensum alterius *revocabiliter* pro singulis momentis: sed hoc potest fieri. Ergo. *Minor* est evidens; quia etiamsi quis comedat buccellam panis, poterit tamen licentia comedendi revocari singulis momentis, usque ad ultimum instans, quo verum est dicere, eam actualiter absumptam esse. Simile habetur in servo, qui itidem potest prohiberi a Domino a comedendo cibo, nec habet illius dominium usque ad ultimum instans: item in conviva, qui non habet dominium ciborum appositorum. Item in Religiosis, qui non habent dominium ciborum in particulari, sed possunt prohiberi per superiorem a quolibet determinato cibo. *Maj. prob.* Quid intelligatur per usum facti separabilem a dominio, dependet ab arbitrio Doctorum: ergo cum his temporibus jam totus orbis conspiret in hunc verborum sensum, nullum alium habere possunt. Ita Clar. D. AMORT.

RESP.

Resp. I. Diſting. *maj.* Pro ſingulis momentis, ita ut in ipſo momento conſumptionis dominium non exiſteret apud ſumentem. *Conc.* Secus. *Neg.* Si enim in ultimo inſtanti, quo quis ſumit buccellam, habet dominium, tunc illud non eſt ſeparatum ab actuali uſu: quod ipſum contendo. Econtra Adverſarii videntur velle, quod in ipſo illo inſtanti dominium ſit penes Donantem, & non penes Donatarium: quod mihi repugnare videtur. Ad prob. *Maj.* Nego hoc dependere ab arbitrio Doctorum, contra expreſſas leges, novas definitiones formantium. Nego etiam, totum orbem conſpirare in hunc verborum ſenſum; nec eſt in poteſtate D. Amorti, totam Jurisperitorum Societatem ex orbe eliminare: hi autem plerique non loquuntur ad mentem ejusdem.

Resp. II. Nego minoris evidentiam. Poteſt quidem aliquis revocare licentiam comedendi ſingulis momentis: eoipſo autem, quod ultimo momento non revocet, una cum uſu rei conſumptibilis comedenti tribuit dominium ejusdem; cum concedat actum primarium dominii, qui eſt juſtus rei abuſus. Quod dictum eſt de Religioſis, diſt. poſſunt prohiberi per obedientiam *Conc.* ex defectu dominii. *Nego.*

Objic. III. Dominium non adquiritur ſine intentione adquirendi dominium. At-

qui

qui fratres Minores non habent intentionem adquirendi dominium, quia nec acceptatio eleemosynæ, nec ipsa consumptio, est realis contestatio intentionis acceptandi dominium. *Ergo*. Ita idem D. Amort.

Resp. *Dist. maj.* In iis rebus, quibus per leges & naturam rei potest dominium separari ab usu acceptato. *Conc. maj.* In aliis, in quibus per naturam rei & leges separari non potest dominium ab usu rei acceptatæ. *Nego maj.* Hujusmodi autem sunt res, quæ actuali usu a Franciscanis absumuntur. *Disting. min.* Non habent intentionem, ita tamen, ut hæc sit inefficax & invalida. *Conc.* Ut intentio non habendi sit valida & efficax. *Nego*. Non possunt Franciscani sua intentione mutare naturam rei & dispositionem legum, in jure naturæ fundatam. Est ergo protestatio facto contraria, quando absumendo rem, protestantur contra ejus dominium, quod ipso facto exercent, rem juste ac licite destruendo, seu, eadem fruendo. Apud quem enim secus existeret dominium? donans a se abdicat: Pontifex non acceptat: Franciscani protestantur, sed inefficaciter & invalide. Aut forent illæ res nullius, consequenter primo occupantis; sicque nemo committeret furtum, qui res consumptibiles Franciscanis auferret.

Reli-

Reliquas juris ſpecies breviter enarrare ſufficiet.

HABITATIO, eſt jus habitandi in ædibus alienis, ſalva earum ſubſtantia. 282

SERVITUS in genere, eſt jus in re aliena conſtitutum, vi cujus libertas Domini ita minuitur, ut teneatur in ſuo aliquid pati, vel omittere, quod alias poſſet facere. Seu, eſt jus, quod quis habet in re alterius, ut ſibi aut rei ſuæ ſerviat. Et ita ſumitur *active*. *Paſſive* autem ſpectata eſt ipſa rei ſubjectio in commodum alterius. *Realis* eſt, quando res rei ſervit: *Perſonalis*, quando res perſonæ ſervit, vel perſona rei. Alia eſt *Urbana*, alia *Ruſtica*. Prima debetur prædio Urbano, altera Ruſtico. De quibus fuſius agunt Juris interpretes tit. de ſervitutibus. 283

EMPHYTHEUSIS, eſt contractus, quo res aliqua immobilis poſſidenda & fruenda alicui traditur ea lege, ut penſio annua inde Domino præſtetur. Competit emphytheutæ dominium *utile*: Domino *directum*. 284

FEUDUM, eſt contractus, quo rei immobilis dominium *utile* alicui ſub feudi & obſequii conditione traditur a Domino, rei ejusdem proprietatem retinente. Qui tradit, dicitur *infeudator*, Dominus feudi. 285

Qui

Qui accipit, *vasallus*, *feudatarius*, *beneficiarius*. Extat in jure Can. tit. de feudis, quo remitti se patiantur Lectores. Hodie vix est discrimen inter feudum, & emphytheusin, postquam vasalli non tantum ad onera personalia, ut olim, sed etiam realia obligantur.

286 LIBELLUS, est contractus, quo emphytheuta aut feudatarius rem emphytheuticam aut feudalem cedit tertio in emphytheusin aut feudum, seu potius *subfeudum*. Vocatur germanice Afterlehen.

287 SUPERFICIES, est jus, quo quis alieni soli superficiem possidet, & in eo ædificare potest. Hic dicitur *superficiarius*, habetque dominium utile domus superficiariæ, cujus proprietas est penes Dominum fundi, quia ædificium solo cedit.

288 PIGNUS, sumitur vel pro contractu reali, quo res creditori in securitatem debiti traditur: vel pro re, pignore affecta: vel denique pro jure reali, quod creditor in re oppignorata obtinet. Differentia inter *hypothecam* est, quod in hac res immobilis obligetur creditori absque traditione: in illo res mobilis tradatur in securitatem. Quod si etiam res *immobilis* tradatur, erit pignus. Si *mobilis* solum obligetur, erit hypotheca. De quo Juristæ.

Pos-

Possessio, eſt detentio rei cum animo eam ſibi habendi: alia eſt *naturalis*, quæ eſt ſine animo dominii. Ita poſſidet fur, & quisquis rem ut ſuam retinet, cum tamen ſciat, ſe non eſſe ejus Dominum. *Civilis*, eſt detentio cum opinione dominii vel *directi*, vel *naturalis*. Alia juſta, alia injuſta: bonæ vel malæ fidei. Agunt de ea Canoniſtæ titulo *de cauſa poſſeſſionis & proprietatis*. Ego infra quædam dicam, ubi de præſcriptione, ad quam requiritur poſſeſſio. 289

CAPUT IV.

De modis acquirendi dominium.

Suppoſita rerum diviſione, quæ poſt peccatum Adami ſi non jure naturali, ſaltem gentium conſenſu, quadam neceſſitate facta eſt, dicendum de modo adquirendi dominium rerum, quæ ſunt in humano commercio. Duplex in genere modus eſt adquirendi, nempe *occupatio*, & *acceſſio*, quæ ſuas ſub ſe habent ſpecies ſubordinatas. Sunt autem res aliæ, quæ nunquam in alicujus hominis dominio fuerunt: illæque vel animatæ, ut feræ in ſylvis, piſces in mari &c. quæ *venatione* occupantur: vel inanimatæ, uti gemmæ, inſulæ inhabitatæ &c. quæ occupantur *inventio-* 290

ventione. Aliæ ſunt res, quæ alicujus fuerunt, ſed in dominio illius eſſe deſierunt: idque vel tempore: ut *theſaurus*: vel facto, uti *res derelictæ*, hæreditas jacens. Denique aliæ ſunt res, quæ habent Dominum & vel cum, vel ſine ejus voluntate in alium transferuntur. Si citra voluntatem: eſt *occupatio bellica*, & *præſcriptio*. Si cum voluntate, eſt ſparſio miſſilium: & traditio, quæ fit in contractibus. *Acceſſionis* variæ ſunt ſpecies, quas paucis ad finem capitis recenſere juvat: pluribus enim iſta pertractare, ad Jurisconſultos & Theologos Morales pertinet. Hic agam I. de Venatione. II. De inventione. III. De præſcriptione. IV. De ceteris modis.

§. I.

De venatione ſeu occupatione animalium.

291 Animalium quædam ſunt fera, ut cervi, lepores, &c. quædam domeſtica, uti oves, gallinæ, canes, &c. quædam cicurata, quædam ex cicuribus fiunt efferata. Certum in primis eſt, animalia naturaliter manſueta & domeſtica, etiamſi longius diſceſſerint, non fieri occupantis §. 16. de R. D. Idem dicendum eſt de animalibus natura quidem feris, ſed arte cicuratis, quæ conſuetudinem habent revertendi.

Idem

Idem quoque dicendum de columbis, quamdiu ad proprium columbarium reverti ſolent: hinc ab alio vi vel fraude detineri non poſſunt. Certum itidem eſt, feras in vivariis, & piſces in piſcinis, Domini eſſe, nec ab alio citra furtum occupari poſſe; quoniam in naturali libertate amplius non ſunt conſtitutæ, & jam a Domino apprehenſæ. Igitur de venatione ferarum, quæ in naturali libertate vagantur, dicendum, quæ appellatur venatio in genere: in ſpecie autem intelligitur de occupatione ferarum terreſtrium; nam quæ circa aves verſatur, vocatur *aucupium*: quæ circa piſces, *piſcatio*. Eſt alia *Alta*, alia *baſſa*. Alia *hæreditaria*, alia *precaria*, alia *ſimplex*, alia *ſimultanea*. Equidem jure naturali & Romano quisquis feram venatione occupaverit, ejus adquirit dominium §. 12. de R. D. quamvis, ſi in fundo alterius fecerit, Domino actione injuriarum teneatur leg. 13. fin. ff. *de injur*. Quæſtio agitatur, an Principes ita ſibi poſſint jus venandi reſervare, aliisque prohibere, ut qui in loco interdicto venatione feram occupaverit, eam non faciat ſuam, ſed teneatur Domino reſtituere: & an de facto in germania, maxime in Bavaria, ejusmodi lex exiſtat?

Resolutio. In germania, maxime in Bavaria, feripetæ feras non faciunt ſuas, ſed ad reſtitutionem tenentur. 292

Prob. I. Principes territoriales rationabiliter poſſunt ſibi aut aliis reſervare jus venandi, & aliis interdicere: idque de facto reſervarunt. Atqui hoc caſu feripetæ feras non faciunt ſuas: *ergo.* minor probabitur infra. *Major prob.* quoad I. partem. Rationi conveniens eſt, ut Principi quædam aſſignentur bona, unde dignitatem ſuſtinere, animumque a curis relaxare valeat: atqui huc maxime ſervit jus venandi, quod & prodeſſe poteſt, & Principes maxime delectare ſolet, inſuper in nullius damnum cedit: ergo rationabile eſt, ut jus venandi Principi, & quibus voluerit, aſſignetur. Ita ratiocinatur celebris Hugo Grotius de Jure B. & P. lib. II. cap. VIII. §. V. „ *Germaniæ* populi, cum „ Principibus ac Regibus bona quædam eſ„ſent aſſignanda, unde dignitatem ſuſti„nerent, ſapienter exiſtimarunt, ab illis „ rebus incipiendum, quæ ſine damno cu„jusquam tribui poſſint. Ejusmodi ſunt, „ quæ in dominium nullius *pervene„runt.* „

293 *Maj. prob.* II. Jura incorporalia, quale eſt jus venandi, præſcriptione poſſunt adquiri, nimirum per prohibitionem unius, & patientiam alterius. Atqui in germania ſubditis venatio fuit interdicta, & iſti adquieverunt prohibitioni, cum nunquam reclamaverint: paucorum enim privatorum refractaria & occulta renitentia attendi non debet: ergo potuit jus venandi præſcribi,

imo

imo defacto fuit præſcriptum. Etiamſi autem, per inconceſſum, ab initio defuiſſet jus & bona fides in Principe, hæc tamen in ſucceſſoribus quoad præſcriptionem ſaltem extraordinariam præſumitur, quibus mala fides auctoris non nocet, ut communis eſt auctorum.

Maj. prob. III. Adſunt prudentes ratio- 294
nes, ut prohibeatur ſubditis venatio: ergo potuit prohiberi & Principi, aliisque reſervari. *Ant. prob.* Nam I. Conſultum non eſt, ut Ruſtici, opifices &c. permittantur relicto vomere, artificio & commercio per ſilvas & nemora vagari, & inſidiari feris, ne cum reipublicæ damno ceſſent commercia, & opificia: ne & ipſi armis aſſueti, paulatim cum feris ferocire, & viatoribus, aut venatoribus, a Principe conſtitutis, inſidiari aſſueſcerent, quod a praxi conſtat; nam & feripetæ plerumque opificium ſuum negligunt, ſe, familiamque ſuam mendicitate involvunt, plurimos committunt exceſſus, ſeque exponunt graviſſimis periculis. II. Sæpe non eſt tutum, ſubditis permittere arma tempore pacis, ne in ſeditiones forte & tumultus erumpant. lib. II. feudor. tit. 27. §. *Si quis ruſticus* 5. III. Si omnibus abſque diſcrimine permiſſum foret jus venandi, tunc brevi feræ omnes, aut ſaltem ſpecies aliquæ, eliminari poſſent, quod ipſum in reipublicæ cederet detrimentum.

295 Prob. *Maj.* quoad II. partem, venationem ſubditis in germania fuiſſe defacto interdictam. Nam Fridericus II. Imp. 2. feud. tit. 27. *de pace tenenda* §. 5. *Si quis rusticus*: conſtituit, „ ut nemo retia ſua, „ aut laqueos, aut alia quælibet inſtru-„ menta ad capiendas venationes tendat, „ niſi ad urſos, apros, vel lupos capien-„ dos. „ In Bavaria per ordinationem venatoriam Gejagdordnung cap. 25. omnis venatio ſubditis interdicta eſt; dicunturque *furari*, qui feras occupant. vid. etiam erklärte Landsfreyheit. III. p. art. 14. 15. 16. Ob dictas num. præc. aliasque rationes jam olim anno 1029. Ratisbonæ publicata fuiſſe ſcribitur apud Goldastum & Joannem Palatium in vita Conradi Salici conſtitutio, ubi ſubditis omnis poteſtas venandi, ſagittandi, retia aut laqueos ponendi, aut ullo ingenio feras decipiendi, adempta fuit. vid. B. Schmid ſemicent. 2. contro. 1. n. 4. fin.

296 Prob. eadem pars II. Principes, Imperii ſtatus, Nobiles, & ſtatus provinciales, jus venandi cum aliis Regalibus ab Imperatore, vel Principe territoriali per inveſtituras & feudum recipiunt, hæreditate, vel contractu, & titulo oneroſo adquirunt: ergo eſt in illius patrimonio, cui tale jus conceditur; atqui alterius jus lædere, & patrimonii vires diminuere, nemini citra injuſtitiam licet: ergo injuſte agunt,

agunt, & conſequenter ad reſtitutionem tenentur, qui jus venandi, quod alteri legitimo titulo competit, ſibi temere arrogant.

Prob. Reſolutio II. Quamquam primævo 297
naturæ ſtatu omnia fuerint communia, facta tamen rerum diviſione, poſtquam a communione mutua voluntate fuit receſſum, jam non amplius licet res alterius invadere citra injuſtitiam. Sic etiam in germania videtur fuiſſe conventum; ut in rebus nondum occupatis communio juris venandi deſierit, idque in utilitatem Principum ac Dominorum a populo fuerit ceſſum: quod ſane nil aliud erat, quam juri, quod omnibus ex æquo competebat, renuntiare. Cui renuntiationi (vel ſpontaneæ, vel juſta ratione exactæ) aſcenſum præbuiſſe cenſentur, quicunque poſtea illi reipublicæ ſe aggregarunt: ergo jure venandi ſe populus abdicavit, aut privari permiſit, translato eodem in Principem aut Dominos: conſequenter ſubditi jus venandi, & occupandi jam non habent.

Prob. III. Ratione principali ex præce- 298
dentibus præmiſſis deducta. Qui non habet jus venandi, non habet jus occupandi; qui non habet jus occupandi, occupat injuſte; qui occupat injuſte, rem non facit ſuam; qui non facit ſuam, ad reſti-

tutionem tenetur. Atqui feripetæ non habent jus venandi; cum hoc ex præmissis supponatur vel præscriptione, vel titulo oneroso penes Principem, vel alium statum provincialem, & Dominum directum vel utilem existere. Ergo feripetæ non habent jus occupandi: ergo occupant injuste: ergo feram non faciunt suam: ergo tenentur ad restitutionem. *Maj.* Videtur evidens; nam venatio nihil aliud est, quam occupatio ferarum, quæ nullius sunt: ergo eoipso jus venandi, est jus occupandi: ergo qui jus venandi non habet, non habet jus occupandi, & sic occupat injuste.

299 Prob. IV. Ratio in contrarium foret, quia feræ non sunt in dominio principis; eoquod earum, in naturali libertate vagantium, dominium sola *occupatione*, non nuda lege adquiratur: occupatæ autem nondum censentur a Principe, quia ex ejus fundo in alium transire possunt. Atqui hæc ratio non probat intentum Adversariorum. *Ergo. min. prob.* Sicut in transferendo dominio v. g. per emptionem, quamvis requiratur traditio, non tamen hæc semper debet esse *brevis manus*, sed sufficit possessio *longæ manus*; ita etiam, quamvis ad adquirendum dominium rerum, quæ nullius sunt, requiratur occupatio, illa tamen non semper debet esse *brevis* manus, sed sufficit pos-

sessio

ſeſſio *longæ* manus: atqui Principes, aut alii, qui jus venandi habent, dum aliis venationem interdicunt, feras occupant *longa* manu; poſſunt enim lege efficere, non tantum ut jus venandi ſoli habeant, ſed etiam, ut cives feram captam non faciant ſuam, ſed ut tanquam Miniſtri & inſtrumenta Principis, ultronea opera feras nomine Principis occupent, ſicque eidem adquirant dominium: quomodo venatores opera *conducta* occupant, & Principi adquirunt dominium feræ. *Min. prob.* a pari. Quamvis theſaurus jure naturæ & gentium ſit nullius, & cedat primo occupanti, per legem tamen poſitivam effectum eſt, ut data opera in alieno fundo quæſitus, *totus*, fortuite repertus, ſaltem pro dimidia parte Domino cedat. l. un. Cod. de Theſ. & §. 39. J. de R. D. Idque ante ſententiam judicis, adeoque in conſcientia, propter legis æquitatem, ut tradit P. Reiffenstuel Theol. Mor. quamvis Dominus fundi non per ſe, ſed per inventorem occupaverit, nec theſaurus antea in ejus fuerit dominio. Ergo etiam, quamvis fera non ſit immediate occupata a Principe, tamen vi legis juſtæ cenſetur eidem occupata per feripetam.

Item: quamvis fiſcus ſupponatur non occupaſſe theſaurum: in fundo tamen alieno magicis artibus, vel in fundo Cæſaris, aut publico data opera quæſitus,

totus fisco computatur. cit. lege & 2. feud. tit. 56. *Quæ sint regalia Principum.* Ergo a pari. Imo l. 3. §. 10. ff. *de jure fisci.* A fisco *vindicatur.* Atqui vindicatio tantum competit Domino. Ergo. Denique testantur authores apud P. REIFFENSTUEL Theol. Moral. hodiernis moribus Principes supremos jure Regalium thesauros ubique in locis suorum subditorum inventos, vel ex toto, vel ex parte sibi attribuere: idque licite facere, in terminis propugnat P. HENNO: quidquid contradicant non nulli, quorum sententiam *improbabilem* appellat SAYRUS *in clavi regia.* Rationem dat; quia, si non obstante jure gentium, totum inventori adjudicante, potuerunt Imperatores ad servandam pacem dimidium assignare Domino fundi, & alteram medietatem inventori: quidni possit Princeps supremus fere totum sibi assignare, ad sustinenda regni & communitatis onera: ergo etiam possunt sibi assignare dominium in feras, idque adquirere per occupationem feripetarum.

RESPONDET non nemo, Principem non habere dominium thesauri, sed has leges esse mere *pœnales*, non obligantes ante sententiam Judicis.

300 CONTRA est I. Citatæ leges instit. & Cod. Non sunt mere pœnales, sed in conscientia obligant ante sententiam Judicis ex

ex num. 299. Idque ex poteſtate ſuprema, quam habet Reſpublica in ipſa civium bona, multo magis in bona, quæ nullius ſunt, ut per legem fiant alicujus, cujus de jure naturæ & gentium non eſſent. Ergo etiam ſtatuta Principum, theſauros ex toto vel parte ſibi attribuentium, non ſunt mere pœnalia.

Contra eſt II. Dictæ Principum leges 301 ſunt abſolutæ ſine adjecta pœna. Ergo non ſunt mere pœnales.

III. Poſſunt Principes ſibi reſervare dominium theſaurorum; quia poſſunt ſub hac conditione dominium utile, vel uſum concedere ſubditis, ut theſaurus latens Domino cedat, vel Principis nomine occupetur: ſicut Dominus directus ſub certis conditionibus poteſt Emphyteutæ dominium utile concedere: atqui ſub hac conditione nunc ſubditis aſſignantur fundi, ut legibus provincialibus ſe ſubjiciant: ergo debent obtemperare iis legibus. Atqui provincialis & communis lex ſtatuit, ut theſauri cedant dominio Principis per modum Regalium: *Ergo* &c. & ita a pari de feris, gemmis, &c.

Objic. I. Jure naturæ, gentium, & Ro- 302 mano feræ fiunt primo occupantis §. 12. J. de R. D. & l. 3. ff. de A. R. D. Ergo cuique venatio eſt permiſſa: ergo feripetæ feras faciunt ſuas.

 Resp.

Resp. *Disting. ant.* Jure naturæ permissivo, seu negativo. *Conc.* Præceptivo, seu affirmativo. *Nego.* Hoc, non illud, est immutabile. Jus naturæ venationem permittit, & jus Romanum attribuit occupanti dominium. Sicut autem Principes in rebus communibus, quæ in nullius bonis & potestate sunt, jus disponendi habent, ut in posterum ea privata, & non amplius communia sint. §. 11. de R. D. & l. 1. ff. de A. R. D. Ita etiam sine læsione juris naturalis & gentium potuerunt venationem prohibere, sibi solis adquirere, aut determinatis concedere. Instantia est in thesauro, Insulis noviter emergentibus &c. Juri Romano potest contraria lege & consuetudine derogari, quod factum in germania.

303 Objic. II. Feræ, non obstante prohibitione, manent in naturali libertate: ergo fiunt occupantis; nam sola lege non transfertur dominium rerum, quæ nullius sunt, sed occupatione, quæ sola est modus adquirendi dominium rerum hujusmodi: & licet fundum prohibitum ingressus committat injuriam, feram tamen suam facit. l. 3. §. 1. & 2. ff. de A. R. D.

Resp. *Dist. cons.* Fiunt occupantis J. N. G. & Civili Romano. *Conc.* De jure hodierno, ubi solus Princeps aut alii, jus venandi habent. *Nego.* Contradictorium enim

enim eſt, ſolum Principem, vel ſtatum provincialem habere jus venandi, adeoque occupandi, & ſubdito idem jus competere. Dein non video, cur ſolo ingreſſu in alterius fundum faciat injuriam, cum tamen ingreſſus non noceat Domino: non autem faciat injuriam occidendo feram; magis enim, quantum ad jus venandi, æſtimatur fera, quam fundus; nam propter feras eſt jus venandi. Itaque feripetæ non ſibi, ſed illis, quibus jus venandi juſto titulo competit, occupant, & adquirunt dominium. Inſtantia eſt in theſauro, qui in loco fiſcali repertus, absque omni occupatione fiſci - fiſco *vindicatur*, l. 3. §. 10. ff. *de Jure fiſci.* Si fiſco competit *rei vindicatio;* ergo etiam dominium. Unde autem? cum fiſcus non per ſe occupaverit: ergo vi legis occupaſſe cenſetur per inventionem. Idem dico in noſtro caſu.

Excipient Adverſarii, theſaurum non eſ- 304
ſe in naturali libertate, ſicut feræ, ſed potius eſſe partem fundi. Sed

Contra eſt. Quamvis theſaurus non ſit in naturali libertate, eſt tamen res nullius, cujus dominium regulariter ſine occupatione non adquiritur. Sicut ergo, ut theſaurus cedat in dominium fiſci, non debet a fiſco *per ſe* occupari: ita etiam, ut fera cedat in dominium Principis &c. non debet ab eodem *per ſe* occupari, ſed po-

teſt

teſt hoc fieri vi legis per vicariam operam feripetæ.

305 Limitanda tamen eſt hæc Reſolutio. Si enim Princeps, aut cui jus venandi competit, hoc jure abutatur in magnum præjudicium & damnum ſubditorum, v. g. nutriendo maximum numerum ferarum, quæ depaſcunt agros, tunc non tantum poſſunt abigere feras, & petere reſarcitionem damni, ſed etiam, ſi Princeps renuat, per modum tacitæ compenſationis ſibi providere, feras trajicere &c. modo caveant, ne ſe, ſuosque majoris damni periculo exponant, ſi deprehendi eos, & tanquam feripetas puniri contingat.

§. II.

De Inventione.

306 Inventio eſt occupatio rerum inanimatarum, quæ nullius ſunt. Huc pertinent gemmæ, margaritæ, lapilli, in litore maris occupati; non enim ſufficit ſola viſio, ſed requiritur apprehenſio l. 1. §. 1. ff. de A. vel A. P. Pertinent huc etiam inſulæ maris non habitatæ, & noviter detectæ, quæ nunquam alicujus fuerunt, ſaltem loquendo de jure naturæ. Hodie enim per præpotentiam quædam nationes dominium ſibi maris, adeoque omnium, quæ ibi ſunt, arrogant. Quod venas auri & ar-

argenti ſpectat, illæ jure naturæ viderentur pertinere ad Dominum fundi: hodie fere ubique inter Regalia Principis territorialis computantur: nec hoc injuſte. Res, quæ alicujus fuerunt, ſed eſſe deſierunt, ſicut theſaurus, & res derelictæ. De quibus dicendum breviter.

Indagandum autem, an res fortuito de- 307
perditæ, derelictis adnumerentur, & fiant inventoris? Certum eſt, quod non fiant ſtatim ejusdem, ſed debeat inquirere in Dominum, illique comperto reſtituere. Si Dominus non ſuperveniat, multi gratulantur inventori, & dominium, ſaltem poſt præſcriptionem, ei adjudicant. Eſt autem quæſtio præcipue de rebus inventis, quæ ſervando ſervari poſſunt. Quando enim diu nequeunt aſſervari; uti ſunt eſculenta &c. prudenter præſumitur, quod Dominus amiſerit animum recuperandi, ſicque tanquam res derelictas primo occupanti cedere velit.

Resolutio I. Theſaurus, qui definitur, 308
vetus depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. Jure naturæ cedit inventori, quia eſt res extra ullius dominium, & conſequenter nullius. Quid ſit de jure Romano, & hodierno, dictum eſt n. 299. & ſeq.

Reso-

309 Resolutio II. De rebus derelictis ita statuit Jus Romanum §. 47. Inst. de R. D. „ Pro derelicto autem habetur, quod Do„ minus ea mente abjecerit, ut id in nu„ mero rerum suarum esse nolit, ideoque „ statim Dominus ejus esse desinit. „ Fiunt ergo primo occupantis. & §. seq. „ Alia „ sane causa est earum rerum, quæ in „ tempestate levandæ navis causa ejiciun„ tur. Hæ enim Dominorum permanent: „ quia palam est, eas non eo animo eji„ ci, quod quis eas habere nolit, sed quo „ magis cum ipsa navi maris periculum „ effugiat. Qua de causa si quis eas flu„ ctibus expulsas: vel etiam in ipso mari „ nactus lucrandi animo abstulerit, fur„ tum committit. Nec longe videntur di„ scedere ab his, quæ de Rheda currente „ non intelligentibus Dominis cadunt. „ Quæ verba adoptarunt Patres Concilii Nannetensis anno 1227. ab Honorio II. confirmati epist. II. ad Episcopos Provinciæ Turonensis.

310 Resolutio III. Bona vacantia, ut est hæreditas jacens, fisco applicatur. leg. 4. Cod. *de Bonis vacantibus.* Supposito, quod nullus Hæredum compareat, neque de testamento constet. Atvero secundum Authent. *omnes peregrini* Cod. *communia de successionibus*, mobilia peregrinorum bona per locorum Episcopos in usus pios applicanda sunt.

Resolutio IV. Res fortuito deperditæ 311
non fiunt Inventoris, ſed vero Domino, ubi apparuerit, reſtituendæ: ſi autem nulla ſit ſpes eum reperiendi, ad cauſas pias applicandæ ſunt.

Prob. I. Pars. Ex §. ult. Inſtit. de R. D. ſupra num. 309. allegato & l. 43. *§.* 4. *ff.* de furtis, ubi qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſa ſuſtulit, furti adſtringitur, ſive ſcit, cujus ſit, ſive ignoravit. Nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus ſcit, ignoret.

Prob. II. Res fortuito deperditæ non 312
ſunt objectum inventionis. Ergo non cedunt Inventori titulo inventionis. *Ant. prob.* Objectum inventionis ſunt vel 1. res, quæ nunquam in alicujus dominio fuerunt, ut gemmæ, lapilli in litore maris &c. Vel 2. res, quæ aliquando alicujus fuerunt, ſed eſſe deſierunt, uti res derelictæ, & theſaurus. Atqui res fortuito & invito Domino amiſſæ, nec ad primam, nec ad ſecundam ſpeciem pertinent, ut eſt evidens, & quoad I. ſtatim pluribus probabitur. *Ergo.*

Prob. III. Ejuſmodi res inventæ nec 313
fiunt *ſtatim* inventoris per *occupationem*; quia fatentibus Adverſariis debent Domino comparenti etiam absque præmio reſtitui. Nec poſt aliquod tempus per *præ-*

ſcriptio-

ſcriptionem. Ergo. Ant. prob. quoad II. Quando inventor & opinione dominii, & juſto titulo caret, tunc non poteſt præſcribere: atqui utroque caret. *Ergo. Min. prob.* quoad I. Non poteſt habere opinionem dominii, qui ſcit, rem non eſſe ſuam, ſed alterius: ſecus etiam fur poſſet præſcribere. Atqui inventor ſcit, rem eſſe alterius, etſi neſciat, cujus ſit: cit. l. 43. §. 4. ff. *de furtis.* Ergo &c. Atque inde ſequitur, deficere etiam bonam fidem, & animum ſibi poſſidendi honeſtum. Quod tamen utrumque ad præſcriptionem inchoandam & continuandam requiritur.

314 Prob. minor quoad II. partem. Titulus alius præſcribendi aſſignari non poteſt; niſi vel pro *derelicto*, vel *pro ſuo*: atqui neutrum allegare poteſt inventor. *Ergo. Prob. min.* quoad titulum *pro derelicto.* I. In dubio nemo præſumitur rem ſuam jactare velle, & l. 2. §. ult. ff. de lege *Rhodia de jactu* expreſſe dicitur: „ Res autem jacta Domini manet, nec fit apprehendentis: „ quia pro derelicto non habetur. „ Si res *ſponte jacta* non habetur pro derelicto: ergo multo minus res *invito Domino* fortuito amiſſa. II. Etiam ovis a lupo rapta Domini eſſe non deſinit, nec fit ejus, qui lupo eripuit, quia recuperare abſolute poteſt. Vid. l. 44. ff. de A. R. D. & l. 8. §. fin. ff. *Familiæ erciſcundæ.* III. Qui levandæ navis gratia rem projicit, non facit

cit animo derelinquendi. Vid. l. 8. ff. *de lege Rhodia de jactu.* IV. Res fortuito amiſſas pro derelictis non haberi, expreſſe ſtatutum eſt leg. 21. §. 1. & 2. ff. de A. vel A. P. „ Quod ex naufragio expul- „ ſum eſt, uſucapi non poteſt, quoniam „ non eſt in derelicto, ſed NB. in deper- „ dito. Idemque juris eſſe exiſtimo in „ his rebus, quæ jactæ ſunt; quoniam „ non poteſt videri id pro derelicto ha- „ bitum, quod ſalutis cauſa *interim* dimiſ- „ ſum eſt. „ Vid. etiam l. 6. & 7. ff. pro derelicto. Ex quibus per ſe claris ſic infero. Ut res poſſit pro derelicto haberi & uſucapi, debet eſſe vel vere derelicta, vel ſaltem per fictionem juris cenſeri derelicta: atqui res fortuito amiſſa, vel jacta, nec eſt vere derelicta; quia Dominus eam ſolicite inquirit, conſequenter ſemper retinet animum recuperandi, quod quisque de ſe ipſo experitur: jus autem non tantum non fingit eſſe derelictam, ſed potius expreſſe id negat. Ergo inventor non poteſt præſcribere titulo pro derelicto.

Prob. min. quoad tit. *pro ſuo.* Præter- 315
quam enim, quod perobſcurus ſit hujus tituli intellectus, & cum aliis omnibus in genere concurrat, ſpeciatim *pro ſuo* uſucapere dicuntur, ut notat Heineccius, qui res nullius, quæ mari, terra, cœlo rapiuntur, poſſident bona fide continua, non interrupta. l. 2. ff. *pro ſuo.* Dixi:

bona fide; contradictorium enim foret, possidere pro suo, & scire rem esse alienam l. 4. in fine principii ff. *pro suo*: manifeste enim furem denotaret. Itaque, ut notant communiter DD. ad cit. tit. ille pro suo usucapit, qui rem, quam bona fide putat esse nullius, occupat: ut si quis gemmam, ab alio forte deperditam, in littore maris reperiat, putans eam e mari ejectam, adeoque nullius esse, vel qui cervum cicuratum, adeoque in alterius dominio existentem, in silva, ad quam ire & redire solebat, occuparet, putans esse ferum, & in naturali libertate constitutum: atqui inventor rem scit esse alterius: ergo titulo *pro suo* usucapere non potest.

316 Prob. II. Pars. Ex cit. Auth. *omnes peregrini.* Cod. *communia de successionibus*: ubi decernitur, bona mobilia defuncti ab intestato relicta, hærede non comparente, ad causas pias esse applicanda, non autem ad hospitem, qui hoc casu haberet locum inventoris, devenire. II. Ex Concilio Mediolanensi IV. sub S. Carolo Borromæo, ubi præcipitur, ut *res inventa pauperibus, aut piis* locis erogetur, si Dominus diu requisitus non appareat. III. Ex Catechismo Romano Concilii Tridentini Part. III. n. 7. ubi hæc leguntur: „ Illi etiam sunt fures, qui furto sublatas res emunt, vel „ aliquo modo inventas, occupatas, aut „ adem-

„ ademptas retinent. Ait enim S. Augu-
„ ſtinus lib. 50. homil. 9. & ſerm. 109.
„ de verbis Apoſtoli: Si inveniſti, & non
„ reddidiſti, rapuiſti. Quod ſi rerum Do-
„ minus nulla ratione inveniri poteſt, il-
„ la ſunt bona in uſus pauperum confe-
„ renda: quæ ut reſtituat, qui adduci non
„ poteſt, ea re facile probat, ſe undique
„ ablaturum omnia ſi poſſit. „

Prob. IV. Ratione. Eo modo applican- 317
da ſunt bona inventa, quo modo eorum Dominus, quando ſpem recuperandi amiſit, præſumitur applicare velle: & quo quisque in ſimili caſu vellet, ut de rebus ſuis diſponatur: quod enim aliquis ſibi fieri vult, hoc & alteri faciendum eſt. Atqui Dominus rerum amiſſarum præſumitur, eas velle applicari ad cauſas pias: ergo ſic applicari debent: *min. prob.* Dominus præſumitur velle, ut res ejus omni meliori modo ad ſuam utilitatem applicetur: ergo dum ſpe recuperandi amiſſa videt, quod ſibi bona illa deperdita ad utilitatem corporalem non amplius ſint profutura, præſumitur velle, ut ſibi proſint ad ſalutem animæ, quod fit, ſi ad cauſas pias v. g. Eleemoſynas, miſſæ ſacrificia &c. applicentur. Ita enim quisque Chriſtianus comparatus eſſe exiſtimandus eſt, ut res ſuas, illud præprimis cupiat recuperare: quando autem ſpes nulla ſupereſt; optat ſaltem, & vult, ut quod neceſſitatibus

ejus corporalibus amplius prodesse nequit, animæ omni meliori modo prosit, & sic damnum temporale compensetur per lucrum spirituale. Jam autem quod quisque vult fieri sibi, ut etiam alteri faciat, lex naturæ dictat.

318 Quodsi inventor fuerit ipse pauper, sub hoc titulo rem inventam, saltem ex parte, sibi poterit applicare. Tutius tamen erit, si desuper exquirat consilium Confessarii: & casu quo rem sibi licite applicaverit, preces saltem suas, aliaque pia opera pro Domino rei deperditæ Deo offerat, ut sic alia via damnum ejus compensari contingat.

319 Objic. I. Est fere universalis hominum persuasio, ut se fortunatos credant, qui aliquid inveniunt, suumque existiment, post legitimam inquisitionem Domino adhuc non comparente: atqui non essent fortunati in ista sententia, sicque falleret pene a natura insita hominibus persuasio. Quod nequit facile dici. *Ergo.*

Resp. Nego *maj.* Sunt quidem multi hujus persuasionis, sed quos cupiditas habendi excœcavit, quæ a Paulo I. Tim. VI. 10. vocatur *radix omnium malorum.* Veri Christiani & timorati aliter judicant: nec potest hæc falsa persuasio a natura esse insita, cum potius natura dictet: quod

quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Objic. II. Si res inventa non foret inventoris, tunc homines absterrerentur ab ejus custodia, sicque relinquerent rem facile perituram, atque sic nulla ratione cautum foret vero Domino. Atqui in favorem dominorum propugnatur ista sententia. Ergo. 320

Resp. Nego *sequel. Maj.* qui enim vere christiani, imo vel homines sunt ductum rationis sequentes, eam ex charitate reservant, & etiam custodire tenentur, ne superveniat alius laxioris conscientiæ, & malæ fidei, qui non habeat animum restituendi Domino etiam comparenti.

Objic. III. Dominus rei perditæ prudenter præsumitur velle, ut fiat inventoris. Ergo fit ejusdem; quia sic adest animus rem derelinquendi, quæ hoc casu fit primo occupantis: *Ant. prob.* id præsumitur velle, quod est in favorem ipsius Domini: atqui ut res perdita fiat inventoris, est in favorem ipsius Domini: si enim & ipse aliquando quid inveniat, poterit eadem ratione & præsumptione sibi applicare: cum ergo casus non sint rari, ut res amittantur, prudenter præsumitur, quod quisque rem suam velit derelinquere sub spe, alia occasione aliquid æquivalens, vel amplius recuperandi. 321

RESP. Nego *ant.* & ejus probationem. Sit enim, quod aliqui forte, iique pauci, & rerum suarum incurii, ita dispositi sint: plerique tamen homines frugi aliter sentiunt. In dubio autem præsumi debet, Dominum rei deperditæ sentire cum pluribus & sanioribus.

322 OBJIC. IV. Thesaurus, etiamsi Dominus pecuniæ depositæ, aut ejus hæres forte supersit, si tamen non appareat, cedit inventori, quia in jure idem est, non esse, & non apparere. LAUTERBACH disp. de thesauris Thesi 9. Nec debet pauperibus erogari: ergo etiamsi Dominus rei inventæ adhuc supersit, si tamen post diligentem inquisitionem non compareat, cedet inventori.

RESP. Nego *cons.* disparitas est. Quia thesaurus est in nullius dominio, & quia jura expressa dispositione eum inventori adjudicant; quoniam, cum sit vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, præsumunt, Dominum jam non superesse: adeoque esse vere rem derelictam & nullius, sicque objectum inventionis.

Si quis vero dominium thesauri vel ex scriptura, vel aliis modis & signis probare posset, præsumptio cederet veritati, & thesaurus, quemadmodum res aliæ inventæ, a Domino vindicari posset. l. 67. ff.

ff. de R. V. l. 44. pr. ff. de A. vel A. P. juncta lege 37. ff. de A. vel O. H. & tunc paritas faceret pro mea ſententia. Econtra jura non tantum non præſumunt, res fortuito amiſſas pro derelictis haberi, ſed potius expreſſe contrarium declarant.

§. III.

De Præſcriptione.

Inter modos adquirendi Civiles primum 323 locum obtinet *uſucapio*, ſeu *præſcriptio.* Olim uſucapio ſolum ad res mobiles ſe extendiſſe dicitur: præſcriptio ad immobiles. Hodie ſublato iſto diſcrimine res tantum corporalis uſucapi dicitur: omnia autem tam corporalia, quam incorporalia, dici poſſunt *præſcribi.* Definitur *præſcriptio,* quod ſit *modus adquirendi, quo jus, vel liberationem, privilegio temporis nanciſcimur;* potiſſimam enim vim a tempore habet præſcriptio. Dividitur in *Poſitivam*, & *Negativam.* Prior eſt, quando præſcribens, jus aliquod adquirit, quod ante non habuit: & ſic dicitur *præſcribere* jus. v. g. Patronatus. Poſterior eſt, quando præſcribens novum jus non adquirit, ſed ab obligatione, qua ante fuerat obſtrictus, liberatur: & ſic dicitur *juri præſcribere.* In priori requiritur poſſeſſio, vel quaſi. In poſteriori ſufficit ſola duratio temporis etiam cum ſcientia juris alterius. Alia eſt

ordinaria, ſeu longi temporis: alia *extra-ordinaria*, ſeu longiſſimi temporis, v. g. 40. annorum. Alia *memorialis*, cujus origo hominum viventium memoriam non excedit: alia *immemorialis*, quando quis rem tanto tempore poſſidet, ut nulli de-facto viventium de illius initio conſtet.

324 Conditiones præſcriptionis ſunt, ut 1. ſit res apta præſcribi, ſeu objectum: 2. bona fides, 3. juſtus titulus: 4. poſſeſſio. 5. Tempus. De ſingulis dicendum breviter. Præſcribi poſſunt res omnes, quæ non ſunt ſpecialiter exceptæ. Excipiuntur autem I. res humano commercio exemptæ: ut ſunt, ſacræ, ſanctæ, & Religioſæ: res communes, publicæ, & univerſitatis, quæ a privatis *qua talibus* præſcribi non poſſunt, v. g. forum, pontes, viæ publicæ &c. II. Limites & termini regionum, Diœceſium, Parochiarum. III. liber homo. IV. Res vitioſæ, ut ſunt furtivæ, vel vi, aut mala fide poſſeſſæ. V. Jura meræ facultatis, quæ homines citra ullam conventionem vel obligationem ex jure naturalis libertatis pro ſuo arbitrio exercere vel omittere poſſunt. VI. Jura Majeſtatis intrinſeca, quæ ipſam Majeſtatem ſeu ſuperioritatem conſtituunt, ut ſine illis ſalva conſiſtere nequeat, ut ſunt jus ferendi leges, ultimæ cognitionis, ſupremæ advocatiæ, jus exigendi ſteuras, ſeu collectas publicas. VII. Jura ſpiritua-

tualia, quæ a laicis præſcribi non poſſunt.

325 Bona Fides definitur, quod ſit *conſcientia a peccato injuſtitiæ illæſa.* Itaque tamdiu quis eſt in bona fide, quamdiu ſcit vel credit, ſe non agere contra juſtitiam. Hæc jure Canonico requiritur tam ab initio, quam in decurſu usque ad finem præſcriptionis completæ. cap. fin. *de præſcript.* *Dubium ſpeculativum*, ſive præſcriptionem antecedat, ſive ſuperveniat, non nocet præſcribenti; quia illud facile deponitur per axioma juridicum, in hac materia receptum: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis.* *Dubium* vero *practicum* ſemper impedit præſcriptionem; quia tollit bonam fidem. Bona fides auctoris, ſeu, a quo rem quis habet, ſive fuerit *univerſalis*, ut teſtator, ab inteſtato decedens: aut *particularis* v. g. venditor: hæc inquam ſemper prodeſt ſucceſſori, ita, ut tempus auctoris poſſit computare ad complendam a ſe præſcriptionem, §. 2. Inſt. de *uſucap.* hoc quidem de Jure Civili, non autem Canonico; nam mala fides ſucceſſoris interrumpit præſcriptionem. cit. cap. Econtra mala fides auctoris *univerſalis* nocet ſucceſſori; ut nec a ſua perſona poſſit eam inchoare l. 11. ff. *de diverſi temp. præſcript.* & §. 7. Inſt. *de uſucapion.* Exceptiones quasdam legere eſt apud Clar. D. Peregrini in Manuductione hoc tit.

 ma-

mala fides *auctoris particularis* hodierno jure novel. 119. cap. 7. nocet successori saltem in rebus immobilibus: v. g. dum ignorante Domino res a malæ fidei possessore fuit alienata: & etiam in rebus mobilibus; quia qui rem mobilem mala fide scienter distrahit, furtum committit. Furto autem res efficitur *vitiosa*: & impræscriptibilis. Exceptiones iterum videri possunt apud PEREGRINI loc. cit.

326 TITULUS in genere, est *causa*, *ex qua rem habemus*. Et est alius translativus dominii, aut juris realis: v. g. donatio, venditio &c. vel non translativus: uti comodatum, depositum, locatio &c. prior iterum vel est *verus*, quando reipsa dominium fuit translatum: ut si rem emi a vero Domino, rei suæ administrationem habente. Vel *non verus*, qui est vel *coloratus*, quando causa ad transferendum dominium habilis revera quidem intercessit, sed tamen ob defectum tradentis dominium non fuit translatum: v. g. res empta a non Domino. Vel *existimatus*, quando quis credit, causam ad transferendum dominium habilem intervenisse, quæ tamen non intervenit, qui titulus fundatur in errore facti proprii, aut alieni. Vel denique *præsumptus*, quem ipsa jura ob diuturnitatem temporis & possessionis intervenisse præsumunt. Ad præscriptionem *ordinariam* requiritur aliquis titulus leg. 24. Cod.

de

de rei vindicatione & l. 4. Cod. *de præſcript. temporis*, ſufficit tamen *coloratus*, ut patet ex titulis: pro *emptore*, pro *donato*, pro *legato*: aut etiam exiſtimatus, fundatus in errore facti alieni. l. 11. ff. pro *emptore*. Ad præſcriptionem *extraordinariam* regulariter ſufficit titulus præſumptus l. 4. Cod. *de præſcript. 30. vel 40. annor.* Niſi forte contra præſcribentem currat gravis præſumptio juris; pro eo autem, contra quem præſcribitur, ſpecialis juris aſſiſtentia. cap. 1. h. t. in 6. Ad præſcriptionem *immemorialem* nullo opus eſt titulo. cit. cap. & conſultius eſt nullum allegare, ne quis forte in eo probando ſuccumbat, ut notant authores paſſim.

Possessio (definita fuit ſupra. num. 327
289.) vere talis in rebus corporalibus, vel quaſi talis in incorporalibus, ut ſunt omnia jura, neceſſaria eſt ad præſcriptionem cap. 3. de R. J. in 6. & l. 25. ff. h. t. Hinc laici jura ſpiritualia, quia poſſidere non poſſunt, nec etiam præſcribere valent. cap. 7. h. t. Excipitur jus Patronatus, & perceptio decimarum (non jus decimandi) in cujus poſſeſſione immemoriali laici permittendi ſunt, donec probetur titulus vitioſus; quia præſumuntur, quod vel acquiſierint ante Concilium Lateranense titulo infeudationis, vel emphyteuſis: vel ex privilegio Pontificio. Hæc de poſſeſſione dicta intelligenda ſunt

de

de præscriptione *positiva* ; nam ad *privativam* nulla requiritur ; sed jus creditoris solo temporis lapsu extinguitur. Hinc quamvis laici non possint præscribere jus decimandi, possunt tamen juri decimandi præscribere, suppositis ceteris.

328 Tempus triennii requiritur ad præscribendum res mobiles privatorum laicorum, etiamsi pretiosæ sint, princ. inst. h. t. nisi fuerint res vitiosæ, quæ a malæ fidei possessore nullo tempore, a bonæ fidei autem possessore tempore extraordinario præscribi possunt. Res immobiles eorundem cum titulo 10. annis inter præsentes, 20. annis inter absentes præscribuntur: sine titulo autem tempore extraordinario, puta 30. vel 40. annorum. Dicuntur autem *præsentes*, qui in eadem provincia, seu sub eodem Principe territoriali habitant: *absentes*, qui in diversis: quamvis res præscribenda in eadem provincia sita sit. Res fiscalis, seu ad Principem qua talem pertinentes, non nisi 40. annis præscribuntur. l. 4. & 6. Cod. *de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* idem dicendum de bonis Principum patrimonialibus. Res civitatum & Ecclesiarum hodie non nisi 40. annis præscribuntur, quod de immobilibus quidem certum, de mobilibus probabilius est. Vid. Peregrini. Contra res Ecclesiæ Romanæ tam immobiles, quam mobiles non nisi centenaria

tenaria currit præſcriptio cap. 13. & 14. h. t.

Quando igitur præſcriptio ſua habet 329
requiſita, dominium, vel quodcunque jus aut liberationem ab onere, transfert in præſcribentem: id quod de jure Civili & pro foro externo indubitatum eſt: quæritur, an idem obtineat pro foro conſcientiæ? cum non deſint, qui putent, præſcriptionem eſſe inventum juris Civilis, juri naturæ contrarium. Sunt etiam qui diſputent, an præſcriptio introducta ſit jure naturæ, vel gentium, vel tantum Civili: quod Jurisconſultis permitto, & legi poteſt apud Clar. P. Böckn tract. ſpeciali de præſcript. Ad primum quæſitum ſit

Resolutio. Præſcriptio legitima vere 330
etiam pro foro interno transfert dominium, & res debito modo præſcripta, vero priori Domino deinceps comparenti non amplius reſtitui debet. *Eſt communis.*

Prob. I. argumento & regula generali, cum a Theologis, tum a Jurisconſultis recepta: lex juſta pro foro externo, eſt etiam juſta pro foro interno: atqui lex, quod præſcriptione transferatur jus in alterum, eſt juſta pro foro externo: ergo etiam pro interno.

Prob.

331 Prob. II. Respublica potuit, & voluit in præſcribentem transferre dominium: ergo vere transfertur. *Ant. prob.* quoad I. Respublica habet poteſtatem altam & eminentem in bona & jura ſubditorum, ut de iis in bonum commune poſſit diſponere, eaque de uno ad alium transferre, etiam ſine culpa prioris Domini, ſed non ſine graviſſima cauſa: ſecus finis, qui eſt procuratio boni communis, non poſſet obtineri; cum ex hoc capite etiam pars humani corporis abſcindi queat, ut totum conſervetur: & ita quoque dicendum de corpore politico, ſeu ſocietate humana. Atqui aderat talis graviſſima cauſa ad transferendum præſcriptione dominium; tum, quia ſecus incerta forent vix non omnia rerum dominia; nemo in conſcientia ſecurus; nulla pax inter cives; lites infinitæ, cum etiam legitimæ poſſeſſionis antiquæ probatio ſit difficillima, eoquod facile poſſent falſa confingi inſtrumenta &c. quæ omnia nimium quantum nocerent bono communi Reipublicæ, & ſingulorum civium: accedit, quod ſic etiam amputetur deſidia, & quisque ſtimuletur, ut meliorem rerum ſuarum curam habeat, iisque invigilet. Ergo potuit præſcriptione transferri dominium authoritate reipublicæ.

332 *Ant. prob.* quoad II. & quidem quod legislator civilis voluerit transferre dominium,

nium, indubitatum eſt, ex totis titulis *de uſucap. & præſcript.* De legislatore Eccleſiaſtico, qui maxime forum internum ſpectat, itidem certum eſt ex toto titulo *de præſcript.* & maxime cap. 6. ubi Alexander III. decernit: „ Fraternitati tuæ „ innoteſcat, quod de jure divino & hu„ mano melior eſt conditio poſſidentis, „ quia quadragennalis præſcriptio omnem „ prorſus actionem excludit. „ vid. etiam cauſ. XVI. tota q. 3. Denique univerſalis gentium conſenſus legem efficit ſtabilem & juſtam: de hoc autem conſenſu dubitari nequit inter gentes moratas; cum Ammonitis poſſeſſionem Iſraelitarum impugnantibus, Jephte longi temporis poſſeſſionem & præſcriptionem oppoſuerit: Jud. XI. 26. *quando* (Iſrael) *habitavit in heſebon . . . per trecentos annos . . . quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?*

Objic. I. SS. PP. improbant præſcriptio- 333
nem. Nam S. Augustinus relatus cap 4. XXXIII. 5. ait. „ Si nunquam tenuiſſes „ ejus aſſenſum, numerus te nullus de„ fendiſſet annorum. „

Resp. Nego *ant.* Ad textum S. Augustini dico, eum loqui de jure conjugum, quod utique citra conſenſum non præſcribitur: non autem de dominio rerum externarum. Legatur ipſum cap.

Objic.

334 Objic. II. Idem S. P. lib. de fide & operibus cap. 7. „ In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum : cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur. „ Atqui juxta Resolutionem post completam præscriptionem , etiamsi quis in notitiam veniat, rem esse alienam, non deberet restituere. Ergo est contraria S. Augustino.

Resp. Loquitur de notitia rei alienæ ante completam præscriptionem. Jam autem certum est, quod mala fides præscriptionem interrumpat. Post præscriptionem legitime completam res non amplius est aliena, sed authoritate legum est præscribentis propria.

335 Objic. III. Nov. 9. præfat. præscriptio dicitur *impium præsidium*: atqui tale non valet saltem pro foro conscientiæ. *Ergo*.

Resp. Novella intelligi debet de præscriptione debitis conditionibus non instructa.

336 Objic. IV. Nemo re sua sine causa privandus est. cap. 23. de R. I. in 6. hoc autem sæpe fieret præscriptione. Ergo.

Resp.

Resp. Diſtinguo *ant.* ſine culpa, & ſine cauſa. *Conc.* ſine culpa, ſi tamen adſit cauſa. *Nego.* Atqui adeſt cauſa boni publici: ergo.

Objic. V. Nemo cum alterius injuria lo- 337
cupletior debet fieri. cap. 48. eodem. Et jure naturæ iniquum eſt, ut quis fiat ditior cum damno & injuria alterius. l. 206. ff. de R. I. Atqui hoc fit ſæpe præſcriptione. *Ergo.*

Resp. *Diſting.* Si fiat authoritate privata & cum injuria. *Conc.* Si authoritate publica. *Nego.* Tunc enim non fit injuria, etiamſi fiat jactura, quæ tamen iterum compenſari poteſt; cum poſſit & ipſe nunc damnificatus alio tempore contra alterum præſcribere. Quod ſi hoc non contingat, privati damnum compenſatur bono publico communitatis.

Objic. VI. S. Raymundus ei, qui bona 338
fide præſcripſit, ſuadet, ut reſtituat, eoquod in dubio ſit tutior pars eligenda. Ergo. &c.

Resp. S. Raymundus, cui tamen Scholæ omnes contrarium docent, loquitur quaſi anceps, fateturque, opinionem iſtam ſervari per univerſum orbem, quocunque ſe diffundit Eccleſia. Quod autem in dubio ſit tutior pars eligenda, verum eſt,

nisi alterum sit probabilius, & omnino certum, uti tamen certa est nostra sententia legibus utriusque Juris decisa.

339 Objic. VII. Quamvis adsit eadem ratio boni publici, ut postquam sententia in rem judicatam abiit, res victori adjudicata, ejus sit: si tamen victor postmodum comperit, v. g. ex instrumentis noviter repertis, rem esse alterius, securus non est pro foro conscientiæ: ergo idem dicendum de præscriptione, valere tantum pro foro externo.

Resp. Nego *cons.* disparitas est; quia leges tribuendo vim rei judicatæ, non voluerunt transferre dominium, sed tantum minuere lites leg. 2. Cod. *de re Jud.* Cum præsumant, sententiam fuisse juste latam: qui finis obtinetur, etiamsi non habeat effectum pro foro interno; quia materialiter injuste condemnatus post rem judicatam non amplius auditur in judicio. E contra leges voluerunt præscriptione transferre dominium eo ipso, quod voluerint tollere dominiorum incertitudinem, & tranquillos reddere possessores: qui finis non obtineretur, nisi etiam pro foro interno valeret præscriptio.

340 Objic. VIII. Præmissæ probationes tantum evincunt, valere præscriptionem pro foro *externo*; sic enim satis amputantur lites;

tes; cum contra præſcribentem nemo audiatur in judicio. Ergo. &c.

Resp. Nego *ant.* Nam jus Canonicum cap. 3. *de præſcript.* vult, ut ſecundum SS. PP. Sanctiones bona præſcripta *quiete & ſincere . . . perpetuo teneantur.* Atqui non poſſiderentur *quiete*, niſi etiam valeret præſcriptio pro foro interno, quod maxime attenditur a Jure Canonico. Neque etiam finis præſcriptionis fuit, ſolum amputare lites, ſed tollere incertitudinem dominiorum: quæ non tollitur, niſi per eorum translationem.

§. IV.

De ceteris adquirendi modis.

Occupatio rerum, quæ alicujus ſunt, 341
ſi fiat citra voluntatem Domini, dicitur Occupatio Bellica, & eſt modus adquirendi, quo perſonæ vel res hoſtiles, in bello juſto occupatæ, fiunt capientium, ſeu adquiruntur Principi belligeranti, cum milites ſint ejus Miniſtri, ejusque nomine occupent, quippe qui ſtipendium ab eo accipiunt: hoc tamen intelligendum eſt de bonis ipſius Principis, contra quem bello juſto pugnatur, aut de rebus in actuali conflictu vel expugnatione civitatis expilatæ occupatis. Nam res privatæ civium, qui ſupponuntur non repugnare, & præſtare contributiones, non

nisi per injuriam & excessum iis auferuntur. De jure enim naturali & gentium, saltem bene moratarum, Princeps belligerans non plus posset petere a subditis occupatis, quam quod suo Principi alias præstare solent, vel paulo amplius. Quamquam quis Marti ferocienti leges statuet? quæ, quod dolendum, inter arma nunc fere silent, solo jure convenientiæ, quod sibi victor fingit, residuo.

342 Occupatio, quæ fit cum voluntate Domini, sed respectu adquirentis indeterminati, vocatur *sparsio missilium*, **Auswurfsgeld**, quæ in vulgus sparsa fiunt primo occupantis. Solet hæc fieri in extraordinariis solemnitatibus magnorum Principum, qui etiam ad splendorem non raro faciunt vina e doliis vel fontibus fluere, ut occupantium fiant. Huc referri potest *urna sortis fortuitæ*, **Glücksshafen**, saltem quando gratis & liberaliter sortes trahere licet: secus enim, ubi pretium quoddam quamvis minutum solvitur, est emptio spei, ut contingit ordinarie in lusu, quem dicunt *lotterie*.

343 Occupatio rei cum voluntate Domini determinata, oritur ex *traditione*, quæ est actus, quo res ab eo, qui jus alienandi habet ex causa habili ad transferendum dominium, in alterum occupantem transfertur. Est alia *proprie* talis, quæ fit in

in rebus corporalibus, alia quasi talis in rebus incorporalibus, quæ proprie tradi non possunt. Fit autem in juribus *affirmativis*, quæ in faciendo consistunt, per usum unius, & patientiam alterius, ita ut patientia videatur habere vim traditionis, usus vero vim occupationis. In juribus *negativis*, quæ in omittendo consistunt, traditio fit per omissionem actus, quem Dominus exercere posset in re sua, cum vero vel putativo jure alterius, seu, prohibentis conjunctam. v. g. vendit aliquis jus ædes suas altius non tollendi, quod alias posset, in commodum emptoris. Alia est *vera*, quæ naturali & corporali actu peragitur, v. g. in re mobili de manu ad manum, vel per exhibitionem præsenti factam cum contactu physico: aut in re immobili, per inductionem in fundum, ædes &c. Alia est *ficta* (quæ tamen cum quasi tali non debet confundi) a legibus fingitur intervenisse, cum tamen non intervenerit. Quæ duplex est, *brevis*, & *longæ manus*. Hæc fit, quando res in conspectu meo ponitur, vel a longe ostenditur: illa fit per omissionem certorum actuum, qui alias de rigore juris ad traditionem veram deberent intercedere. E. g. Rem ante mihi comodatam a Domino emo, & titulo emptionis retineo. De jure deberem prius eam Domino reddere, & ille mihi postea tradere. De his videantur civilistæ.

344 Alter modus adquirendi *naturalis*, eſt *acceſſio*, ideo ſic dicta, quod res minus principalis alteri tanquam principaliori *accedat*, illiusque ſequatur dominium. Definitur, quod ſit *modus adquirendi, quo res aliena intuitu rei noſtræ, vel quaſi, ut principalioris nobis adquiritur.* Eſt duplex, *naturalis* : & *artificialis*. *Naturalis* vel eſt *continua*, quando res acceſſoria aliena, fit unum continuum cum re noſtra principali: vel *diſcreta*, quando res aliena non fit proprie noſtra per continuationem, ſed potius per ſeparationem. Acceſſionis naturalis continuæ quatuor ſunt ſpecies.

1. *Alluvio*, qua portio terræ alienæ, benificio fluminis fundo noſtro paulatim adjectæ, nobis adquiritur.

2. *Adcretio*, ſeu *coalitio*, eſt modus adquirendi, quo notabilis pars terræ alienæ, beneficio fluminis fundo noſtro advectæ, nobis adquiritur.

3. *Inſulæ productio*, eſt modus adquirendi, quo inſula in flumine nata, alveoque incumbens, iis adquiritur, qui prædia vicina habent: niſi forte Princeps territorialis hoc ſibi jus reſervaverit, uti in Bavaria quoad Danubium: ſecus quoad Oenum.

4. *Alvei derelictio*, est modus adquirendi, quo alveus a flumine derelictus iis adquiritur, qui habent vicina prædia.

Accessio naturalis *discreta* duas sub se 345
habet species. 1. *Fœtura animalium* est modus, quo id, quod ex animalibus nostris nascitur, nostrum est, nempe ex fœmellis; quamvis masculus fuerit alienus; quia partus sequitur ventrem. 2. *Perceptio fructuum*, est modus, quo fructus ex re, bona fide a nobis possessa, nobis adquiruntur. *Fructus* in genere sunt emolumentum ex re aliqua, vel ejus occasione perceptibile. Alii sunt *naturales*, qui ex ipsa re proveniunt, alii *civiles*, qui non ex ipsa re immediate, sed occasione rei proveniunt, ita ut res potius sit instrumentum. Naturales iterum sunt in *speciales*, qui proveniunt ex ipsa re, sine magna, vel nulla nostra cura: ut poma, pyra, nuces, gramina: vel sunt *naturales industriales*, qui quidem ex re proveniunt, sed non sine speciali nostra industria: ut vinum, oleum, frumentum, herbæ in hortis &c. Fructus *civiles* quoque vel sunt *spontanei*, qui percipiuntur occasione rei, vel de se, vel ex communi hominum destinatione ad illum usum ordinatæ: v. g. locatio ædium, boum, equorum. Vel sunt *adscititii*, qui adquiruntur occasione rei non de se, sed ex speciali industria ad fructus ferendos destinatæ: ut lucrum ex navigatione, mercatura.

346 Fructus alii ſunt *percepti*, qui ſunt jam a corpore ſeparati: qui iterum ſunt vel *extantes*, vel *conſumpti.* Extantes ſunt vel *formaliter* tales, quando in natura adhuc exiſtunt, nec ullo modo fuerunt conſumpti: vel *virtualiter extantes*, ex quibus aliquis dicitur locupletior factus; quia formaliter quidem fuerunt conſumpti: interim tamen eorum adhuc pretium æquivalenter, ſeu in virtute extat. v. g. Bonæ fidei poſſeſſor percepit fructus ex agro, indeque & familiam per annum ſuſtentavit: ſi hos fructus non percepiſſet ex agro poſſeſſo, debuiſſet v. g. 100. florenos de ſuo expendere pro coëmendo frumento, hoc caſu fructus ex agro percepti dicuntur extare virtualiter, quia eorum extat pretium, diciturque poſſeſſor ex fructibus 100. florenis, quos interea retinere potuit, locupletior factus, vid. leg. 23. ff. de *Reb. credit.* lib. 18. ff. *quod metus cauſa* lib. 47. §. un. ff. *de ſolut.* lib. 25. §. 16. ff. *de hæred. petit.* Econtra ſi quis intuitu rei poſſeſſæ lautius vixit, quam vixiſſet absque ea, aut easdem prorſus expenſas feciſſet, nec inde ditior factus eſt, dicuntur *formaliter* ac plene conſumpti, nec ullo modo exſtare.

Alii ſunt fructus non percepti, iique vel *pendentes*, qui adhuc inhærent corpori: ut poma in arboribus, ſeges in agro: vel *percipiendi*, qui honeſte quidem potuiſ-

ſent

ſent percipi, ſed tamen ob negligentiam poſſeſſoris non fuerunt percepti. Jam dicendum; quosnam fructus bonæ quos malæ fidei poſſeſſor percipere queat, aut reſtituere teneatur.

Resolutio I. Bonæ fidei Poſſeſſor rei particularis, quamvis cum re fructus formaliter exſtantes Domino ſupervenienti reſtituere teneatur: fructus tamen perceptos tam naturales induſtriales, quam etiam naturales in ſpecie tales, ſuos interim facit, nec eos reſtituere tenetur, quamvis ex iis factus ſit locupletior: quod multo magis verum eſt de mere induſtrialibus, ſeu adſcititiis; quia hos etiam malæ fidei poſſeſſor ſuos facit irrevocabiliter, cum ſint partus propriæ induſtriæ, & res aliena ſe tantum habeat per modum inſtrumenti. 347

Prob. I. pars, de fructibus *formaliter* exſtantibus. leg. 22. Cod. de R. V. Certum eſt, malæ fidei poſſeſſorem omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei vero extantes: poſt litis autem conteſtationem univerſos.

Prob. II. pars, de *conſumtis*, licet *virtualiter* extantibus. Nam de *fructibus conſumtis agere non poteſt* ſuperveniens Dominus contra bonæ fidei poſſeſſorem. §. 35. J. de R. D. quia habetur interim *loco Domini*, ut habetur expreſſe l. 48. 348

 princ.

princ. ff. de A. R. D. ex quibus ſic arguo. in cit. tribus legibus traditur regula generalis, fructus conſumptos a bonæ fidei Poſſeſſore non debere reſtitui, & regula generalis debet intelligi de communiter contingentibus, ſecus foret inepta, & hoc ipſo non generalis: atqui communiter contingit, ut Patresfamilias ſolertes ita res ſuas expendant, ut in ſenſu juridico inde fiant locupletiores l. 47. §. un. ff. *de ſolut.* Ergo fructus conſumpti, quamvis locupletior factus fuerit poſſeſſor bonæ fidei, juxta hanc regulam non debent reſtitui.

349 PROB. II. De bonæ fidei poſſe-ſſore dicitur l. 4. §. 2. ff. *fin. regundorum.* LUCRARI *eum oportet, ſi eos conſumpſit.* Atqui non *lucraretur*, ſi deberet reſtituere, ergo &c.

350 PROB. III. Fructus præſcripti, & bona fide conſumpti, æquiparantur l. 4. §. 19. ff. *de uſurpat. & uſucap.* Atqui fructus præſcripti non reſtituuntur a poſſeſſore B. F. quamvis fuerit locupletior factus; quia percepit ut *Dominus* rem *ſuam.* Ergo etiam fructus conſumpti non reſtituuntur a bonæ fidei Poſſeſſore, quia *lucratus* eſt eos, & *interim* factus eſt *Dominus*, juxta leges n. 348. ſeq. citatas.

351 PROB. IV. Cit. leg. 22. Cod. de R. V. hæc ſtatuitur differentia inter bonæ, &

ma-

malæ fidei poſſeſſorem, quod hic *omnes*, ille autem tantum *extantes* debeat reſtituere: ergo conſumptos non debet reſtituere; ſecus vix ulla foret differentia inter utrumque; cum raro contingat, ut quis ex fructibus perceptis non fiat ditior.

Respondent Adverſarii: fructus, ex quibus factus eſt aliquis locupletior, cenſentur *extare virtualiter*: ergo debent reſtitui.

Contra eſt. Quando jura volunt fructus virtualiter extare, ſeu, quod idem eſt, *pretium ſuccedere in locum rei*, tunc id ſpecialiter exprimunt; quia eſt aliqua fictio juris, quæ ſine expreſſo textu adſtrui non debet. Sic exprimunt in petitione hæreditatis, aliisque judiciis *univerſalibus*: atvero in judiciis *ſingularibus* pretium non ſuccedit in locum rei, adeoque fructus virtualiter non extant ſenſu Juridico, ut conſtat ex l. 21. ff. *de hæred. vel actione vendita* l. 7. §. un. ff. *qui potiores in pignore*. & NB. leg. 48. §. fin. ff. *de furtis*, ubi dicitur, pretium rei furtivæ non ſuccedere in locum rei furtivæ. l. 38. §. 2. *de noxalibus action.* 352

Prob. V. Quod fructus ex hæreditate perceptos, ex quibus factus eſt locupletior, reſtituere debeat bonæ fidei poſſeſſor, ſpecialiter eſt in jure expreſſum. l. 353

25. §. 11. ff. *de hæred. petit.* item l. 28. ff. eodem. vult eis *omne lucrum auferendum.* vid. etiam l. 1. Cod. eod. Atqui hoc nullibi statuit de possessore rei particularis: imo dicitur, eum fructus lucrari. l. 4. §. 2. ff. *fin. regund.* Ergo non debet restituere.

354 PROB. VI. Non potest ostendi radix restitutionis: nam tres communiter assignantur: contractus, injusta acceptio seu læsio, res accepta, seu aliena: atqui ex nullo horum restituere obligatur bonæ fidei possessor. Non 1. *ex contractu*; nam nullus inter Dominum, & bonæ fidei possessorem intervenisse supponitur. Non 2. *ex injusta acceptione*, quia est bonæ fidei possessor. Non 3. *ex re aliena*; quia quamvis res v. g. fundus, fuerit aliena, quia tamen possessor bona fide existimavit *suam*, habuit fructuum, quamdiu extabant, dominium revocabile: consequenter consumpsit rem *suam* ut *Dominus*, & lucratus est ex n. 348. seq. & consumptione adquisivit dominium irrevocabile.

355 PROB. VII. Non competit Domino actio ad repetendos hos fructus: ergo nec in possessore datur obligatio restituendi. *Ant. prob.* 1. Non datur *actio personalis*; quia hæc tantum datur inter eos, inter quos negotium aliquod intercessit, aut contractus, vel quasi: aut intervenit delictum: arg.

arg. l. 33. ff. *de cond. ind.* ubi : „ Condictio locum non habebit, *quia nullum* „ *negotium inter nos contraheretur.* „ Atqui nihil tale intercessit inter Dominum, & possessorem : nec ullum adest delictum : ergo non competit Domino actio *personalis.*

2. Non competit ei actio *realis*, seu *rei vindicatio*; in hac enim actione supponitur, res formaliter & in specie extare : leg. 6. l. 27. §. 1. l. 36. princ. l. 58. ff. de R. V. Atqui fructus consumpti formaliter & in specie non extant : ergo non competit actio *realis.*

Respondebunt Adversarii. Rei vindicatione saltem *accessoria* cum ipsa re v. g. fundo, peti potest omne id, quod cum lucro inde percepit bonæ fidei possessor; cum rei vindicatio detur ad consequendam rem cum omni causa l. 17. §. 1. l. 34. ff. de R. V.

Contra est. Hi textus se ipsos explicant, 356
& sub ratione *causæ* intelligunt accessiones, quibus res ipsa aucta fuit, v. g. per alluvionem.

3. Non datur *condictio sine causa*; nam 357
hæc tantum illi competit, qui aliquid promisit, vel dedit, quod apud alterum sine causa existit l. 1. princ. l. 3. & seq. ff.

de

de condict. sine causa. Atqui in nostro casu supponitur, quod Dominus neque promiserit, neque dederit fructus, sed quod eos bonæ fidei possessor propria perceptione adquisiverit. Ergo. Dein *condictio sine causa* tunc demum competit, quando vel initio nulla omnino adfuit causa jure approbata, sive titulus adquirendi: vel, dum causa non fuit actu secuta: vel, si causa, quæ revocabilis erat, postea revocata & finita fuerit. l. 1. §. 2. ff. *de cond. sine causa.* Atqui contrarium est in nostro casu; nam subfuit justa causa, nempe dominium legibus concessum ex n. 348. vi cujus fructus percepit, & consumpsit, & ut Dominus ex re sua lucrum tulit, hocque dominium ante consumptionem non fuit revocatum, & post consumptionem revocari non potest, quia ipsa consumptione exspiravit. Ergo &c.

358 Objic. I. Quando duo jura concurrunt, quorum unum est dubium, & alterum clarum; standum est juri claro, maxime, dum ille, pro quo stat jus clarum, certat de damno vitando, & alter, pro quo jus est dubium, certat de lucro captando: atqui hic duo concurrunt jura; nempe jus naturæ, vi cujus clarum est, fructus consumptos, & quibus bonæ fidei possessor ditior factus est, esse restituendos, cum jure naturæ non fuerit Dominus fructuum, adeoque consumpserit rem alienam: &

con-

concurrit jus positivum, quod tamen est dubium, cum auctores inter se dissideant. Item Dominus certat de damno vitando: Possessor de lucro captando: ergo standum est juri naturæ claro.

Resp. I. Mihi non est dubium de jure positivo; certum est enim, legibus Romanis bonæ fidei possessorem factum fuisse Dominum fructuum, eosque consumpsisse ut suos.

Resp. II. *Dist. min.* Jus naturæ clarum est, secundum se. *Conc.* In concursu juris positivi. *Nego.* Dubium enim est, an hoc recesserit a jure naturæ: & hinc etiam dubium est, an jus naturæ sit in vigore quoad hunc effectum: adeoque neutrum jus clarum est, & prævalere debet sententia probabilior.

Resp. III. Disting. *min.* Jus naturæ est clarum *in Thesi*, & præscindendo a juris positivi dispositione. *Conc.* in *hypothesi*, quod bonæ fidei possessor ut *Dominus* consumpserit *fructus suos*. *Nego.* De jure naturæ in Thesi deberet restituere fructus ex re *aliena*. Sed in hypothesi, quod per jus positivum non sit res aliena, jus naturæ jam non est clarum, sed jure positivo restrictum. Sic e. g. in præscriptione. Emi bona fide rem alienam mobilem: post triennium legitime finita præscriptio-

ſcriptione venio in notitiam, rem emptam non fuiſſe venditoris propriam: de jure naturæ deberem reſtituere, non autem de jure poſitivo, quo præſcriptio tribuit dominium: & ſi prior Dominus rem mihi abſtulerit, contra jus naturæ peccat.

359 Objic. II. Jure naturæ iniquum eſt, ut quis fiat ditior cum injuria & damno alterius: l. 206. ff. de R. I. cap. 48. eod. in 6. l. 14. *de condict. indebiti.* Atqui bonæ fidei poſſeſſor ſupponitur factus ditior cum damno veri Domini: ergo hoc eſt contra jus naturæ.

2. Bonæ fidei poſſeſſor debet reſtituere fructus exſtantes ex n. 347. Atqui fructus, ex quibus factus eſt locupletior, cenſentur exſtare. l. 32. §. 9. ff. *de donat. inter virum & uxorem.* ubi: „ conſumpſiſſe „ ſic accipere debemus, ne is, qui dona- „ tionem acceperit, locupletior factus ſit. „ Item l. 70. 71. 72. ff. *de legatis II.* „ Non „ enim abſumitur, quod in corpore pa- „ trimonii retinetur. „ L. 23. ff. *de adimend. vel transferendis legatis.* L. 23. ff. de R. C. Ergo.

Resp. ad I. Diſtinguo *maj.* ex re *aliena* & absque juſto titulo. *Conc.* Ex re *ſua*, & cum juſto titulo. *Neg. maj.* & ſuppoſitum *min.* quod bonæ fidei poſſeſſor Domino injuriam fecerit, conſumendo rem, jure poſitivo *ſuam.*

Resp. ad II. Cum donationes inter virum & uxorem ſpeciali jure ſint prohibitæ, textus iſte huc trahi non debet: quamquam idem & mihi faveat: nam aut loquitur de fructibus exſtantibus: & de conſumptis dicit, eos *compenſari* non debere, niſi ſecuto divortio, ubi omnia rediguntur in priorem ſtatum. Poteſt etiam retorqueri. l. 5. §. 8. ff. *de donat. inter virum & uxorem.*

Resp. II. Diſting. *min.* cenſentur exſtare, in ordine ad reſtitutionem. *Neg.* Eo tantum ſenſu, quod dum de viribus integri patrimonii quæritur, nihil interſit. An res, aut fructus, aut eorum pretium extet. *Conc.*

Resp. III. Cit. textus intelligendos eſſe eo caſu, quo quis convenitur actione perſonali, v. g. ex contractu; actio enim realis, ut hic rei vindicatio, non datur niſi ad rem actu exiſtentem l. 6. c. de R. V. Aut etiam ad æquivalens, ſed tantum contra illum, qui dolo deſiit poſſidere. l. 27. §. 1. & ſeq. ff. eod.

Resp. IV. Aut denique loquuntur de poſſeſſore univerſali.

Objic. III. Poſſeſſor hæreditatis debet 360
fructus conſumptos reſtituere l. 20. §. 6. ff. *de hæred. petit.* Ergo etiam poſſeſſor rei

particularis, quia §. 2. J. de O. J. æquiparantur.

Resp. Nego *conſ.* diſparitas eſt; ideo enim Jura expreſſe ſtatuunt, fructus a poſſeſſore *univerſali* reſtitui, quia poſſeſſor hæreditatis non ſibi, ſed hæreditati adquirit, utpote quæ augetur, vel minuitur, etſi ab alio poſſideatur. l. 20. §. 3. l. 25. §. fin. ff. *de hæred. petit.* Adeoque fructus non conſumpſit ut Dominus; ſed cenſentur exſtare tanquam incrementum hæreditatis. Contra jura volunt, poſſeſſorem rei *particularis* fructus ſibi lucrari, eorum fieri Dominum ex n. 348. paritas ex §. 2. de O. J. eſt tantum quoad fructus exſtantes, vel quoad formulam, qua judex uti debeat: *jubere ei debet, ut rem ipſam* (vel hæreditatem) *reſtituat cum fructibus* (exſtantibus) quinam autem fructus in ſpecie reſtituendi ſint, ex aliis legibus colligendum eſt. Dein non eſſe omnimodam paritatem, ex eo quoque colligitur; quod dicat Imperator: *in utraque actione eadem ratio* Pene *habetur.* Ergo non *prorſus eadem.*

361 Objic. IV. In condictione indebiti etiam fructus, ex quibus eſt factus locupletior, reſtituendi ſunt. l. 15. princ. l. 26. §. 12. & præcipue l. 3. fin. ff. *de condict. indeb. bonæ fidei poſſeſſor, in quantum* (ex legato) *locupletior factus eſt, tenetur.* Ergo etiam ex alia re ſingulari.

Resp.

Resp. Condictio indebiti descendit ex *quasi contractu*, quatenus is, qui rem, v. g. Legatum, per modum solutionis accipit, promittere censetur, quod si appareat indebite fuisse solutum, rem cum accessionibus & fructibus restituere velit, acsi nihil unquam solutum fuisset: adeoque in condictione tanquam actione *personali*, speciale quod est quoad fructus l. 15. l. 65. §. 5. & 6. *de cond. indebiti.* Aliud est in actionibus *realibus*. Hic nullus intervenit *quasi contractus*, nulla facta est indebiti solutio; cum bonæ fidei possessor justo titulo, v. g. emptionis, & dominio legis munitus, non indebitum percepit, sed *suum* consumpsit.

Objic. V. Si Possessor fructus perceptos 362
distraxerit, ne corrumperentur, pretium tamen eorum restituendum est. l. 15. §. 1. ff. de R. V. Atqui hoc nihil est aliud, quam lucrum ex fructibus consumptis residuum. *Ergo* &c.

Resp. Textum intelligendum post litem contestatam.

Objic. VI. Minores & Pupilli tenentur 363
ad restitutionem fructuum, ex quibus facti sunt locupletiores: ergo quivis alius bonæ fidei Possessor.

Resp. Disting. *ant.* tunc, quando ex capite læsionis vel nullitatis, restituuntur in integrum. *Conc.* hujus enim effectus est, ut omnia ponantur in eo statu, quæ fuerunt ante læsionem, ac si nihil omnino actum fuisset. Secus. *Nego.*

364 Objic. VII. Bonæ fidei possessor, qui rem alienam sibi donatam v. g. equum vendidit, & pretium habet, illud tenetur restituere: ergo etiam fructus.

Resp. Nego *cons.* disparitas est, quia ex re aliena lucrum percepit: hinc dabitur actio in factum: fructus autem non sunt res aliena, sed sua.

365 Objic. VIII. Casu, quo bonæ fidei possessor in rem expensas fecit, sed tamen etiam fructus ante litem contestatam percepit, Dominus postea rem vendicans & evincens, non tenetur ei omnes impensas factas resarcire, sed potest opponere compensationem pro rata perceptorum fructuum l. 48. ff. de R. V. Atqui compensatio non habet locum, nisi utrinque supponatur debitum, utpote cum sit debiti & crediti mutua inter se contributio. Ergo bonæ fidei possessor ratione fructuum consumptorum fuit debitor Domini, & ad restitutionem tenetur.

Resp. Compenſatio in hoc textu non ſumitur *ſtricte* pro compenſatione debiti & crediti, ſed commodi & oneris, eo ſenſu, ut juxta l. 10. ff. de R. I. *qui ſentit commodum* perceptionis fructuum, *ſentiat & onus* faciendi impenſas, ſaltem non immodicas, & quæ non excedant perceptionem fructuum. Si aliter exponatur textus, probabit nimium, nempe etiam illos fructus plene conſumptos, ex quibus non eſt factus ditior, reſtitutioni obnoxios eſſe.

Accessio Artificialis alia eſt *pura*, quæ 366
ſola induſtria contingit: alia *mixta*, ubi ſimul natura concurrit. Ad primam revocatur

Specificatio, quæ eſt modus adquirendi, quo materia aliena per introductionem novæ formæ prævalentis, ſpecificanti adquiritur. §. 25. de R. D. Regula eſt hæc. Quando forma prævalet materiæ, quod fit, dum materia ad priſtinum ſtatum reduci non poteſt, res ſpecificata cedit ſpecificanti: e. g. dum ex aliena lana fit veſtimentum. Quando autem materia prævalet formæ, quod fit, dum materia ad ſtatum priorem reduci poteſt, res ſpecificata eſt penes Dominum materiæ: v. g. ex alieno auro fit vas, nummus &c. ſunt in dominio illius, cujus erat aurum; quia poſſunt ad priorem maſſam reduci. Idem ſtatutum eſt. l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.

de frumento ex alienis ſpicis excuſſo; quia non introducitur nova forma, ſed illa tantum detegitur. Contrarium eſt in eo, qui ex alienis uvis exprimit vinum. Requiritur autem in ſpecificatione ad adquirendum dominium bona fides; quia ſecus Domino materiæ competit *condictio furtiva* contra ſpecificantem l. 14. §. 2. & 3. ff. *de condict. furtiva.* Ceterum Domino materiæ a jure proſpectum fuit ſequenti ratione. Quando prævalet materia, competit ei *rei vindicatio*; quia manet Dominus materiæ. Specificanti autem, ſi fuerit bonæ fidei, compenſari debet induſtria. l. 23. §. 4. ff. de R. V. Si forma prævaleat, & ſpecificans ignoraverit eſſe materiam alienam; Domino materiæ tantum competit actio in factum ad æſtimationem materiæ. cit. l. §. 5. Si ſpecificans ſciverit eſſe rem alienam; competet Domino *rei vindicatio directa* & *utilis*, aut *condictio furtiva*; aut *actio in factum.*

367 Adjunctio, ſeu Accessio, eſt modus adquirendi, quo res aliena, noſtræ tanquam principaliori juncta, nobis adquiritur. §. 26. de R. D. Nam *acceſſorium ſequitur Principale.* Ad acceſſionem artificialem reducitur

368 Confusio, quæ fit, quando duæ materiæ liquidæ vel liquefactæ conjunguntur. Si fiat cum conſenſu utriusque Domini, vel

vel caſu, aut ab uno Domino, ſed bona fide; fit res communis ſi, ſeparari non poſſunt. Si ſeparari poſſunt; manet quisque Dominus ſuæ materiæ &c.

Commixtio fit, quando duæ materiæ ſo- 369
lidæ, v. g. triticum, cum hordeo inter ſe commiſcentur. Hic manet quisque Dominus ſuæ materiæ. Quia etſi difficulter, abſolute tamen ab invicem ſeparari poſſunt. Exceptio eſt in *pecunia*, quæ fit commiſcentis l. 78. ff. *de ſolut.*

Inædificatio, quando ædificium poni 370
tur in alieno fundo, aut ex materia aliena in proprio. Primo caſu ædificium cedit Domino fundi. In ſecundo ædificans fit Dominus ædificii, ſed non materiæ.

Pictura, quæ fit in aliena tabula, ſe- 371
cundum ſe deberet cedere tabulæ: atvero ſpectata æquitate tabula cedit picturæ. §. 34. de R. D.

Scriptura cedit chartæ §. 33. cit. tit. 372
Hinc ſequitur, Religioſum loquendo in rigore Juris Romani, non habere dominium ſuorum manuſcriptorum; quia non eſt Dominus chartæ. Ajunt tamen, hodie idipſum de ſcriptura obſervari, quod de pictura arg. l. 3. §. pen. ff. *ad exhibendum*.

373 Species acceſſionis artificialis mixtæ ſunt SATIO, & PLANTATIO. Ubi regula eſt: quidquid ſeritur, ſeu plantatur, cedit Domino fundi, ſi jam radices egit. §. 31. de R. D. Sed quid de ſemine? ſi bona fide quis ſeminavit in alieno, putans ſuum: utique ſemen compenſari debet: ſecus, ſi ſciens in alieno ſeminat, donare cenſetur. De his videantur Juriſconſulti.

CAPUT V.

De Injuſtitia & Reſtitutione in genere.

374 INJUSTITIA, prout hic ſumitur pro actu, nihil eſt aliud, quam alieni juris violatio, ſeu injuſta alterius damnificatio, quæ per *reſtitutionem* reparari debet. Porro damnum, ſeu injuriam, proximus pati poteſt, vel in bonis animæ, vel corporis, vel quæ dicuntur externa, ut ſunt fama, honor, bona fortunæ. De quibus agendum cap. ſequenti.

375 Injuſtitiæ & injuriæ gravitas æſtimatur a magnitudine triſtitiæ, & averſione animi, quam in homine læſo apta eſt procurare: quamvis illa per accidens ob mitiorem unius genium non ſequatur. Item a magnitudine damni, quod alterius bonis infertur. Regula quidem eſt, quod

volen-

volenti non fiat injuria; hæc tamen fallit, quando injuriatus conſentit, dolo, vi vel metu injuſto adactus, aut dum conſenſus moraliter eſt nullus. v. g. Quando mutuatarius conſentit in uſuras proprie tales, pupillus in alienationem bonorum: quorum utrumque lege prohibitum eſt; aut denique quando jura ſunt inabdicabilia: v. g. dum clericus conſentit in ſui percuſſionem, maritus in ſtuprationem ſuæ uxoris. Privilegium enim *canonis* datum fuit toti ſtatui clericali, cui privatus derogare nequit, nam huic irrogata injuria in integrum ſtatum redundaret: jus autem mariti privativum in corpus ſuæ uxoris, oritur ex natura matrimonii, quod privatorum arbitrio immutari nequit. Hic agam §. I. de natura, neceſſitate & radicibus reſtitutionis in genere. §. II. de culpa, ex qua oriatur obligatio reſtitutionis ob damnificationem. §. III. de circumſtantiis reſtitutionis. §. IV. de cauſis vel perpetuo, vel ad tempus excuſantibus a reſtitutione.

§. I.

De natura, neceſſitate, & radicibus reſtitutionis in genere.

RESTITUTIO, quæ ex nominis etymologia eſt *rei in ſtatum priorem ſtatutio*, 376
hic ſumitur pro illati damni compenſatione, ſive fiat per reſtitutionem ejusdem rei,

v. g. pecuniæ pro pecunia: vel æquivalentis; ut dum pro membro abſciſſo datur pecunia, quo damnum in æſtimatione morali aliquomodo compenſatur. Definitur, quod ſit *actus juſtitiæ commutativæ, quo ſit rei debitæ, vel in ſe, vel in æquivalenti redditio ad æqualitatem.* differt a *ſatisfactione*; quia hæc eſt *injuriæ* illatæ reparatio, quæ eo major eſſe debet, quo dignior eſt perſona offenſa: Reſtitutio autem non reſpicit *perſonam*, ſed *rem*, neque neceſſario ſupponit *injuriam*, ut in mutuo, comodato, depoſito. Differt quoque a *ſolutione*; quia hæc ſupponit rem diverſam ſolvi ab ea, pro qua ſolvitur: & quia etiam debitor ex juramento, vel voto, dicitur ſolvere: non tamen reſtituere.

377 Resolutio I. Reſtitutio *in re*, vel *in voto*, eſt divino & naturali præcepto neceſſaria ad ſalutem. *Communis.*

Prob. I. pars. de divino præcepto. Eodem modo prohibetur alienæ rei detentio, quo ejusdem ablatio; atqui hæc prohibita eſt jure divino: *non furtum facies*: ergo etiam divino præcepto prohibetur detentio, Atqui ſi prohibetur detentio; eo ipſo præcipitur reſtitutio. Hinc ſequitur, hoc præceptum eſſe *negativum*, & obligare ſemper & pro ſemper, quando nimirum nulla adeſt cauſa excuſans moram.

Prob.

PROB. II. Textibus positivis Ezech. XXX. 378
14. *Si impius fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit . . . nec fecerit quidquam injustum, vita vivet & non morietur*: ergo si non restituerit, non vivet vita: consequenter ad salutem necessaria est restitutio. Rom. XIII. 7. *Reddite omnibus debita . . . nemini quidquam debeatis.* Jacob V. 4. *Ecce merces operariorum . . . quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Huc etiam faciunt cap. 1. XIV. 6. & cap. 4. de R. J. in 6.

PROB. II. pars. Omnis injuria, qua pro- 379
ximus afficitur, jure naturali prohibita, ejusque compensatio præcepta est; quia natura dictat: *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, & vicissim. *Quod tibi jure fieri vis, alteri facias.* Item: *suum cuique reddendum est*: atqui si res aliena contra Domini voluntatem detineatur, nec restituatur, proximo injuria irrogatur; *injuria est* enim, *quod non jure fit*, seu juris alieni læsio: atqui alter jus ad rem suam habet, ergo quamdiu non redditur, jus continuo læditur. Ex quibus infertur: Qui agit contra præceptum divinum & naturale, salutem consequi non potest: sed qui non restituit, cum potest, & nec animum habet restituendi, agit contra præceptum divinum & naturale: ergo salvari non potest. Dictum est autem in resolutione, Restitutionem *necessariam esse vel*

in

in re, *vel in voto.* Quando enim adest impotentia rem actu restituendi, quia ad impossibile nemo tenetur, debet saltem adesse animus restituendi serius, conditionatus, vel restituendi si posset: vel quamprimum facultas suppetet. Justus enim dicitur, qui habet firmum propositum *jus suum cuique tribuendi.*

380 OBJIC. I. Si necessaria foret restitutio, tunc eam CHRISTUS injunxisset Pharisæis, quos tanquam rapinarum reos hortabatur ad pœnitentiam: atqui eam non injunxit, sed tantum inculcavit eleemosynam: his verbis Luc. XI. 41. *Quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo.

RESP. Disting. *min.* tantum inculcat eleemosynam, de bonis superfluis & post expuncta jam debita, quæ obligatio jure naturæ cuilibet dictatur. *Conc.* Inculcat eleemosynam ante restitutionem rei alienæ. *Nego.* Dicit Christus, *quod superest, date eleemosynam*: jam autem nihil superesse dici potest, nisi postquam deductum fuerit æs alienum, sub quo comprehenditur utique res aliena. *Et ecce omnia munda sunt vobis.* Suppositis ceteris, quæ Christus non uno, sed diversis in locis necessaria esse docuit.

OBJIC.

Objic. II. Rachel abſtulit idola Patris 381
ſui Gen. XXXI. 19. nec tamen legitur reſtituiſſe, nec redarguitur a S. Scriptura. Ergo.

Resp. in genere, non quælibet hominum etiam piorum facta, in exemplum aut regulam trahenda ſunt. Rachel dici poteſt vel furtum domeſticum commiſiſſe: quod colligitur ex verbis Jacobi ad Laban loc. cit. 31. *Apud quemcunque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris.* Vel potius jure compenſationis idola abſtuliſſe, eoquod Laban debitam filiabus dotem denegaverit, ut patet ex his Rachelis verbis: *nonne quaſi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?*

Objic. III. David I. Reg. XXVII. 9. 382
ſeq. oves abſtulit & boves, nec reſtituit. Ergo.

Resp. David agebat contra hoſtes Judæorum, qui inique poſſidebant eorum terram, quosque Dominus occidi juſſerat: hinc juſte eorum abſtulit prædas.

Objic. IV. Idem David II. Reg. XVI. 383
mediam bonorum Miphiboſeth partem dedit Sibæ. Absque reſtitutione. Ergo putarunt viri ſancti, eam non eſſe neceſſariam.

Resp.

Resp. Cum Siba servus Dominum suum Miphiboseth, filium Jonathæ, accusasset Davidi, tanquam esset rebellionis cum Absolone particeps, idque David incaute credidisset, non mirum, quod ita contra eum processerit; imo prima vice omnia, quæ erant Miphiboseth, dederit Sibæ. Cum autem postmodum saltem de facto dubitaret, nec posset forte in rei veritatem devenire, divisit bona inter utrumque, cum Miphiboseth omnia liberrimo Davidis judicio ultra reliquisset. Ceterum cum David jam antea Miphibosethum ad mensam regiam adhibuerit perpetuum convivam ex liberalitate, & gratitudine erga Jonathan. II. Reg. 9. dici potest, quod ille postea hoc modo ex justitia compensationem fecerit.

384 Obijc. V. Qui rem possidet alienam, Domino rationabiliter non invito, non tenetur eam restituere. Atqui Dominus non potest esse rationabiliter invitus, adeoque consentire debet, ut alter rem ablatam retinere queat: secus rem temporalem præferret æternæ alterius saluti, quæ esset in periculo, si Dominus non consentiret. Id enim requirit ordo charitatis, ut salus æterna proximi præferatur bono meo temporali, quod est inferioris ordinis: *ergo*. Ita quondam ratiocinabantur Græci, & fures absque imposita obligatione restituendi statim absolvebant, postquam oleo unxerant.

Resp.

Resp. Nego *min.* nec enim alter ex ſua malitia lucrum reportare debet ; nec ego ſponte perire volenti per rerum mearum jacturam ſuccurrere teneor : ſecus permiſſa forent omnia furta. Ceterum ordo charitatis tunc requirit, bonum ſpirituale alterius meo temporali præferendum eſſe, quando ille alia ratione liberari non poteſt. Atqui in noſtro caſu facile ſe ipſum liberare poteſt, & debet, rem alienam reſtituendo, quam injuſte detinet, & ego juſte repeto.

Objic. VI. Si hoc præceptum eſt *Nega-* 385
tivum, tunc obligaret ad *ſtatim* reſtituendum, ita, ut qui media nocte recordaretur hujus obligationis, peccaret, ſi non eo momento reſtitueret. Sed hoc videtur nimium. *Ergo.*

Resp. Diſting. *maj.* obligaret ad ſtatim reſtituendum, quoad *affectum. Conc.* quoad *actum.* Subdiſting. ſtatim, ſumendo *Mathematice. Neg.* moraliter, quando prudens non adeſt ratio differendi. *Conc.*

§. II.

De culpa, ex qua oritur obligatio reſtituendi ob damnificationem.

Culpa alia eſt *Theologica*, nimirum mor- 386
tale vel veniale peccatum, quæ hominem

nem coram divino tribunali reum constituit: alia est *juridica*, quæ in genere est *omissio alicujus diligentiæ, ex qua alteri damnum oritur*, & in foro externo pro culpa reputatur, etsi quandoque nulla coram Deo subsit. v. g. ex naturali oblivione omittit aliquis extinguere candelam, unde oritur incendium, & alterius damnificatio: aut in plateam, transeuntibus vacuam, effundit atramentum, quo aliquis subito e domo progrediens maculatur. utrobique adest culpa juridica, etsi forte nulla theologica fuerit commissa.

387 Culpa juridica triplex est: I. *lata*, est omissio diligentiæ, quam solent adhibere communiter plerique homines vel modice diligentes in custodiendis suis rebus. II. *Levis*, est omissio diligentiæ, quam solertes & accurati Patres familias adhibere solent. III. *Levissima*, est omissio diligentiæ prorsus exactæ, quam adhibere solent vigilantissimi rerum suarum Custodes. Iterum alia est culpa *mere juridica*, absque reatu conscientiæ: alia est *mixta*, dum utraque concurrit. Quandonam autem pro foro externo aliquis teneatur ad restitutionem ex culpa juridica, ex instituto docent Jurisperiti. Regula generalis est; cum culpa lata æquiparetur dolo, ex ea semper oritur obligatio. In contractibus distinguendum est. Vel enim contractus cedit in utilitatem solius dantis, ut in *Deposito*; tunc Depositarius tenetur

netur ſolum ob culpam latam. In contractibus, qui cedunt in utilitatem ſolius accipientis, v. g. comodato, oritur obligatio reſtituendi etiam ex culpa leviſſima. In contractibus, qui cedunt in utilitatem utriusque, oritur etiam ex culpa levi. Hic quæritur I. an ex culpa *mere juridica* oriatur obligatio reſtituendi pro foro interno, ſaltem poſt ſententiam Judicis.

II. An ex culpa theologica veniali oriatur obligatio reſtituendi totum damnum grave inde ſecutum.

III. An ex culpa theologica gravi oriatur obligatio reſtituendi exceſſum damni invincibiliter ignorati? Primam quæſtionem alii ſic proponunt: an lex aquilia, ab AQUILIO Tribunoplebis ſic dicta, §. XV. J. *de lege aquilia*, qua damnum injuria datum reſarciendum eſt, etiam in conſcientia obliget, quando damnum nulla culpa theologica, ſed tantum juridica datum fuit. Nomen autem *injuriæ* hic late ſumitur pro eo, quod non jure fit. l. 2. l. 5. §. 1. ff. *de lege Aquilia*. Adeoque non dolo tantum, ſed & culpa, & quidem leviſſima, legis aquiliæ pœna incurritur. §. 3. & ſeq. Inſt. & l. 44. ff. eod.

RESOLUTIO I. Ex culpa etiam *mere juridica*, 388
oritur obligatio in conſcientia reſarciendi damnum, ſaltem poſt ſententiam Judicis.

Dixi : *Saltem post sententiam Judicis*, antea enim, seu pro foro conscientiæ, requiritur culpa *Theologica* ; quia ex cap. 2. *de constit. rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit* : & quia scriptura & Patres, quæ dum de restitutione agunt, conscientiam attendunt, semper supponunt peccatum theologicum, & denique, quia (præscindendo a contractu, vel quasi) nulla adesset radix restitutionis ; non injusta acceptio, non res aliena. Ergo.

389 Prob. I. Lex aquilia, & sententia Judicis juxta eam lata, non distinguit inter culpam Juridicam & Theologicam, sed in genere ob damnum culpa datum obligat: atqui ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Ergo etiam ex culpa juridica oritur obligatio restituendi post sententiam.

390 Prob. II. Lex justa pro foro externo, etiam justa est pro foro interno : atqui : ergo &c.

391 Prob. III. Si sententia Judicis non obligaret in conscientia, tunc foret frustranea, & nugatoria, quod est absurdum.

392 Prob. IV. Si ad hoc, ut sententia judicis obliget in conscientia, requiritur culpa Theologica, tunc contingere posset, ut aliquis ne quidem ex culpa *lata*, si for-

forte invincibilis inadvertentia adfuerit, lege aquilia teneatur. Hoc iterum videtur absurdum. Ergo &c.

393 PROB. V. Æquum est etiam pro conscientia, ut dum damnum datum fuit, ille potius ferat, qui fecit cum culpa, saltem *juridica*, quam alter, qui nullam culpam commisit. Ergo &c.

394 PROB. VI. Ad incurrendam pœnam legis *Aquiliæ* non est necesse, ut intervenerit injuria *proprie* dicta, quæ oritur ex culpa theologica. Secus enim oriretur actio injuriarum: neque requiritur, ut sciens & volens quis damnum det. Ergo sufficit culpa mere juridica. *Ant. prob.* per clarum textum l. 5. §. 1. ff. *de lege aquilia.* „ Injuriam autem hic accipere nos oportet, „ non quemadmodum circa injuriarum „ actionem contumeliam quamdam, sed „ quod non est jure factum, hoc est „ contra jus . . . Igitur injuriam hic accipiemus damnum culpa datum, etiam „ ab eo, qui nocere noluit. „ Atqui hæc est culpa *mere juridica.* Ergo &c.

395 PROB. VII. Ipsum jus Canonicum damnum, ex quavis negligentia vel imperitia datum, resarciri vult, non admissa ignorantiæ excusatione cap. ult. *de injuriis & damno dato.* Atqui jus Canonicum conscientiam spectat. *Ergo* &c.

396 PROB. VIII. Si non daretur hæc obligatio in foro conſcientiæ poſt ſententiam Judicis, tunc condemnatus poſſet uti tacita compenſatione. At hoc nequit admitti. *Ergo. Min. prob.* Nunquam licita eſt compenſatio, niſi quando debitum eſt certum, & bonum reipublicæ exigit, ut in foro conſcientiæ fiat receſſus a foro externo. Atqui in noſtro caſu debitum non eſt certum, & nulla urget neceſſitas boni publici utendi tacita compenſatione; cum potius Reipublicæ interſit, ſententiam, pro foro externo juſtam, effectum ſuum quoque ſortiri pro foro interno, & ita damna civium præcaveantur. *Ergo.*

397 OBJIC. I. Lex aquilia, & ſententia judicis, illos tantum obligant ad reparandum damnum, qui vel intelligunt, vel intelligere potuerunt & debuerunt, hic & nunc damnum poſſe alteri inferri. l. 8. §. un. ff. *de leg. aquil.* conſequenter præſumit advertentiam vel inadvertentiam *vincibilem*, & hoc ipſo culpam *Theologicam*; ideo infantes & furioſi, qui ob defectum rationis non ſunt capaces injuriæ, lege aquilia non obligantur. l. 5. §. 3. ff. eodem. Ergo non oritur ex culpa mere juridica.

RESP. *Diſting.* In lege aquilia coercetur inadvertentia vincibilis, quæ talis *habetur* pro foro externo. *Conc.* quæ talis *eſt* tantum in foro interno. *Nego.* Sufficit ergo, quod

quod aliquis negligentiam commiſerit, ex qua ortum eſt damnum, quod pro foro externo vitare debuiſſet. Voluerunt enim jura acuere diligentiam hominum, ne in civili ſocietate multa ex omiſſione debitæ diligentiæ damna orirentur. Infantes & furioſi ideo non incurrunt legem Aquiliam, quia neque pro foro externo diligentiam debitam adhibere poſſunt ad impediendum damnum: & ideo capaces non ſunt culpæ juridicæ, & damnum ab iis datum inter *caſus* fortuitos reputatur.

Objic. II. Ubi non datur radix reſtitu- 398
tionis, ibi non datur obligatio reſtituendi: atqui in caſu culpæ mere juridicæ non adeſt radix reſtitutionis. Ergo nec obligatio. *Min. prob.* radices reſtitutionis ſunt 1. res accepta 2. injuſta acceptio ſeu læſio, 3. contractus. Atqui hic ſupponitur 1. non interveniſſe contractum. 2. Nihil fuiſſe acceptum, nec 3. læſionem eſſe injuſtam, quia non eſt *formaliter* talis. *Ergo.*

Resp. Præſcindendo a lege civili, ſolo jure naturali non eſſet aliquis obligatus. Itaque obligatio oritur ex lege, cui poſt ſententiam judicis in conſcientia parendum eſt; cum enim ſit juſta pro foro externo, etiam juſta eſt pro interno. Certe in lege quadrupedaria etiam non poteſt ſupponi talis radix, & tamen damnum re-

sarciendum est. Potest etiam dici, quod hoc casu adsit læsio *injusta*, id est, *non jure facta*, juxta l. 5. §. 1. ff. *de lege aquilia.* Item retorqueo in leges mere pœnales.

399 Objic. III. Pœna non debet excedere culpam. Ergo quando culpa nulla est in conscientia, etiam pœna non debet obligare in conscientia.

Resp. I. Retorqueo in leges mere pœnales, quæ post sententiam judicis in conscientia obligant, etiamsi culpa Theologica nulla intervenerit.

Resp. II. Disting. *ant.* non debet excedere culpam, nisi adsit causa. *Conc.* Si adsit causa. *Neg.* Nam cap. 23. de R. J. in 6. dicitur: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hic autem adest causa boni publici, ut acuatur diligentia civium, & damna a republica arceantur.

400 Objic. IV. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non convenit, ut dicitur cap. 2. *de constitut.* Sed si aliquis sine culpa Theologica restituere deberet, res quæ culpa careret, in damnum vocaretur. *Ergo* &c.

Resp. Disting. Quæ culpa omni caret, tam theologica, quam juridica. *Conc.* Quæ so-

ſolum culpa theologica caret. *Neg.* Agitur ibi de quibusdam factis, ante legem prohibitionis latam: ubi nulla ne quidem culpa *juridica* aderat.

Resolutio II. Videtur probabilius, ex 401
culpa theologica *veniali* oriri obligationem *gravem* reſtituendi totum damnum, etiam extra contractum.

Prob. I. In hoc caſu adeſt radix reſtitutionis, nempe injuſta læſio. Ergo adeſt obligatio reſtitutionis. Atqui reſtitutio, cum ſit actus juſtitiæ commutativæ, debet fieri ad æqualitatem damni injuſte illati. Ergo debet reſarciri *totum* damnum. *Ant. prob.* Tunc adeſt injuſta læſio, quando quis potuit, & debuit damnum avertere: ſed qui infert damnum ex culpa veniali, potuit & debuit non inferre damnum, ut ſupponitur; ſecus enim non peccaſſet theologice. *Ergo* &c.

Prob. II. Apud quem res aliena pretio- 402
ſa cum culpa veniali exiſtit, debet totum reſtituere, ex radice rei acceptæ. Ergo etiam qui damnum grave intulit per culpam venialem, debet totum reſarcire ex radice injuſtæ læſionis; quia utrobique debet fieri reſtitutio ad æqualitatem: & reſpectu Domini idem eſt, an res apud alium exiſtat, aut ejus culpa perierit.

403 Prob. III. Reſtitutio non eſt actus juſtitiæ *vindicativæ*, ſed *commutativæ*: ergo non reſpicitur hic ad gravitatem culpæ, ſed damni, utcunque injuſte illati.

404 Prob. IV. Damnificati nihil intereſt, an patiatur damnum ex culpa *gravi*, aut *levi*, ſed ſolum damnum conſiderat, atque reſarciri juſte poſtulat. Ergo &c.

405 Sed quæritur, an hoc caſu adſit obligatio *gravis*, vel tantum *levis*, reſarciendi damnum grave ex culpa veniali datum?

Resp. Videtur, obligationem gravem adeſſe; ordinarie enim in materia gravi, etiam gravis eſt obligatio: & quamquam hoc caſu iſta obligatio deſcendat tantum ex culpa veniali, hic tamen, ut dixi, non tam conſideratur gravitas injuriæ ſeu culpæ; cum reſtitutio non habeat proprie rationem *pœnæ*, ut tamen ſupponunt Adverſarii, ſed attenditur gravitas damni injuſte illati; cum obligatio reſtituendi ad æqualitatem ſit *naturalis* & *negativi* præcepti, nec poſſit imponi pro pœnitentia, cum ſit opus aliunde debitum. Pro peccato enim veniali imponenda eſt pœnitentia ei proportionata, cum declaratione obligationis gravis, reſarciendi damnum datum. Permiſſo etiam, quod reſtitutio haberet rationem pœnæ, poteſt tamen etiam

ex veniali peccato oriri pœna & obligatio gravis: e. g. pro peccato veniali infliguntur pœnæ Purgatorii graviſſimæ, ad quas ſubeundas gravis etiam adeſt obligatio, ita, ut ſi quis per impoſſibile eas declinare poſſet & vellet, graviter peccaret. Ergo etiam ex culpa veniali oriri poteſt obligatio gravis reſarciendi damnum grave. Hinc per ſe ſequitur, hanc obligationem dari ante ſententiam judicis.

Objic. I. Injuria venialis citra contra- 406
ctum non debet parere tantam obligationem, quantam injuria gravis & plene voluntaria; quia obligatio reſtituendi minus ſumitur ex parte objecti, quam ex parte injuriæ formalis, ſeu culpæ theologicæ. *Ergo* &c.

Resp. *Diſting. maj.* non debet parere tantam obligationem *pœnalem*, ab homine infligendam intuitu *culpæ*. *Conc.* Tantam obligationem *naturalem*, intuitu *damni* ex juſtitia ad æqualitatem compenſandi. *Nego.* Secus enim ſequeretur, reſtitutionem eſſe actum juſtitiæ vindicativæ: quod forte nemo hactenus ſomniavit. Item retorqueo in forum externum, ubi damnificans ad totum reſtituendum condemnatur: & utique poſt ſententiam judicis etiam in foro conſcientiæ ad hoc obligabitur. Ad *prob.* nego, in reſtitutione obligationem minus ſumi ex parte objecti;

nam consideratur gravitas damni injuste dati.

407 Objic. II. Obligatio restituendi licet non sit proprie *pœna*, imitatur tamen rationem pœnæ: atqui pœna debet esse proportionata culpæ. *Ergo*. Ita ratiocinatur continuator Tournellii.

Resp. Nego *maj.* vel *dist.* Imitatur rationem pœnæ, quoad proportionem culpæ, & satisfactionem., *Nego.* quoad proportionem damni & restitutionis. *Conc.* Restitutio debet esse proportionata, imo æquivalens damno, non autem culpæ formali. Quod enim spectat culpam theologicam gravem vel levem, illa consideratur in confessionali quoad proportionem pœnitentiæ & satisfactionis sacramentalis, pro reatu culpæ & pœnæ infligendæ: quoad restitutionem, tantum consideratur gravitas damni ex æquo compensandi, modo damnum fuerit culpa aliqua theologica datum.

408 Objic. III. Non est conveniens rationi, ut introducatur tam frequens occasio peccatorum ex difficultate restitutionis, sine magno commodo generis humani, quale tamen hic non intercedit; damnum enim necessario ab alterutro ferri debet, neque spes apparet, quod negligentiæ etiam leves cautius evitarentur, si tam arcta impone-

poneretur obligatio vitandi culpas leves'; eoquod culpæ leves nullis unquam pœnis, etiam ſeveriſſimis, ſufficienter coerceri poſſint. Ita Cl. D. AMORT.

RESP. Nego, hoc non eſſe conveniens rationi; alias enim ſequeretur, omnes leges eſſe e medio tollendas; quia pravo hominum genio frequentes præbent occaſiones, illas transgrediendi, & peccandi, non utique per ſe, ſed per accidens, ob hominum pravitatem, leges negligentium. Cum vero, fatente in terminis Adverſario, damnum neceſſario ab alterutro ferri debeat, utique jure naturæ æquum, rationi conveniens, & generi humano commodum eſt, ut ille potius ferat, qui damnum ex vera culpa intulit, quam qui illud in re ſua innocens absque omni culpa paſſus fuit. Dein, ſi nulla ſpes eſt, ut ob adjectas pœnas cautius evitentur culpæ leves, tunc nullæ omnino culpis levibus infligendæ ſunt pœnæ, quod utique abſurdum; cur enim Deus tam graves infligit in purgatorio? tandem, ſi hic non intercedit magnum generis humani commodum, tunc damnificans neque in foro externo per ſententiam Judicis obligandus eſt ad reſarciendum totum damnum, quod eſt contra Adverſarium. Mihi vero dubium nullum eſt, homines abſterrendos fore a culpis etiam levibus, modo omnes Confeſſarii & Theologi hanc obligationem

reſti-

restituendi serio inculcarent : qui tamen sua omissione commodum generis humani postponere videntur commodo damnificantium.

409 Objic. IV. Ex prædictis rationibus colligitur, quod in restitutione non debeat considerari culpa, sed tantum damnum illatum : atqui ex hoc sequitur nimium, nempe, quod etiam damnum casu fortuito absque omni culpa datum resarciendum sit sub gravi obligatione. Atqui hoc est absurdum, quia nimium. *Ergo* &c.

Resp. *Disting. maj.* Colligitur, quod non debeat considerari culpa, quoad gravitatem vel levitatem. *Conc.* Quod *nullo modo* debeat considerari. *Nego.* Nunquam hoc dixi; sed, supposita semel *culpa* vere *Theologica*, considerandam dixi non *culpæ*, sed *damni* gravitatem. Nec adhucdum pœnitet. Ceterum inter culpam levem & casum fortuitum hæc est differentia; quia *casus* omnino evitari non possunt, uti tamen *culpæ* theologicæ. Nimium utique foret, ob eam rem, quæ a me evitari non potuit nec debuit, tam gravem subire obligationem : non est autem nimium, ut, qui per veram injuriam, quamvis venialiter tantum peccaminosam, grave damnum alteri intulit, ad illud ex æquo resarciendum obligetur, non ab homine, sed a natura, & lege æterna æquitatis & justitiæ regula.

Reso-

Resolutio III. Ex culpa theologica gravi oritur obligatio restituendi excessum damni invincibiliter ignorati. e. g. destruit quis alterius libros, quos putat valere aureum, cum valeant viginti: tenetur restituere 20. aureos. 410

Prob. I. Iisdem fere, ut prius argumentis. Nam qui alterum ex culpa theologice gravi graviter damnificat, tenetur ad restitutionem damni, non quomodo lædens æstimat, sed ad æqualitatem; quia restitutio est rei in pristinum statum statutio ad æqualitatem: quod non contingeret, si non resarciret totum damnum, etsi excessum invincibiliter ignoraverit. Voluntarie enim totum destruxit: ergo totum est resarciendum. Si enim res illa adhuc existeret, Dominus haberet jus vindicandi totam: ergo dum periit, habet jus, ut vel restituatur alia species, v. g. iidem auctores ejusdem editionis & compacturæ, vel saltem pretium eorum æquivalens. Si autem Dominus habet jus petendi, lædens habet obligationem restituendi.

Prob. II. Hic certe adest radix *injustæ læsionis*, & quidem ex culpa gravi. Ergo adest proportio inter culpam & pœnam, si placeat restitutionem pro pœna sumere. 411

Prob.

412 Prob. III. Eo ipſo, quod cum culpa gravi res tota deſtruatur, præſumitur animus inferendi tantum damnum, quanti res illa valet & capax eſt: ergo tenetur ad reſtitutionem totius valoris.

413 Prob. IV. Reſpectu exceſſus damni ignorati adeſt tamen voluntarium in cauſa, voluntarie poſita. *Ergo.*

414 Prob. V. Gregorius IX. cap. 9. *de injuriis & damno dato* ita ſtatuit: „ Si culpa „ tua datum eſt damnum, vel injuria ir- „ rogata, ſeu aliis irrogantibus opem for- „ te tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive „ negligentia evenerunt, jure ſuper his „ ſatisfacere te oportet, nec ignorantia „ (damni ſecuti, ſeu exceſſus) te ex- „ cuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo in- „ juriam veroſimiliter poſſe contingere, „ vel jacturam. &c. „ vid. etiam cap. ult. *de homicidio.* in 6.

415 Prob. VI. In foro externo ob culpam juridicam damnificans ad reſarciendum totum damnum condemnatur: ergo idem dicendum pro foro interno ob culpam theologicam; quia utrobique ſpectatur non *injuriæ* formalis, ſed *damni* illati *gravitas*, ad æqualitatem compenſanda.

416 Objic. I. Damnificato quoad exceſſum damni ignorati non infertur injuria: ergo habe-

habetur pro casu fortuito, consequenter non debet resarciri.

Resp. Disting. *maj.* non infertur Domino injuria, formalis, in se. *Conc.* In causa. *Nego.* Potuit enim scire, vel saltem suspicari, gravius damnum posse esse connexum cum culpa voluntaria; hinc non potest haberi pro casu fortuito ex dictis. n. 409.

Objic. II. Damna extrinseca, per acci- 417
dens solum connexa cum damno principali, quamvis gravi, nemo tenetur reparare: v. g. fur auferens vel occidens equum a famulo ad nundinas ductum, non tenetur resarcire damnum famulo, si occasione equi amissi dimittatur e suo servitio tanquam infidelis: ergo neque excessum damni ignorati.

Resp. Nego *conseq.* quia excessus damni, cum sit *per se* connexus cum damno rei destructæ, potuit prævideri: non autem damnum *per accidens* connexum. Potest etiam negari antecedens, saltem in casu dato.

Objic. III. Excessus damni invincibiliter 418
ignorati non imputatur damnificanti ad culpam, nec debet ille hanc circumstantiam aggravantem confiteri: ergo nec imputatur in ordine ad obligationem restitutionis.

Resp.

Resp. Trans. *ant.* quoad secundum. Nego *conseq.* disparitas est; quia restitutio non regulatur ad normam culpæ, sed damni dati ex culpa vera prævia. In confessionali culpæ exponuntur in ordine ad punitionem personæ: Restitutio autem, quæ non est pœna, facienda est propter damnum, vera culpa, ut supponitur, datum, ad compensandum; quamvis excessus damni non fuerit in se cognitus.

§. III.

De circumstantiis restitutionis.

419 Istæ circumstantiæ his versiculis comprehenduntur:

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Igitur indagandum, I. *Quis* teneatur?

Regula generalis est, quod restituere teneatur *debitor*: & quidem *ex re accepta*, sive quis bona, sive mala fide rem alienam possideat. *Ex injusta* autem *acceptione*, seu læsione, qui proximum damnificavit, aut damno cooperatus fuit. Igitur apud quemcumque res aliena existit, vero Domino restituenda est. Quid de fructibus quoad bonæ vel malæ fidei possessorem sentiendum sit, jam dixi supra n. 347.

De

De Possessore *dubiæ fidei* sequentia notanda sunt: I. Rem primo adquirens si dubitat, an non sit furtiva, graviter peccat pro quantitate materiæ; quia se exponit periculo possidendi rem alienam, Domino rationabiliter invito, teneturque eam Domino comparenti restituere, quin ab eo pretii refusionem postulare queat; quia Dominus etiam a bonæ fidei possessore sine pretii compensatione eam vindicare potest, ut certum est apud omnes. II. Qui rem primo bona fide comparavit, deinceps autem dubitat, an non sit furtiva, jam incipit fieri malæ fidei possessor: nisi omni modo inquirat in veritatem, aut dubium practice deponat. Neque durante dubio re illa licite utitur, si sit consumptibilis & reservando servabilis: secus Domino postea comparenti restituendum est ejus pretium, & fructus omnes, lucrum quoque cessans, & damnum emergens, quemadmodum malæ fidei possessor. Quod autem ex radice læsionis restituere debeat ipse, qui damnum fecit, utut in se sterile, seu, ex quo nullum ad damnificantem pervenit lucrum, ut *ordinarie* contingit in alienæ rei destructione, dictum est §. præced. *Extraordinarie* vero, v. g. destruendo instrumentum litis decisorium, victoriæ æstimatio & pretium ad damnificantem pervenisse censetur. Nunc quantum attinet cooperantes ad damnum, statuitur

420 Resolutio I. Qui efficaciter ad damnum cooperantur, tenentur ad restitutionem. *Communis.*

Prob. I. Juxta Paulum. Rom. I. 32. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt ea* (scelera ante enumerata) *sed etiam qui consentiunt facientibus.*

421 Prob. II. Juxta cap. ult. *de injuriis & damno dato* decernitur: „ Si culpa tua datum „ est damnum vel injuria irrogata, jure su- „ per his satisfacere te oportet. „ Atqui culpa cooperantium supponitur fuisse datum damnum. *Ergo.*

422 Prob. III. Juxta cap. 10. fin. II. 1. *Facientem & consentientem par pœna constringit:* ergo etiam par obligatio restituendi.

423 Prob. IV. Ab Innocentio XI. proscripta fuit anno 1679. hæc propositio. 39. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

424 Prob. V. Ratione. Qui est efficax causa injustæ alterius damnificationis, tenetur ad restitutionem ex radice injustæ acceptionis, seu læsionis. Atqui cooperantes sunt efficax causa injustæ alterius damnificationis: ergo tenentur ad restitutionem.

No-

Nomine *cooperantium* hic non intelligun- 425
tur, qui idem facinus ſimul conjunctis viribus *per ſe* exequuntur, v. g. dum duo domum expilant, hominem interficiunt: ſed qui cooperantur *moraliter*, juſſione, ſuaſione, ſeu, qui cauſa ſunt, ut alius damnum inferat, quod contingit ſequentibus modis, bino verſiculo comprehenſis 1. juſſio, 2. conſilium, 3. conſenſus, 4. palpo, 5. recurſus. 6. Participans. 7. Mutus, 8. non obſtans, 9. non manifeſtans.

Primi ſex modi influunt in damnum *directe* & *poſitive* moraliter, reliqui ſolum *negative* & *indirecte*. Sed dubium eſt, quis dicendus ſit ex cooperantibus cauſa *efficax* damni? hinc ſtatuitur

Resolutio II. Ille cenſetur cauſa *efficax* 426
damni, & ad reſtitutionem obligatus, ex cujus actione damnum hic & nunc vere ſecutum fuit: quamvis etiam ſine eo fuiſſet ſecuta alterius læſio.

Prob. I. pars. Ille enim ad reſtitutionem tenetur, qui vere eſt cauſa injuſtæ alterius damnificationis: atqui ille, ex cujus actione, conſilio, vel juſſione damnum hic & nunc ſecutum eſt, vere eſt cauſa injuſtæ damnificationis: ergo tenetur ad reſtitutionem.

Prob. II. pars. Vera cauſa eſt illa, non 427
tantum ſine qua effectus non fuiſſet ſecu-

tus, ſed ex qua hic & nunc vere fuit ſecutus; poſſunt enim duæ cauſæ morales concurrere ad eundem effectum. 2. Quia alias ſequeretur, non teneri homicidam ad reſtituendum, quando forte ei conſtabat, eundem hominem ab alio fuiſſe occidendum, v. g. Marchio de Tavora non eſſet reus Regicidii in ordine ad reſtitutionem, quia perſuaſus erat, Regem Luſitaniæ ab aliis complicibus fore occidendum, ſi primum ictum evaſiſſet. 3. Si ille, qui hanc actionem poſuit, non tenetur ad reſtitutionem, quia ſine eo idem damnum fuiſſet ſecutum; tunc nec ille alius tenebitur, qui idem damnum intuliſſet primo deficiente; quia revera actio ab hoc non fuit poſita, nec ex ea damnum ſecutum, ſicque neuter teneretur ad reſtitutionem: quod eſt abſurdum. 4. Qui alterum prævenit in irroganda injuria, vere injuſtus eſt, & cauſa damni: ergo præ altero ad reſtitutionem obligatur.

428 Resolutio III. Quando unus ex pluribus eſt cauſa injuſti damni, neſcitur autem determinate, quis eorum fuerit; tunc omnes tenentur ad reſtituendum. v. g. in rixa plures unum lethaliter vulnerarunt & occiderunt: mulier eodem tempore pluribus præbuit uſum corporis: neſcitur autem quinam præciſe vulnus lethale inflixerit, aut ex cujus ſemine meretrix conceperit.

Prob.

Prob. I. Quia hoc caſu vel omnes a reſtitutione erunt immunes, vel nullus: atqui iniquum eſt, ut omnes eximantur: ergo æquum eſt, ut nullus eximatur.

429
Prob. II. Arg. l. 1. §. fin. l. 2. l. 3. & 4. ff. *de his qui effuderint, vel dejecerint.* Ubi ſtatuitur: „ Si plures in eodem cœ„ naculo habitent, unde dejectum eſt „ (quod damnum dederit) *in quemvis* „ hæc actio dabitur, cum ſane impoſſibi„ le eſt ſcire, quis dejeciſſet vel effudiſ„ ſet: & quidem in ſolidum. Sed ſi cum „ uno fuerit actum, ceteri liberabuntur: „ perceptione, non litis conteſtatione præ„ ſtaturi partem damni, ſocietatis judicio, „ vel utili actione ei, qui ſolvit. „ Ergo a pari, ob æquitatem rationis.

430
Prob. III. L. 51. §. 1. ff. *ad legem aquiliam* ſtatuitur, „ ut ſi ſervus a pluribus „ vulneratus eſſet, ut non appareat, cu„ jus ictu periiſſet, omnes lege aquilia „ teneri judicaverunt. „ Quid autem ſit, *in ſolidum teneri*, dicam infra. Hæc de cooperantibus in genere; nunc de iis in ſpecie.

431
I. Jussio, id eſt, mandans, ſive explicite, id eſt, *expreſſe*, vel *tacite*, tenetur ad reſtitutionem totius damni ex mandato ſecuti, ac ſi ipſe damnum phyſice intuliſſet. Ita S. Thomas. Quia eſt cauſa prin-

cipaliter movens. & cap. 6. §. 1. *de ſent. excom.* dicitur : *is vere committit, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Tenetur quoque ad damnum, ultra intentionem mandantis occaſione mandati ſecutum : uti, ſi famuli irati quempiam a Domino ſimpliciter verberare juſſi, eum inſuper occiderint, qui caſus habetur cap. ult. *de homicid.* in 6. quia, ut aït Pontifex, *mandando in culpa fuit, & hoc evenire poſſe, debuit cogitare.* Aut ſi præcipiens unius domus combuſtionem, ratione venti etiam aliæ ædes vicinæ conflagraverint; tenebitur mandans earum reſarcire damnum. Quodſi quis ante damnum datum, mandatum ſuum revocaverit, regulariter non tenetur reſtituere damnum, poſtea tamen malitia exequentis ſecutum; quia tunc non cenſetur cauſa damni, quod ex ejus mandato non evenit; niſi forte revocatio mandati Mandatario non innotuerit, aut fuerit ita frigida, ut mandatarius exiſtimare potuerit, mandantem non revocare ſerio. Utroque enim caſu ex mandato oritur damnum.

432 Sed quid? ſi quis ratihabeat damnum, nomine quidem ſuo illatum, quod tamen nec expreſſe nec tacite mandaverat?

Resp. I. Peccare quidem, ſed non teneri ad reſtitutionem; quia non fuit cauſa damni. Nec obſtat cap. 10. de R. J. in 6.

Ubi

Ubi ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. Reſpondetur enim, hanc Regulam habere locum in contractibus, alterius neſcientis nomine initis, cujus poſtea ratihabitione confirmantur, & cenſentur initi eo mandante.

Resp. II. Quoad malitiam peccati, ejusque pœnam, ut ſi quis ratihabeat percuſſionem Clerici, ſuo nomine, ſed absque mandato factam, incurrit excommunicationem cap. 23. *de ſent. excom.* in 6.

II. Consilium, ſeu, consulens tenetur 433
ad reſtitutionem damni, quod ejus conſilio, precibus, promiſſis, hortando, ſuggerendo motiva, oſtendendo facilitatem &c. fuit ſecutum. Teneri ad totum reſarciendum, facile patet; quia ſupponitur cauſa totius. Hinc qui parato furari centum, ſuadet, ut auferat ducentos, centum reſtituere tenetur: quia dimidii tantum damni ſuo conſilio auctor extitit. Qui ſuadet, ut furetur 10. in loco, ubi eſt longe major ſumma, tenebitur ad reſtitutionem totius ſublati; quia conſilium dedit periculoſum pro tota ſumma, *cum occaſio faciat furem*, ut eſt in proverbio. Qui parato furari majus, perſuadet, ut furetur minus; ad nihil tenetur, quia non eſt cauſa damni, ſed illud, quod avertere non poterat, ſaltem diminuit, ſicque Do-

mini negotium utiliter gessit. Aliud est, si quis parato deprædare Paulum, suadeat, ut minus malum inferat Petro, de quo fur non cogitabat; tenetur totum damnum resarcire Petro, cujus revera extitit causa.

434 Sed quid? si damnum sequatur, etiam postquam consulens revocavit consilium, an tenetur ad restitutionem?

Duæ ab auctoribus statuuntur regulæ. I. Si consulens ita revocaverit consilium, ut ejus denuo enervaverit motiva, v. g. si quis solis precibus, blanditiis, promissis, falsa doctrina, aut falso supposito, quidquam persuaserit, hæc vero jam retractet, falsitatem doctrinæ & suppositi detegat &c. non tenebitur ad restitutionem; quia hoc casu consilium non amplius influit in damnum.

II. Econtra si consilii motiva fuerint petita ex damnificationis facilitate, delectatione, utilitate &c. cum quidquid in contrarium dixeris, & non persuaseris; censebitur alter operari & inferre damnum ex motivo prioris consilii, tuque ejus eris causa. Sicut qui venenum alteri præbuit, cujus effectum jam impedire non amplius potest, reus erit homicidii.

QUÆ-

QUÆRITUR etiam, an ad reſtitutionem teneatur, qui malum conſilium bona fide dedit, non animo nocendi? 435

Diſtinguunt communiter inter conſulentes. I. Si fuerint idiotæ, v. g. ruſtici, fæminæ &c. excuſantur ob ignorantiam per regulam 62. Juris in 6. *Nullus ex conſilio, dummodo non fraudulentum fuerit, obligatur.* Sibi enim imputare debet, qui conſilium ab ignorante petit, ſi inde lædatur. II. Qui vero ex officio conſilia dare debent, ut Advocati, Medici, Confeſſarii, Theologi, & imperito conſilio nocent; non videntur a Reſtitutione immunes. Priores enim obligantur ex quaſi contractu: Confeſſarii autem, cum fungantur officio Doctoris, ad eam ſcientiam & cautionem obligantur, qua muneri ſuo apte fungi queant. Hinc certe peccant Confeſſarii illi, aut Theologi, rerum moralium & Jurisperitia minus inſtructi, qui in rebus graviſſimi momenti, ubi etiam doctiſſimi hærent & dubitant, incunctanter reſolvunt, decidunt, conſulunt, cum maximo aliorum diſpendio. Cum enim in ſacro tribunali non raro proponantur dubia adeo intricata, quibus in foro externo enodandis integræ interdum Juriſconſultorum Facultates multo tempore & ſtudio deſudant; quomodo audebit ſimplex aliquis Caſuiſta illa in inſtanti reſolvere, conſulere, obligationem reſtitutionis aut

imponere, aut ab ea eximere & quasi ex tripode oracula fundere? Quare consultum foret, ut quando de ejusmodi momenti rebus agitur, Confessarius minus expertus tempus petat deliberandi, doctiores aut libros consulendi, vel ipsos pœnitentes ad doctiores remittat, ne videatur tentare Deum, & miraculum ab eo exspectare. S. Thomas, doctorum in rebus moralibus facile Primas, de se tamen scribit opusc. 73. de usuris. „ Invoco sapientiam, ne me errare permittat in „ periculum animæ meæ, & in laqueum „ aliorum . . . Præsertim in moralibus, „ in quibus periculosum est diversa sentire, & opinari, & præcipue in illa „ parte justitiæ, quæ commutativa dici„ tur. „ Notent sibi hoc futuri conscientiarum arbitri.

436 III. Consensus, id est, consentiens ille dicitur, qui sua approbatione & suffragio causa exstitit injustæ alterius damnificationis, quod tunc fit, quando ex officio tenetur consentire, &, quantum est de se, impedire potest. Hinc Consiliarii Principis, qui legi aut bello injusto, quod suo suffragio impedire possent: assessores judicis, qui injustæ sententiæ: Capitulares, qui electioni indigni consentiunt, ad restitutionem damni obligantur, in quod vere influunt. Hinc qui etiam post suffragia majora, pro damnificatione lata, calcu-

calculum ſuum adjicit, etiamſi priores a ſua ſententia revocare nequiverit, non tantum peccat, ſed a multis ad reſtitutionem obligatur; quia etiam illius nomine damnum infertur, & iniqua ſententia alacrius executioni mandatur. Nihil enim intereſt ad reſtitutionem, quod ego hominem cum aliis occidam, quem illi etiam ſine me occidiſſent: ergo etiam in reliquis caſibus; quia talis conſentiens certe eſt concauſa moralis damni.

IV. Palpo, ſeu adulator, laudator, 437
ille eſt, qui laudibus, aut etiam exprobratione ignaviæ, quod non audeat ſe vindicare, provocare aut acceptare Duellum &c. alterum ad peccatum incitat, ex quo oritur damnificatio proximi. Hinc qui laudat poſt ſcelus commiſſum, quamvis peccet, non tenetur tamen ad reſtitutionem; quia adulatio iſta non fuit cauſa damni, jam prius illati: ſecus ſi hac ratione ad novum crimen quis animaretur.

V. Recursus, id eſt Receptans, qui re- 438
curſum, ſecuritatem, fiduciam præſtat damnificatori, præbendo refugium furi, rebus furtivis, inſtrumentis nocendi, emendo res furtivas &c. tenetur ad reſtitutionem, quia ante furtum cauſa fuit damnificationis, & poſtea injuſtæ detentionis. vid. l. 3. ff. *de incendio*. Secus dicendum de fure, cui a lictoribus ad mortem vel gra-

vem pœnam inquiſito, ex charitate præſtatur aſylum, aut occaſio præbetur effugiendi; quia ſic ad furandum vel nocendum non animatur, quod tamen communiter fit a Receptantibus, & refugium ordinarium furi præbentibus.

439 VI. Participans aliquis dupliciter dicitur; vel ratione rei acceptæ, v. g. qui partem accipit rei furtivæ; vel ratione injuſtæ damnificationis, quam ſua opera adjuvat, etiamſi nihil de lucro participet. De primo idem dicendum, quod de malæ fidei poſſeſſore. De ſecundo dicendum, quod teneatur ad reſtitutionem damni, *pro rata* operæ vel auxilii: aut deficientibus ceteris debitoribus, *in totum.* Huc pertinent fabri ferrarii, conficientes claves adulterinas, præbentes ſcalam, aut applicantes, exploratores, præbentes venenum vel arma ei, qui prævidetur iisdem abuſurus. vid. l. 21. ff. *de furtis.* & cap. 6. *de homicidio.*

440 Quid dicendum de iis, v. g. ruſticis, qui a militibus vi aut gravi metu adacti fores effringunt, pecora abigunt, prædam vehunt? examinat continuator Tournellii. Ubi vide. Item quid de Chriſtianis apud Turcas captivis, qui contra chriſtianos militare coguntur? ibidem.

441 VII. Reliqui negative cooperandi modi ſunt mutus, non obstans, non manifestans

FESTANS, ſeu illi, qui damnum non impediunt, quod poſſent, & ex juſtitia, (ſecus ſi ex charitate tantum) puta ratione officii, muneris, contractus, juramenti, tenentur. Quod fit I. TACENDO, id eſt, non reprehendendo, non contradicendo, non diſſuadendo, non clamando, v. g. cuſtodes conducti. II. *Non obſtando*, ſeu non ferendo ſubſidium, ut damnum impediatur v. g. Magiſtratus, Bellidux, non impedientes latrocinia, vel injuſtitias inferiorum judicum: cuſtodes nemorum, vinearum, non arcentes damna a furibus vel pecoribus illata &c. III. *Non manifeſtando* damnificatorem Domino, ſive ante ſive poſt damnum illatum. Caſus practici paſſim examinantur ab Auctoribus.

Dictum eſt hactenus, QUIS reſtituere de- 442
beat, nec aliquem latere poteſt, QUID, & QUANTUM reſtituendum ſit? nempe res aliena cum fructibus, & totum damnum reſarciendum, juxta æſtimationem judicis, aut viri experti ac probi. Item QUANDO reſtituendum ſit, nempe ſtatim *moraliter*, niſi adſit cauſa excuſans, de quibus infra.

Nunc indagandum QUO ORDINE reſtitutio 443
facienda ſit, & I. de ordine, qui ſervandus eſt *quoad damnificatores inter ſe.* II. *Quoad debitores*, ſeu perſonas læſas, *quibus* facienda eſt reſtitutio. Poſſunt autem

damni-

damnificatores in ordine ad idem damnum concurrere vel *inæqualiter*: v. g. cum unus mandat, alter conſulit, tertius conſentit, quartus exequitur, alii palpant, ſeu non manifeſtant. Vel *æqualiter*: v. g. duo mandantes, duo conſulentes, duo non manifeſtantes &c. Naturalis æquitas dictat, plus reſtituere debere eum, qui plus ad damnum contulit. Dicitur autem *primo loco* ad reſtitutionem teneri ille, quo ſolvente ceteri cooperatores liberantur. *Secundo loco* ad reſtitutionem teneri dicitur is, quo reſtituente ceteri liberantur, excepto *Primo*. Dicitur teneri *in ſolidum*, qui deficientibus ceteris conſciis *totum* damnum reſarcire debet: etiamſi *per ſe* non niſi ad partem fuiſſet obligatus. Jam ſtatuitur

444 Regula I. Is, ad quem res aliena pervenit, *primo loco* eam reſtituere tenetur, ſive exſtet, ſive non.

Ratio eſt; quia obligatio *ex re accepta* eſt omnium maxima & *Prima*: cum res clamet ad Dominum, cui competit ejusdem vindicatio. Licet autem non amplius exſtet, nihil intereſt; quia *pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere*. cap. 36. de R. J. in 6. Et quia nemo ex ſua iniquitate commodum reportare debet.

445 Regula II. Qui æqualiter ad idem damnum cooperati fuerunt, æqualiter reſtitue-

re

re debent. 2. Uno deficiente ceteri tenentur in ſolidum. 3. Quod ſi unus reſtituit totum, reliqui partes ſuas ei refundere debent.

Pars I. Conſtat; quia non eſt ratio, cur unus plus, alter minus reſtituat, quando omnes æqualiter fuerunt cauſa damni.

Pars II. *prob.* Nam qui eſt cauſa totius damni, totum reſarcire debet. Atqui æqualiter cooperantium unusquisque fuit cauſa totius damni, ut habetur l. 21. §. 9. ff. *de furtis.* „ Si duo pluresve unum „ tignum furati ſunt, quod ſinguli „ tollere non potuerunt, dicendum eſt, „ omnes reos furti in ſolidum teneri &c. „ Vide etiam l. 51. §. 2. fin. ff. *de leg aquil.*

Pars III. etiam innititur æquiſſimæ rationi.

Regula III. Quando plures inæqualiter 446
eidem damno fuerunt cooperati, *primo loco* reſtituere debet MANDANS: *ſecundo* loco EXEQUENS: *tertio* ceteri cooperantes.

Pars I. *prob.* Quia mandans eſt cauſa *principalis*: ergo *primo* loco reſtituere debet, quia ipſo damni inferendi imperio cenſetur obligationem hanc in ſe ſuſcepiſſe.

Pars

Pars II. Constat; quia exequens post imperantem est causa principalis, physice in idem damnum influens.

Pars III. *prob.* Quia cum ceteri fuerint causa ejusdem damni, resarcire debent, quando primi vel non possunt, vel non volunt: secus nunquam satisfieret damnificato, quod foret iniquum.

447 Sed dubium est, an inter hos *inæqualiter* cooperantes, dum aliqui *positive* alii *negative* ad idem damnum concurrunt, sit servandus ordo? variant hac in re Theologi. Videtur respondendum in genere: quod sit servandus ordo inter eos, qui magis altero influxerunt in damnum. Et hinc *primo* damnificantes *positive*, quisque *pro rata*, quando non est inter eos subordinatio. Ceteri *negative* nocentes, in subsidium, seu deficientibus prioribus. Atvero hujus Quæstionis decisio ut plurimum a circumstantiis particularibus pendet, nec tam facile in genere definiri potest. Videantur Theologi morales.

448 Sed quid? si damnificatus uni cooperantium restitutionem condonet, an ceteri sunt immunes?

Resp. I. Si condonatio fiat illi, qui primo loco debuisset solvere, ceteri post ipsum liberantur. Quia 1. isti solum tenentur

nentur in defectum primi. Ergo quando ille nihil amplius debet, nec ceteri. 2. Quia si primus solvisset, ceteri fuissent immunes: atqui condonatio creditoris primo debitori facta, est instar solutionis. *Ergo* &c. 3. Quia creditor non potest pro suo libitu efficere, ut unus præ alio solvere teneatur. Ergo liberando primum, liberat & reliquos.

Resp. II. Si fiat condonatio debitori se- 449
cundo loco: non liberantur illi, qui primo loco obligantur; quia illi tenentur independenter a posterioribus.

Resp. III. Quando plures sunt causæ pri- 450
mariæ, v. g. duo mandantes, aut secundariæ, & uni fit condonatio, censetur solum facta pro rata illius, ita ut alter adhuc teneatur pro sua portione; quia hic singuli singulas partes debent.

Dicendum nunc, cui restituendum sit, 451
& quis ordo servandus inter creditores. Et *primo* quidem res restituenda est vero Domino, ubi primum innotuerit. Imo ordinarie reddenda est ei, qui rem legitimo titulo possidet, licet non sit Dominus; nam restitutio ita facienda est, ut nullius jus lædatur: quando autem res, quam quis justo titulo possidet, non ei, sed vero Domino restitueretur, læderetur jus illius, qui eam justo titulo, v. g.

depoſiti, comodati, locati &c. poſſidet, licet ſine animo ſibi habendi; quia vel habet rei illius uſum, vel alia ratione ipſius intereſt. Quodſi nihil ejus interſit, nec ullum inde detrimentum ſentiat, perinde eſt, an proprietario, vel poſſeſſori reſtituatur.

452 *Secundo.* In multis tamen circumſtantiis non licet rem vero ſuo Domino reſtituere: v. g. ſi prævideatur eadem abuſurus in ſui aut aliorum grave damnum, ſpirituale aut temporale. Sic furioſo non eſt reſtituendus ſuus gladius, ſi prævideatur, quod ſe aut alterum eo ſit vulneraturus: non reddenda furi clavis adulterina, ſcala &c. qua prævidetur iterum ad furta abuſurus; id enim præceptum fraternæ dilectionis requirit, ut proximi ruina impediatur, quando absque æquali aut graviori noſtro detrimento fieri poteſt, & quia tunc ſolum res Domino reſtituenda eſt, quando contra detentionem *rationabiliter* eſt invitus. Atqui in hac hypotheſi Dominus eſt quidem invitus, ſed absque juſta & ſana ratione. *Ergo* &c.

453 *Tertio.* Qui rem a bonæ fidei poſſeſſore titulo oneroſo accepit, ubi cognoverit eſſe alienam, poteſt eam poſſeſſori reſtituere, ut recuperet ſuum pretium, ſaltem quando prævidet, eam a poſſeſſore Domino eſſe reſtituendam; quia quisque

bono

bono suo proprio consulere potest absque præjudicio tertii, quod hic abesse supponitur.

Sed disputatur maxime, an emptor bonæ fidei, qui rem a fure emit, postquam furtivam cognovit, & Dominum scit, possit restituere furi pro recuperando suo pretio, licet prævideat, a fure non fore restituendam?

Resolutio IV. Res etiam bona fide empta, *regulariter* non furi, sed vero Domino restituenda est. Contra Clar. P. Böckn & plures alios. 454

Prob. I. Certum est etiam juxta Adversarios, quod emptor bonæ fidei rem alienam cum fructibus exstantibus, aut post scientiam rei alienæ consumptis, Domino petenti restituere teneatur, nec ab eo refusionem pretii exigere possit, per claras leges. l. 3. l. 23. Cod. de R. V. l. 2. Cod. *de furtis*. & NB. l. 31. §. un. ff. *depositi*, nisi rem alioquin perituram a prædone redemerit. l. 6. ff. *de captiv. & postlim.* Ergo ad idem obligatur, etiamsi Dominus non petat; nam obligatio restitutionis non oritur ex *petitione* Domini, sed ex *scientia* rei alienæ, quæ in nostro casu, Domino etiam non petente, in emptore supponitur.

455 Prob. II. Qui diſponit de re aliena cognita cum præjudicio & damno Domini *rationabiliter* inviti, injuſte agit, etiamſi hoc faciat damni proprii vitandi gratia, arg. cap. fin. *de injur. & damno dato.* Sed qui rem alienam tradit furi, qui prævidetur nunquam reſtituere, diſponit de re cum præjudicio & damno Domini *rationabiliter* inviti. *Ergo* &c.

456 Prob. III. Non poteſt emptor rem furtivam *cognitam* tradere extraneo pro recuperando pretio ſuo: ſicut nec poteſt expendere monetam adulterinam, ut ſe reddat indemnem. Ergo nec poteſt reddere furi, quia non habet in eam plus juris, quam extraneus.

457 Prob. IV. Naturalis legis regula dictat: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* atqui nemo vellet rem ſuam reddi furi, a quo ſpes nulla eſt recuperandi. *Ergo.*

458 Objic. I. Quando tam Dominus, quam emptor, certat de damno vitando, utique ex dictamine charitatis propriæ quisque magis ſibi, quam alteri conſulere, & obligationem reſtituendi furi relinquere poteſt, qui aliunde principaliter obligatur: atqui ita eſt in noſtro caſu. *Ergo* &c.

Resp. *Diſt. maj.* Quando ſunt in pari cauſa. *Conc.* Secus. *Nego.* In hoc autem

caſu

casu melior est conditio Domini, quam emptoris; qui mox post habitam rei alienæ scientiam incipit esse malæ fidei possessor.

Objic. II. Ubi adsunt duo debitores, 459
quorum unus obligatur *principaliter*, alter *accessorie*, tunc is *primo* tenetur restituere, qui obligatur principaliter, alter tantum in subsidium, ut videre est in debitore & fidejussore. Atqui in nostro casu fur principaliter obligatur, tam ex re accepta, quam ex injusta acceptione. *Ergo* &c.

Resp. Argumentum probat nimium: ergo nihil; sequeretur enim, quod emptor non deberet ante furem restituere Domino rem vindicanti, quod falsum est. Dico ergo, emptorem æque *principaliter* obligari ex radice *rei acceptæ*: qui tamen post restitutionem, regressum habet contra furem pro recuperando pretio. Quod si illud non recuperet, casui fortuito adscribat, & minus providam in emendo circumspectionem accuset. Deberet enim etiam pati, si fur abiisset, aut non inveniretur, aut pretium reddere per inopiam non posset: si emptor nescivisset, rem esse alienam, quam Dominus subito apud eum deprehendit. Et ita pluribus in casibus.

460 Objic. III. Qui rem restituit furi, nullam Domino infert injuriam; quia rem reponit in eo statu, in quo eam invenerat, a quo eam cum suo detrimento extrahere non tenetur. *Ergo* &c.

Resp. Nego *ant.* Concurrit enim *positive* ad damnificationem Domini, & reponit rem in pejorem statum, quam fuerat, non quidem ante, sed post emptionem; nam post emptionem res illa erat in statu securo penes emptorem; securitas autem illa extrinseca, est quasi incrementum seu melioratio ipsius rei, quæ cum re Domino est restituenda.

461 Objic. IV. Qui utitur suo jure, nulli facit injuriam. Sed qui restituit rem furi, utitur suo jure ad rescindendum contractum, ex una parte injustum, ex altera per errorem initum. *Ergo* &c.

Resp. *Disting. maj.* Nisi ipse usus juris sit cum injuria tertii conjunctus. *Conc.* Secus. *Nego.* Hic autem per restitutionem factam furi, læditur jus Domini, qui supponitur eam a fure recuperare non posse, quam tamen secure habere poterat & debuerat ab emptore. Ad *minorem Conc.* quod emptor possit rescindere contractum emptionis cum fure initum, ab eoque pretium repetere: hoc tamen fieri non debet sine præjudicio Domini.

Objic.

Objic. V. Nemo tenetur damnum pati, 462
ut alterius damnum in eodem ordine avertat. Ergo &c.

Resp. *Conc. ant.* Debet tamen damnum pati, quando illud averti non potest, quin alteri innocenti inferatur; nec enim possum alteri malum facere, ut mihi bene sit.

Objic. VI. Qui metu naufragii jactis suis 463
mercibus, merces ab altero eadem causa jactas iterum in navem recipit, has denuo ejicere potest, ut suas recuperet: ergo etiam emptor rem tradere furi potest, quamvis exponatur periculo, ut hac ratione pretium suum recuperet.

Resp. Nego *conseq.* Disparitas est; qui enim alterius merces in suam navem custodiæ causa, non possidendi animo recipit, actum exercet charitatis, a quo citra injuriam abstinere, & eidem conditiones, quas placuerit, apponere potuit: hanc autem sine dubio conditionem adjecit, ut ex hoc actu misericordiæ nullam ipse patiatur jacturam, eoquod nemo teneatur res alienas custodire cum jactura suarum, quæ contingeret in isto supposito. Qui autem rem alterius emit, non exercuit actum charitatis, nec hanc illi contractui conditionem apponere potuit. Dein, qui projicit merces in mare, non coope-

ratur alterius injuſtitiæ, uti tamen emptor rem tradens furi. Accedit, quod alter rerum jactarum damnum a me petere non poſſit in judicio: uti tamen fatentibus Adverſariis Dominus rem ſuam ab emptore vindicare poteſt. Ergo non eſt par ratio, nec obligatio.

Resp. II. Nego *conſ.* Diſparitas eſt; quia quando Dominus ſuas merces jactavit, nulla eidem illata fuit injuria, & quando illas recipio, id ſolum facio *pro cuſtodia*, ſed addita conditione, niſi eas iterum ejicere oporteat, quando receptas meas ſine aliarum jactu conſervare non poſſem. In altero autem caſu Domino fit injuria, quando res furto eidem ablata & mihi vendita furi reſtituitur; ſic enim cum fure quaſi participo, & eandem injuriam continuo, quod non contingit, quando merces a Domino ſemel jactas iterum projicio; hac enim ratione præſumtam Domini voluntatem continuo, qui prudenter invitus eſſe non poteſt, quod iſto caſu, quo ipſe pro vita ſervanda res ſuas periculo expoſuit, eidem periculo eas denuo exponam pro rerum mearum conſervatione; charitativa enim rei alienæ cuſtodia rerum mearum conſervationi obeſſe non debet. Improvida autem emptio emptori nocere, & damnum caſui fortuito adſcribi debet.

Cum aliquis plurium debitor esse pos- 464
sit, nec forte omnibus creditoribus satisfacere valeat (quando enim omnibus satisfacere potest, omnino debet) quæritur, *quo ordine* debita expungenda, & quinam creditores præferendi sint? nomine *creditoris* intelligitur, qui vel aliquid dedit, vel damnum passus fuit, aut quomodocunque jus habet in debitorem. *Debita* sunt varia:

1. Alia sunt *certa*, ut dum scitur, quid & cui quis debeat: alia sunt *incerta*, dum quis dubitat: an debeat: vel quid, vel cui debeat?

2. Alia sunt, quæ in *dominium* transierunt debitoris: v. g. pecunia mutuata, res empta, sive extet, sive non. Alia, quorum debitor dominium non habet, v. g. res comodata, deposita, pignori data, furtiva, ab ipso debitore sublata.

3. Alia sunt *realia*, quando bona debitoris sunt creditori obligata per hypothecam generalem vel specialem, ita ut creditor habeat jus in bona debitoris: alia *personalia*, quando creditori tantum competit actio in personam, non immediate in bona.

4. Debita sive realia sive personalia sunt vel *privilegiata*, quæ ex dispositione juris aliis præferuntur: vel simplicia.

5. Alia ſunt debita ex *delicto*, v. g. furto: vel ex *contractu*, v. g. mutuo:

6. Alia ſunt debita ex titulo *gratuito*, v. g. donatione, legato: vel *oneroſo*, v. g. emptione. &c. his obſervatis ponitur

465 Regula I. Debita ex titulo oneroſo vel delicto, prius ſolvi debent, quam debita ex titulo gratuito. *Communis*.

Prob. I. Ita ſtatuitur l. 19. §. 1. ff. *de re judicata*. „ Qui ex cauſa donationis „ convenitur, in quantum facere poteſt, „ condemnatur, & quidem ſolus, deducto ære alieno. „ Ratio eſt; quia donatio debet fieri ex propriis, quæ aliis anterioribus creditoribus obligata non ſunt, & ſine præjudicio aliorum. Imo etſi donatio gratuita præceſſerit alia debita oneroſa, ſemper cenſetur habere imbibitam conditionem: ſi executioni mandari queat, absque præjudicio tertii, & niſi ſtatus meus fuerit mutatus. Hinc infertur, illicite acceptari donationes factas ab illo, qui ſcitur obligatus aliis titulo oneroſo, quibus ſatisfacere nequit.

466 Regula II. Res aliena exſtans, prius reddenda eſt Domino certo, antequam ſolvantur alia debita; quia *res ſemper clamat ad Dominum*. Hinc res comodata, depoſita, furtiva, uſura, ante omnia ſuis do-

dominis reſtituenda. Quod ſi res exiſtat aliena, neſciatur autem ejus Dominus: v. g. res inventa: tunc variant doctores. Quidam exiſtimant, illo caſu præſumi poſſe, quod Dominus conſentiat, ut debitoribus certis etiam ex re ſua prius ſatisfiat, & ſi quid poſtea ſuperſit, loco ſolutionis ad cauſas pias applicetur. Alii arbitrantur, loco Domini ignoti ſtatim ſubintrare cauſas pias.

Regula III. Debita *certa* prius ſolvenda 467
ſunt, quam illa, de quibus dubitatur; priores enim creditores habent jus certum: ergo merito præferendi ſunt iis, qui forte jus nullum habent, cum ſit dubium. Atque in hoc conſentiunt Theologi.

Regula IV. Debita ex delicto contra- 468
cta, v. g. ex furto, uſura, homicidio &c. non ſunt præferenda debitis juſto titulo contractis, v. g. ex mutuo, emptione &c. ſed *per ſe* loquendo reſpicienda eſt prioritas temporis. Ratio eſt; quia nec naturali, nec poſitivo jure probari poteſt hæc prælatio. Imo jure naturæ qui eſt prior tempore, eſt etiam prior jure; cum creditor anterior prius ſibi obligatum habeat debitorem: ergo præ poſteriori jus habet in bona ejusdem. Jus vero poſitivum nullibi præfert debita ex delicto, ubi autem lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere: tum etiam, quia ob debito-

bitoris malitiam prior creditor ſuo jure privari non debet.

469 Regula V. Creditori pauperi *per ſe* loquendo, non prius ſatisfieri debet, quam diviti; quia *per ſe* & *ordinarie* paupertas non tribuit plus juris, & quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ *commutativæ*, ubi non conſideratur conditio perſonæ, ſed æqualitas inter datum & acceptum. Dixi, *per ſe.* In quibusdam enim circumſtantiis, ubi pauper eſſet in extrema vel gravi neceſſitate, & dives reſpective leviſſimum patitur incommodum, præſumendum eſt, divitem non eſſe *rationabiliter* invitum, ſi ei pauper præferatur.

470 Regula VI. Creditoribus privilegiatis, cujusmodi ſunt tacitam vel expreſſam in bonis debitoris hypothecam habentes, prius reſtituendum eſt, quam ſimplicibus. Inter privilegiatos ipſos ſervandus eſt ordo ſecundum qualitatem privilegiorum: aut ubi ſunt æqualia, attendi debet prioritas temporis. Hæc patent ex diſpoſitione juris poſitivi, quod, cum privilegiatis jus tribuat, etiam debitores in conſcientia obligat. Quænam autem ſint Privilegia creditorum, & quis eorum ordo in foro externo, deſumi debet ex proceſſu edictali, ubi certæ ſervantur claſſes juxta locorum ſtatuta.

Su-

Supereſt, ut oſtendatur, QUOMODO, & QUO LOCO reſtitutio facienda ſit: nam de cauſis excuſantibus dicam §. ſequenti. Duo ergo conſiderantur. 1. Quo in loco, & cujus impenſis reſtituendum ſit: 2. cujus periculo. Circa primum eſt 471

REGULA I. Res aliena, bona fide citra contractum poſſeſſa, reſtitui debet in loco, ubi habetur, nec debitor eam ſuis ſumptibus Domino transmittere obligatur; quia hujusmodi poſſeſſor non debet Dominum in ſtatum priſtinum reſtituere cum proprio ſuo detrimento, utpote cui nullam irrogavit injuriam. Hinc ſufficit, ſi Dominum moneat, & rem interea cuſtodiat.

REGULA II. Debita ex contractu, reſtituenda ſunt juxta leges uniuscujuscunque contractus: *ordinarie* in loco ipſius contractus; illius impenſis, in cujus utilitatem initus fuit. v. g. in comodato, ſumptibus comodatarii, in loco comodantis: in depoſito, ſumptibus deponentis &c. qui enim ſentit commodum, ſentire debet etiam onus cap. 55. de R. J. in 6. 472

REGULA III. Res injuſte accepta, reſtitui debet ſumptibus damnificantis, in loco, ubi eam Dominus poſſediſſet, niſi ablata fuiſſet. 473

RA-

Ratio eſt ; quia Dominus eſt conſtituendus in ſtatum priſtinum , quo fuit ante læſionem , ut damnum ex æquo compenſetur : alias non fieret reſtitutio ad æqualitatem. Ubi tamen obſervandum, debitorem poſſe deducere expenſas , quas Dominus ipſe in re transferenda facere debuiſſet ; non enim Dominus debet ſentire lucrum, ſed tantum reddi indemnis. Quodſi reſtitutio fieri non poſſet niſi ſumptibus maximis , aut duplo re ipſa majoribus , ajunt, ex naturali quadam æquitate reſtitutionem differri poſſe in tempus commodius. Sed ſpectanda hic eſt voluntas Domini, an cum , vel ſine ratione præſumi poſſit eſſe invitus , aut conſentire in dilationem. *Per ſe* enim loquendo , etiam cum magno ſui damno injuſtus raptor , aut detentor , damnum innocentis reſarcire debet.

474 Quoad alterum , cujus periculo ſit reſtituendum ?

Regula I. Quando creditor ipſe elegit nuntium , aut facultatem eligendi fecit debitori , modo conſtituat talem , qui communiter habebatur pro fideli : res Domino perit. Quia in primo caſu internuntius repræſentat perſonam Domini, qui ſibi imputare debet, quod non alium elegerit : aut caſum fortuitum pati cogatur. In altero, debitor fecit, quod creditor petierat.

Re-

Regula II. Res, quæ citra culpam possessa restituenda est, periculo Domini restituitur: hinc quando in via perit, Domino perit: modo remittens sufficientem adhibuerit diligentiam, id est, culpam *levem* non commiserit. Ratio est; quia res, quæ sine culpa possidentis perit, Domino perit: atqui in hoc casu perit sine culpa possidentis, tam antecedente, quam concomitante, ut supponitur. *Ergo.* 475

Regula III. Restitutio rei ex radice injustæ acceptionis, seu, læsionis, facienda est cum periculo debitoris; 1. quia Dominum prorsus indemnem præstare debet. 2. Quia certum est, si res illa periisset in manibus debitoris, debitori periisset: ergo etiam si perit in manibus internuntii, debitori perit, quia ille personam debitoris repræsentat. 476

Regula IV. Res debita ex contractu, quo creditor manet Dominus, creditori perit: econtra si debitor fit Dominus, debitori perit. Quia cuique res sua perit. 477

§. IV.

De causis excusantibus a restitutione vel ex toto, vel ad tempus.

Sunt quædam causæ, quæ obligationem restituendi omnino tollunt, aliæ, quæ 478

tan-

tantum differunt. Ad priores referuntur præſcriptio, creditoris condonatio, & legitima compenſatio. Quod creditor condonare poſſit, certum eſt, quia poteſt cedere ſuo juri, ordinarie loquendo. Ut autem iſta remiſſio ſit legitima, tria requiruntur: I. ut remiſſio ſit perfecte voluntaria, non coacta. II. Ut creditor condonare poſſit: ſic filiusfamilias non poteſt remittere debita Patris, nec procurator debita Principalis absque ſpeciali mandato. III. Ut condonatio non ſit a jure annullata, ut eſt tamen in ſequentibus caſibus. 1. Si viſitantes Eccleſias accipiant aliquid præter neceſſaria ad victum, pro iis diebus, quibus viſitant, duplum inter menſem reſtituere debent, non obſtante quacunque remiſſione, liberalitate vel gratia. cap. 2. *de cenſibus* in 6. 2. Si judex delegatus aliquid acceperit a partibus litigantibus præter eſculenta: vel ſi acceperit plus, quam moderatas expenſas ratione itineris, vel ſi acceperit aliquid pro impenſis, quando partes ſunt pauperes, tenetur reſtituere remiſſione non obſtante cap. 11. *de reſcript.* in 6. 3. Si Inquiſitores prætextu officii inquiſitionis pecunias extorſerint. Clem. 2. *de hæret.* 4. Si Canonicus, qui non intereſt officio, acceperit diſtributiones. TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. cap. 12. 5. Nulla eſt condonatio, facta a pupillis, furioſis; quia non habent liberam rerum adminiſtrationem, & quia

alie-

alienationes ab iis factæ a jure annullantur.

Compensatio definitur, quod sit *debiti* 479
& crediti mutua inter se contributio. Tunc ergo compensatio excusat a restitutione, quando creditor debitori tantundem debet. *Expressa* locum habet in judicio per reconventionem. Ut autem *occulta* compensatio sit licita in conscientia, requiritur 1. Ut debitum ex altera parte sit certum; in dubio enim melior est conditio possidentis: & sit ex justitia, non autem gratitudine debitum. 2. Ut debitum illud non possit alia ratione recuperari, v. g. non nisi magnis cum impensis: aut desint probationes pro foro externo. 3. Ut non fiat nisi in rebus ipsius debitoris. 4. Ut non plus accipiatur, quam debetur. 5. Ut præcaveatur periculo gravioris mali v. g. scandalo, vel ne compensans deprehensus, arguatur furti, & gravius incurrat damnum: ne alia persona fiat suspecta furti &c.

Ad causas ex integro a restitutione ex- 480
cusantes alii etiam referunt *ignorantiam invincibilem juris & facti*; cum enim hæc excuset a peccato, excusabit etiam a restitutione: & *dubium*; quia melior est conditio possidentis in materia justitiæ. Sed quoniam in utroque casu vel nullum adest debitum, vel non certum, de quo hic

unice agitur; hinc idem dicendum eſt, quod de bonæ vel dubiæ fidei poſſeſſoribus. Alii etiam huc trahunt *ceſſionem bonorum*, quæ tunc fieri dicitur, quando quis debitis ſingulis ſolvendis impar, quidquid habet, creditoribus cedit, ne, quod olim uſitatum erat, ſervituti aut carceri addicatur, donec ſolvat noviſſimum quadrantem. Deſcribitur, quod ſit *actus, quo debitor ſine dolo malo obœratus omnia ſua bona eo fine creditoribus ſponte dimittit, ut his, quantum fieri poteſt, exinde ſatisfiat, ipſe vero ſalva exiſtimatione a carcere & alio cruciatu liberetur.* vid. tit. ff. *de ceſſione bonorum*, & Cod. *de his, qui bonis cedere poſſunt.* Relinquuntur tamen cedenti veſtes & inſtrumenta ad victum quærendum neceſſaria. Effectus eſt, quod pro foro externo a reſtitutione alia, reſpectu creditorum, quibus facta eſt ceſſio, liberetur, etiam ex bonis poſtea adquiſitis. Quæritur, an etiam in foro interno fiat immunis, ſi poſtea ad pinguiorem fortunam pervenerit, ut omnibus ex æquo reſtituere valeat.

481 Resolutio I. Ceſſio bonorum debitorem a reſtitutione plenaria non excuſat. *Communis.*

Prob. I. Jure civili hoc beneficium, quod quidem vocatur flebile, ideo tantum fuit conceſſum, ne debitores judicati de-

tru-

trudantur in carcerem. l. 1. Cod. *qui bonis cedere possunt* : & ne ex bonis postea adquisitis necessaria sua, suorumque sustentatione privari queant. l. 6. ff. *de cessione bonorum*: & dicuntur non liberati, *nisi solidum creditor receperit*. cit. l. 1. Cod. Ergo &c.

PROB. II. Justitia commutativa, cui lex 482
humana pro foro conscientiæ derogare non voluit, requirit restitutionem ad æqualitatem: ergo tenetur debitum *totum* resarcire, etiam ex bonis postea adquisitis; quia obligatio restitutionis per impotentiam præsentem non tollitur, sed tantum *suspenditur*, & plene revivifcit, seu, urget præsente solvendi potentia. Idem a fortiori dicendum de litteris moratoriis, vi quarum debitori conceduntur induciæ ad tempus, ne interea a creditoribus possit conveniri, & adigi ad processum edictalem, seu subhastationem bonorum.

PROB. III. Si cessio bonorum debitorem 483
plene liberaret ab ulteriore restitutione, tunc etiam liberaret fidejussorem, utpote solum secundario obligatum ratione principalis. Atqui fidejussor non liberatur. l. 60. ff. *de fidejussoribus*. Ergo &c.

Quæritur hic etiam, an ingressus in re- 484
ligionem ab obligatione restitutionis liberet? ubi notandum, ejus professionem va-

lidam esse, qui ære alieno gravatus, religionem ingreditur, ex declaratione Clementis VIII. abrogantis statutum Sixti V. qui annullaverat professionem. Certum est etiam, illum, qui ante ingressum debita solvere *statim* potest, ad hoc obligari; cum nulla adsit causa excusans. Communiter etiam docent Theologi, eum, qui intra breve tempus v. g. biennium, omnia sua debita, aut saltem quoad maximam partem, expungere se posse prævidet, ingressum eo usque suspendere debere, ut obligationi suæ *certæ* satisfaciat. Qui debita habet *incerta*, quorum restitutio, suo tempore possibilis, facienda foret caussis piis, illa sibi tanquam pauperi applicando, Religionem ex communi sententia licite ingreditur. Igitur de eo est controversia, an, qui debita solvere nequit, nisi longo tempore maneat in sæculo, licite ingrediatur Religionem, sicque perpetuo se impotentem reddat. Aliud foret, si communitas religiosa sponderet pro eo solutionem, aut debitor non ex contractu oneroso, sed liberali promissione obligatus esset.

485 Resolutio II. Licite Religionem ingreditur, qui ære alieno gravatus prævidet, se non nisi longo tempore in sæculo manendo, creditoribus satisfacere ex integro posse: *modo* ante ingressum bonis cedat, & solo motivo majoris perfectionis, non au-

autem ſubterfugiendi laboris, ſincere ducatur. Videtur eſſe ſententia S. THOMÆ contra P. ANTOINE & continuatorem TOURNELLII, ac plures alios. Dixi: *modo* &c. ſi enim hoc faceret ex ſola comoditate, ne labore corporali cogeretur multa lucrari, ut ſatisfacere queat creditoribus: tunc hoc cederet in fraudem, quæ illi non debet patrocinari.

PROB. I. Authoritate & ratione S. THOMÆ 2. 2. q. 189. a. 6. ad 3. „ Propter „ pecuniam perſona liberi hominis . . . „ non obligatur, ſed ſolum res: quia per„ ſona hominis liberi ſuperat omnem æſti„ mationem pecuniæ; unde licite poteſt „ exhibitis rebus ſuis Religionem intrare, „ nec tenetur in ſæculo remanere, ut „ procuret, unde debitum reddat. „ Ex quo ſic infero. Quisque beneficio ceſſionis a jure conceſſo licite utitur, maxime in favorem animæ ſuæ e periculo liberandæ, & in favorem Religionis, quæ, *regulariter* loquendo, neminem ſalutis ſuæ cupidum, & alias idoneum excludit: atqui hoc contingit in noſtro caſu. *Ergo* &c.

PROB. II. Perſona hominis liberi non 486
eſt *per ſe* obligata creditoribus, ſed tantum ejus bona, vel Perſona ratione bonorum: ergo cedendo bonis, ſatisfacit, & de ſua perſona libere in obſequium Dei diſponit.

487 Prob. III. Vel ille est debitor ex contractu oneroso cum, vel sine delicto? si ex contractu oneroso absque delicto, semper adest implicita conditio: nisi ad statum perfectiorem incompossibilem transitus fiat, ut patet in contractu matrimonii rati, sponsalibus &c. Si debita sint ex delicto, tunc prudenter præsumi potest, creditorem non esse rationabiliter invitum, si debitor, qui non nisi post longum tempus satisfacere posset, & incertum est, an vellet, aut superviveret, interea statum pœnitentium amplectatur, atque per opera altioris ordinis suppleat damnum antea datum.

488 Prob. IV. Nemo tenetur restituere cum detrimento boni longe præstantioris: atqui talis volens ingredi religionem, pateretur detrimentum boni longe præstantioris, quale est securitas status Religiosi: ergo &c.

489 Respondet continuator Tournellii. *Disting. maj.* Si homo illud bonum præstantius actu possideat, aut sine injustitia & præjudicio tertii possidere queat. *Conc.* Secus. *Neg. maj.*

Contra est. Quamvis debitor bonum illud non possideat actu, habet tamen jus & spem, ut supponitur, certam possidendi: quod ipsum jus & spes est altioris or-

dinis,

dinis, & bonum præſtantius quovis temporali. Quod habeat jus, probatur. Quisque homo habet jus tendendi ad perfectionem christianam per media, quæ ipſi videntur magis opportuna; quia Chriſtus omnes vocavit. Atqui ſupponitur, quod tali debitori ſtatus religioſus coram Deo revera videatur medium maxime opportunum. Ergo habet jus &c.

Prob. V. Quando duo certant de damno diverſi ordinis vitando, tunc illius cauſa videtur potior, qui cupit vitare damnum oppoſitum bono altioris ordinis, & inſuper certat de lucro ejusdem altioris ordinis captando. Sic v. g. nemo tenetur vitam corporalem periculo exponere pro reſtituendo damno in bonis famæ vel fortunæ illato: atqui in noſtro caſu debitor certat de damno animæ vitando, & lucro æterno captando, creditor vero ſolum de damno bonorum fortunæ, quæ ſunt inferioris ordinis. *Ergo* &c. 490

Equidem hæc argumenta non ſunt inſolubilia: ſed juncta authoritati S. Thomæ, in cujus reverentiam hanc opinionem eligere placuit, forte propugnari poterit: quod metiendum erit ex ſolutione objectionum. Igitur

Objic. I. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: atqui conjicere ſe in impoten- 491

potentiam ſolvendi debita, eſt quoddam malum & juri naturali adverſum, vi cujus deberet ſolvere, & quod præponendum eſt conſilio.

Resp. *Diſt. maj.* Mala intrinſece & *per ſe* talia. *Conc.* Mala, quæ in certis circumſtantiis non ſunt mala, ſed bona. Nego *maj.* Diſtinguo etiam *min.* Conjicere ſe in impotentiam ſolvendi, ſi fiat per medium illicitum, eſt quid malum. *Conc.* Si fiat per medium de ſe honeſtum, & omnibus permiſſum, cujusmodi eſt ſtatus Religioſus. *Neg.* Non ſolvere debita cum quis ſtatim, aut congrue, aut ſine diſpendio majoris boni poteſt, eſt juri naturæ adverſum & conſilio præponendum. *Conc.* Secus. *Nego.*

492 Objic. II. Filius licite non ingreditur Religionem, quando parentibus egenis, qui aliunde ſuſtentari non poſſunt, ſuccurrere obligatur: ergo nec debitor &c. quia ſicut filius tenetur ex lege naturæ parentibus miniſtrare alimenta, ita debitor ex juſtitia creditoribus ſatisfacere.

Resp. Nego. *Conſ.* Diſparitas eſt; quia obligatio filii erga parentes eſt *perſonalis*, & non ex contractu, cui ineſſet tacita conditio: *niſi ſtatum perfectiorem incompoſſibilem elegero*; cum arctiſſimum ſit vinculum naturæ, quo parentes & liberi invicem obſtrin-

obſtringuntur. Obligatio autem debitoris, tanquam perſonæ liberæ, non eſt perſonalis, ſed obligantur tantum ejus res, aut perſona ratione rerum, quibus ſi cedat, ſatisfacit, juxta D. THOMAM.

OBJIC. III. Servus invito Domino reli- 493
gionem licite non ingreditur, quia Domino operam ſuam debet. Ergo nec debitor, qui pariter ex ſua opera creditoribus ſatisfacere poteſt, & debet.

RESP. Ut prius, nego *conſ.* quia ipſa *perſona* ſervi eſt Domino obligata, non autem perſona debitoris creditori.

OBJIC. IV. Qui Virginem ſub ſpe ma- 494
trimonii defloravit, non poteſt illa invita religioſam vitam amplecti; quia promiſſioni ſuæ ſatisfacere tenetur. Ergo nec debitor; quia pariter ſuo labore creditoribus ſatisfacere debet ex pacto.

RESP. Nego *conſ.* Diſparitas eſt; quia illius obligatio itidem eſt *perſonalis*; cum enim matrimonium promiſerit, ſine cujus promiſſione virgo uſum corporis non præſtitiſſet; eo ipſo perſonam ſuam obligavit, quod ſtatum cum matrimonio incompoſſibilem non velit eligere, adeoque conditione imbibita libertati ingrediendi religionem renuntiavit, quod non facit debitor. Sed etiam hic ipſe deflorator poſt

matrimonium *ratum* ante consumationem intra bimestre Religionem ingredi potest, modo defloratam dotaverit, & proli, forte susceptæ, de alimento providerit.

495 Objic. V. Ista opinio contraria est veteris Ecclesiæ disciplinæ. Nam

I. *Curiales*, seu, *Decuriones*, qui erant homines, per facultates quas possidebant, ad munia in patria sua obeunda obstricti, non poterant fieri Monachi aut Clerici, nisi prius propriæ urbis munia & munera explevissent, aut per alios suffectos tam personalia, quam patrimonialia officia & onera sustinerent: secus e Monasteriis aut Ecclesiis vi evocabantur per legem Valentiniani & Valentis Cod. Theod. lib. XII. tit. *de Curionibus*. leg. 63. vid. etiam cap. un. dist. 53.

Resp. Legem illam diræ persecutionis præludium appellat Baronius, quæ dehinc Monachos, militare vi coactos, dire vexavit. Ceterum disparitas est; quia tam personæ, quam bona curialium, erant reipublicæ obligata; servos enim reipublicæ, & viscera civitatum illos adpellat Majorinus Novel. I. ad calcem Cod. Theod. Et tamen poterant se liberare, si bonis cederent, & aptam personam substituerent.

Objic.

OBJIC. VI. Servi ſine conſenſu ſuorum 496
Dominorum non poterant fieri Monachi, per Novellam XII. Valentiani III. ad finem Codicis Theodoſiani: „ Nullus originarius, inquilinus, ſervus ac Colonus ad „ Clericale munus accedat, neque Monachis & Monaſteriis adgregetur, ut vinculum debitæ conditionis evadat. „ Hoc idem ſtatutum eſt Can. Apoſt. 81. & Can. 10. Concilii TOLETANI I. „ Clericos, ſi quidem „ obligati ſint vel pro æquatione, vel de „ genere alicujus domus, non ordinandos, niſi probatum fuerit, & patroni „ conſenſus acceſſerit. „ Et Can. 4. Concilii CHALCEDONENSIS: „ nullum in monaſteriis ſervum recipi liceat ad hoc, ut „ ſit Monachus, præter voluntatem ſui „ Domini. „

RESP. Præter diſparitatem ſæpius datam videatur totus titulus decretal. *de ſervis non ordinandis*. Ceterum ſervos religionem amplecti poſſe, & ſic fieri liberos, ſtatuit JUSTINIANUS Novel. V. cap. 2.

OBJIC. VII. Nec liberi ſine parentum 497
conſenſu & voluntate fieri poterant Monachi, ex Can. 16. Concilii GANGRENSIS relato cap. 1. diſt. 30. „ Si qui filii a „ parentibus, maxime fidelibus, prætextu „ pietatis receſſerint, & parentibus quem „ par eſt honorem non tribuerint, apud „ eos ſcilicet præpoſita in Deum pietate,

„ ſint

„ ſint anathema. „ Vid. etiam S. Basilius in regulis Majoribus quæſt. 15.

Resp. Juſtiniani tempore ſtatutum iſtud immutatum, & filiis data fuit libertas, ut Clerici, vel Monachi fieri volentes, a parentibus nec impediri, nec exhæredari poſſent. l. 55. Cod. *de Epiſcopis.* Concilium Gangrense vel loquitur de filiis, parentum ſuſtentationi neceſſariis, de quo dixi num 492. vel, quod probabilius, de falſa quadam pietate Euſtatianorum, contra quos celebratum fuit hoc Concilium, & ſanciti Canones, qui legi poſſunt diſt. 30. ubi notandum cap. 16. quo hæc reſponſio confirmatur.

498 Objic. VIII. Milites ordinari non poterant per legem Honorii 12. Cod. Theod. *de Veteranis.*

Resp. Militum *perſona* erat obligata, forte etiam Sacramento, ſeu, juramento obſtricta: econtra debitoris perſona eſt libera. Accedit, quod ipſa Eccleſia eos a ſacris removerit. Vid. Innocentius I. Epiſt. XXIII. cap. 4. & 6. & Epiſt. II. Ad Victricem Rothomagenſem cap. 2. Concilium Toletanum I. Can. 8. quia præſumebatur, eſſe irregulares, propter effuſum humanum ſanguinem.

Objic.

Objic. IX. Neque Procuratores, usque dum eorum officium exſpiraſſet, ordinari poterant. Can. 9. Concil. Carthaginensis I. „ Recte ſtatutum eſt, ut obnoxii alie- „ nis negotiis non ordinentur. „ Et Can. 8. „ Magnus Epiſcopus Aprungenſis dixit: „ quid dilectioni veſtræ videtur, Procu- „ ratores & Actores, Tutores etiam, ſeu „ Curatores pupillorum, ſi debeant or- „ dinari? Gratus Epiſcopus dixit: ſi poſt „ depoſita univerſa, & reddita ratiocinia, „ actus vitæ ipſorum fuerint comprobati „ in omnibus, debent & cum laude, cle- „ ri, ſi poſtulati fuerint, honore mune- „ rari. Si enim ante libertatem negotio- „ rum vel officiorum ab aliquo ſine con- „ ſideratione fuerint ordinati, Eccleſia in- „ famatur. Univerſi dixerunt recte &c. „ Vid. cap. un. *de obligat. ad ratiocin. non ord.* ex quibus infertur. Prædicti omnes a num. 495. ſeq. non poterant in Clerum aut monaſterium recipi: ergo nec debitores poſſunt ingredi, ex paritate rationis; maxime, cum Clerici retenta Patrimonii ſui proprietate potuiſſent etiam poſt ordinationem ſatisfacere, quod non poſſunt Monachi. 499

Resp. Illud ſtatutum fuit in favorem Eccleſiæ, & ſupponebatur, illos ex ſuis bonis ſatisfacere potuiſſe.

Objic.

500 OBJIC. X. Publici debitores ne quidem fruebantur asylo leg. 1. Cod. Theod. *de his, qui ad Ecclesias confugiunt.* Ergo multo minus ad Religionem admitti possunt.

RESP. Ratio fuit Ecclesiæ favor, quæ ærario publico loco talis debitoris satisfacere debuisset. Vid. AUGUSTINUS Epist. 215. & homil. 49. de diversis, seu, serm. 355. Nov. edit.

501 RESOLUTIO III. Qui alterum damnificavit in bonis ordinis superioris: tenetur restituere per bona ordinis inferioris, si aliter damnum compensari nequit.

PROB. I. e S. THOMA 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. „ Quando id, quod est ablatum, „ non est restituibile per aliquod æquale, „ debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare „ vel in pecunia, vel in aliquo honore, „ considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri. „ Et ibidem ad 2. „ Si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, „ sicut & in aliis dictum est. „

502 PROB. II. Ratione. Justitia commutativa exigit, ut omne damnum, vel ad æqualitatem, ubi possibilis est, resarciatur, vel damni-

damnificans præſtet tantum, quantum poteſt. Ergo quamvis damnum in bonis ordinis ſuperioris non poſſit compenſari quoad æqualitatem per bona ejusdem ordinis, debet tamen damnificato reſtitui, quantum fieri poteſt; atqui hoc fieri poteſt per bona ordinis inferioris; quia in æſtimatione morali bona ordinis ſuperioris, v. g. forma, membrum &c. aliquo modo compenſari poſſunt per divitias, cum divitiarum intuitu quandoque puella deformis æque facile nubere poſſit, quam altera ſpecioſa pauper. Sic & fructus ex uſu membri ſperatus, per pecuniam fructui & ſuſtentationi æquivalentem reſarciri valet.

PROB. III. Ex oppoſita opinione ſeque- 503
retur, quod in bonis ordinis ſuperioris damnificatus & gravius læſus, deterioris eſſet conditionis, altero, in bonis inferioris ordinis, adeoque minus læſo; huic enim, non illi, fieri deberet compenſatio, juxta adverſarios: quod eſt abſurdum.

OBJIC. I. Leg. ult. ff. *de his, qui effude-* 504
rint. ſtatuitur: „ cicatricum aut deformi- „ tatis nulla fit æſtimatio; quia liberum „ corpus nullam recipit æſtimationem. „ Ergo idem dicendum de aliis bonis ordinis ſuperioris, quæ pretio non æſtimantur.

RESP.

Resp. Disting. non fit æstimatio cicatricum &c. quoad ipsam eorum substantiam *physice* consideratam. *Conc.* Quoad damnum inde secutum. *Nego.* Compensari enim & æstimari potest damnum, quod aliquis patitur propter impeditum usum membri, aut formæ &c. qui usus cum in contractum venire possit, etiam pretio æstimabilis est. Sic v. g. ipsa libertas supremi est ordinis, & tamen vendi potest, quanti quis eam æstimat: membrorum usus locari potest. Et ita porro.

505 Objic. II. Restitutio tunc solum obligat, quando res reddi potest vel in se, vel in æquivalenti, saltem ex parte: atqui bona ordinis superioris ne quidem ex parte reddi possunt; quia bona ordinis inferioris utcumque multiplicata, nunquam adæquant illa ordinis superioris, cum sint semper ordinis diversi.

Resp. Ad II. *Disting. min.* Bonum ordinis superioris, quoad se & *physice* spectatum. *Conc.* Quoad æstimationem moralem damni, ex eorum privatione orti. *Nego.*

506 Quæritur, an qui debiti immemor, creditori donat tantum, quantum debet, immunis deinceps sit a restitutione?

Resp.

Resp. Negative; quia liberalitate gratuita non obſtante, adhuc tenetur obligatione rigoroſa juſtitiæ commutativæ.

507 Quæritur etiam, an a reſtitutione excuſetur, qui ſolvit creditori creditoris?

Resp. I. Affirmative, ſi debitum ex eadem cauſa proveniat: v. g. ſi creditor meo creditori mutuos dedit centum florenos, quos hic mihi credidit.

Resp. II. In aliis caſibus invito meo creditore, non poſſum licite ſolvere ejus creditori; quia creditor immediatus jus in me per ſe habet, ut ſibi reſtituatur debitum. In foro externo ne quidem valet talis ſolutio. Quid dicendum de foro interno, deſumendum ex circumſtantiis.

508 Resolutio IV. Cauſa licite differendi reſtitutionem in genere eſt unica: quando creditor rationabiliter non eſt invitus, ſed præſumitur prudenter, conſentire in dilationem. In ſpecie autem ſunt cauſæ fere ſequentes.

I. Necessitas extrema tam corporea, quam ſpiritualis debitoris vel proximi, cui aliter ſubveniri non poſſet, niſi retinendo debitum. Eſt autem neceſſitas *extrema*, quando quis ex inopia periclitatur de vita; hoc enim caſu omnia fiunt communia,

ſaltem quoad uſum, & creditor rationabiliter invitus eſſe non poteſt. Transacta neceſſitate redit obligatio reſtituendi totum, vel quantum poſſibile eſt; quia ſola impotentia perpetua perpetuo excuſat: & illo caſu creditor rationabiliter reſtitutionem poſtulat. Quodſi tam debitor quam creditor ſint in extrema neceſſitate conſtituti; tunc ſi creditor ideo in hanc neceſſitatem devenit, quia res ejus apud alium exiſtit, reſtituere debet debitor, maxime, ſi fuerit injuſte talis; quia in pari cauſa melior eſt conditio Domini & legitimi poſſeſſoris, qualis hic ſupponitur creditor: & quia fraus ſua nulli debet patrocinari.

509 Videtur quidem obſtare. 1. Quia in extrema neceſſitate omnia fiunt communia, conſequenter ſunt primo occupantis. 2. Quisque poteſt vitæ propriæ conſervationem præferre conſervationi alterius. 3. Debitor hoc caſu eſt in poſſeſſione, ut ſupponitur: atqui melior eſt conditio poſſidentis. Sed

Resp. Ad I. *Diſting.* Niſi legitimus Dominus ſit in pari neceſſitate. *Conc.* Secus. *Nego.* Illo enim caſu rationabiliter eſt invitus Dominus, ſi ipſi res ſua, ad ſuſtentationem extreme neceſſaria, detineatur.

Resp. Ad II. *Diſting.* Si fieri queat ſine alterius injuria, & vitæ privatione, cujus

jus injuſta cauſa exiſtit. *Conc.* Secus. *Nego.*

Resp. Ad III. *Diſting.* Melior eſt conditio poſſidentis, quando Dominus eſt incertus. *Conc.* Cum eſt certus & cognitus. *Nego.* *Subdiſting.* Poſſidentis, *de jure.* *Conc.* Poſſidentis *de facto.* Nego. Debitor etiam ab initio bonæ fidei, injuſte poſſidet, caſu quo ipſe creditor eſt in extrema neceſſitate; nunquam enim prudenter præſumi poteſt, creditorem in iſto caſu re ſua carere voluiſſe.

Quodſi creditor in extremam neceſſita- 510
tem venit non propter ſubtractionem rei, apud debitorem exiſtentis, ſed caſu fortuito, aut alterius injuria; plures Auctores tunc debitori favent innocenti, contra creditorem æque innocentem. Mihi videtur diſtinguendum. Vel enim debitor eſt Dominus rei creditæ, ut fit in contractu mutui; tunc forte reſpondendum pro debitore, propter ipſam rationem dominii. Dixi *forte*; nam dubium pro creditore oritur exinde, quia, quando dominium rei ſuæ per contractum tranſtulit in alium, cenſetur excepiſſe caſum ſuæ propriæ neceſſitatis extremæ, & pro hoc caſu dominium ſibi reſervare voluiſſe. Vel creditor adhuc eſt Dominus rei apud debitorem exiſtentis; tunc reſpondendum videtur pro creditore, ob favorem dominii; in pari

enim causa, prout hic, ubi uterque supponitur innocens, melior videtur conditio Domini, qui rationabiliter invitus est, si res ad propriam vitam conservandam necessaria ab alio detineatur, quamvis ad suam vitam & ille indigeret. Ut enim jam observavi, causa licite differendi restitutionem in genere, est solus consensus creditoris, rationabiliter non inviti. Sed hæc sapientioribus relicta sunto.

511 SECUNDA causa, licitam faciens dilationem restitutionis, est NECESSITAS GRAVIS debitoris, vel eorum, quos alere debet: nisi tamen creditor sit in pari necessitate. Necessitas gravis existimatur, dum quis vitam vix sustentat, aut in periculo versatur damni gravis, morte minoris.

Ratio est. 1. In primo casu creditor sine ratione, in altero autem cum ratione est invitus. 2. Sola extrema necessitas omnia facit communia, non autem gravis. 3. Potior est causa Domini in pari necessitate. Id porro intelligendum est de damno tam temporali & corporali, quam spirituali. In hac autem materia etiam maxime considerandum est creditori, quid vellet sibi præstari, si loco debitoris esset? Hoc & ipse faciat.

512 TERTIA causa est, JACTURA proprii status *juste* acquisiti; tunc enim creditor non foret

ret rationabiliter invitus, & peccaret contra charitatem, si cum tanto incommodo vellet sibi satisfieri. Dictum: *status juste adquisiti.* Aliud est enim, si quis per fraudes, usuras, furta &c. ad altiorem pervenisset statum. Excipitur quoque casus, quo debitor sua culpa in hoc se periculum jacturæ status conjecit, v. g. Luxu vivendi, commessationibus, lusu &c. Denique excipitur casus, nisi creditor ex dilatione debiti idem periculum amittendi statum suum justum incurrat. Tunc enim rationabiliter exigit restitutionem.

Quarta causa est grave damnum spiri- 513
tuale aut temporale creditori, aut tertio, ex restitutione oriturum; tunc enim creditor irrationabiliter restitutionem peteret, & debitor ex charitate tenetur, ejus vel alterius prævisum damnum avertere.

Resolutio V. Debitor in restituendo cul- 514
pabiliter morosus, creditori, seu, damnificato compensare debet lucrum cessans, & damnum emergens ex ipsa mora.

Prob. I. Vel enim est debitor *ex delicto*; tunc vi justitiæ commutativæ creditorem in eum statum restituere debet, quo fuerat ante damnum illatum, & in quo mansisset, si damnum non fuisset illatum. Atqui, nisi compensetur lucrum cessans & damnum emergens, non restitueret in priorem statum. *Ergo* &c.

515 PROB. II. Vel eſt debitor *ex contractu*, & in mora culpabili ſolvendi; tunc ex ipſa mora culpabili fit debitor *ex delicto*, & redit prior ratio. Quod ſi mora in reſtituendo ex contractu non fuerit culpabilis, ad compenſationem damni vel lucri ceſſantis non tenetur; quia hujus non fuit injuſta cauſa: & quia ex Reg. 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Debitor autem *ex delicto*, etiamſi per impotentiam reſtituendi, lucrum creditori ceſſaverit, & damnum emerſerit, adhuc ad ejus tenetur compenſationem; quia voluntaria malitia cauſam poſuit, ex quo damnum ſubſequitur: hinc etiam periculum ſubire debet.

CAPUT VI.

De Reſtitutione in particulari.

Bona hominis in quatruplici conſiderantur claſſe. 1. Bona ſpiritualia, ſeu animæ: 2. bona honoris ſeu famæ. 3. bona corporis: 4. bona fortunæ, ſeu divitiæ. Hinc de Reſtitutione ob damnum in ejusmodi bonis illatum facienda, 4. §§. agam.

§. I.

De Restitutione ob damnum in bonis animæ illatum facienda.

Per *bona animæ* hic non ſolum intelliguntur illa ſupernaturalia, quæ immediate ordinantur ad æternam ſalutem, ſed & illa, quæ remote eo diriguntur, & ipſam quodammodo animæ ſubſtantiam ſpectant; ſive ſint naturalia, ut intellectus, memoria: ſeu adquiſita, ut artes, ſcientiæ. Itaque 516

Quæritur I. An ad reſtitutionem teneatur, qui alterum læſit in bonis ſpiritualibus naturalibus, v. g. veneno, aut alio modo peccaminoſo, dolo, fraude alium uſu rationis, memoriæ, vel alterius potentiæ privavit.

Resp. Certum eſt, quod non tantum ex juſtitia teneatur mala iſta curare, radicem tollere, ſi poteſt, ſed etiam reſarcire omnia damna inde ſecuta; quia eorum vera fuit cauſa per injuſtitiam, eoquod proximus ad illa bona naturalia jus ſtrictum habeat, quod damnificator læſit.

Quæritur II. An qui alterum ſcientiam 517
vel artem docuit male, ſeu, negligenter, damna inde ſecuta reſarcire debeat?

Resp. I. Qui ratione officii & ſtipendii alios inſtruere tenetur, reſtituere debet & ſtipendium, & reſarcire damnum ex negligentia inſtructionis ortum, ſecundum proportionem negligentiæ. Ratio eſt; quia talis eſt damnificator injuſtus, utpote ex contractu & juſtitia ad debitam diligentiam obligatus. Idem forte dicendum de illo, qui tale officium & ſtipendium acceptat, ſeque obligat ad docendam artem, cujus ſe ignarum eſſe novit; quia idem videtur, utrum quis per negligentiam, an per ignorantiam affectatam alterum lædat: cum utrobique injuſtam proximi læſionem prævideat.

518 Resp. II. Qui nec ratione officii, nec ſtipendii alterum inſtruere tenebatur, ſed gratis fecerat ex charitate, ad reſtitutionem non obligatur, niſi forte hac ratione impediverit, ne proximus apud alium itidem gratis, ſed magis proficeret. Ratio eſt; quia obligatio reſtituendi non fundatur in charitate, ſed in juſtitia.

519 Resp. III. Qui ſciens & volens male docet, tenetur reſtituere; quia egit doloſe: dolus autem ad reſtitutionem obligat.

520 Quæritur III. An teneatur ad reſtitutionem, qui alterum læſit in bonis ſupernaturalibus?

Resp.

Resp. I. Qui alium vi, metu, vel fraude ad peccandum induxit, aut a bono retraxit, aut decepit falſa doctrina contra fidem & bonos mores, obligatur ad procurandam damni hujus reparationem: in primis tollendo fraudem, vim, metum: eximendo errorem: docendo veritatem, hortando ad pœnitentiam: orando Deum pro ejus converſione. Ratio eſt; quia fuit injuſta graviſſimi damni ſupernaturalis cauſa; cum quisque jus habeat, ne in bonis ſuis lædatur, & erronee contra ſanam doctrinam inſtruatur, maxime a ſuis doctoribus, & Paſtoribus. Hinc iſti tales ſi errorem docuerint, non tantum pro ſe reſipiſcere, ſed etiam publice revocare, omnemque adhibere debent conatum, ut ſeducti convertantur. Præclarum hujus rei exemplum præbuit Illuſtriſſimus Cameracenſium Archi-Præſul Fenelonius, qui libellum ſuum Romæ proſcriptum ex animo damnavit, atque a ſuis ſubditis damnandum omni modo inculcavit.

Resp. II. Qui alteri in bonis ſupernatu- 521
ralibus nocuit, ſeu, auctor peccandi absque
vi vel fraude exſtitit, ex charitate, non
autem ex juſtitia ejus converſionem pro-
curare obligatur, niſi fuerit ſuperior. Ra-
tio eſt, quia volenti non fit injuria. At-
qui in hoc caſu deceptus absque omni
dolo aut vi, cenſetur voluiſſe. *Ergo*. Su-
perior tamen, qui ex officio tenetur pro-

curare ſuorum ſalutem, contra juſtitiam agere cenſetur, ſi malo exemplo ſuo ſcandalizaverit ſubditos: ſicque ad reparationem damni obligatur.

522 QUÆRITUR IV. An reſtituere debeat, qui a ſtatu Religioſo alium avocat?

RESP. I. Qui alium legitimis de cauſis & bona fide ab ingreſſu Religionis, vel profeſſione impedit, ſeu, revocat, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt; quia ſic nec candidati, nec Religionis jura violat, ut ſupponitur. Quænam autem ſint legitimæ cauſæ, deſumendum a circumſtantiis & qualitatibus tam candidati, quam monaſterii, vel ordinis. v. g. Si candidatus videatur Religioni ineptus, & minime ad eam vocatus: ſi in tali monaſterio non vigeat regularis diſciplina: ſi prævideatur contractus Simoniacus: ſi candidatus ſit neceſſarius parentum egentium ſuſtentationi: ſi per ingreſſum in Monaſterium impediatur majus bonum reipublicæ, per eum in ſæculo manentem procurandum; uti contigit cum S. HENRICO Imperatore.

523 RESP. II. Qui vi, metu, dolo, calumnia, verbo, per injuriam alium a Religionis ingreſſu aut profeſſione impedit, obligatur ad reſarciendum damnum inde proveniens tam candidato, quam Monaſterio ſeu Religioni.

Ra-

Ratio eſt; quia utriusque jura læduntur injuſte; candidatus enim habet jus, ne ab alio per injuriam a bono & ſtatu meliori impediatur. Hinc qui injuriam commiſit, tenetur ante omnia impedimentum tollere, ingreſſum ſuadere &c. Non tamen debet ipſus pro ſeducto Religionem ingredi, quod olim videbatur non nullis; nam vota debent eſſe libera: & profeſſurus divina eo voluntate vocari: conſequenter debet abeſſe omnis coactio. Hic obiter obſervandum; illos excommunicationi ſubjacere, qui fæminas a profeſſione impediunt. Ex TRIDENTINO Seſſ. XXV. cap. 18. *de Regularibus.*

Sed etiam ipſa Religio jus habet, ne quis per injuriam a Religione retrahatur, quod in ipſius cedere præjudicium poteſt: puta ſi Religioſus valde foret utilis monaſterio.

RESP. III. Qui aliquem ab ingreſſu Reli- 524
gionis vel profeſſione absque vi vel dolo, vel alia cauſa injuſta retraxit, non tenetur ad reſtitutionem ipſi candidato faciendam; quia volenti non fit injuria: niſi forte malo conſilio inductus damnum inde patiatur: ubi recolenda, quæ dixi de Participantibus.

Neque etiam, ut multis videtur, reſti- 525
tuere debet Religioni; quia cum ille ante

pro-

professionem voluntatem suam libere mutare possit, Religio nondum jus habet ad ejus utilitatem speratam, quæ ex libero candidati arbitrio pendet: sicque religioni nulla infertur injuria.

526 Sed opponi potest huic rationi, quod, quamvis Religio jus strictum non habeat in ipsum candidatum, videatur tamen habere jus, ne ab alio absque justa causa privetur spe proxima ad utilitatem, e tali candidato sperandam, qui Religionem professurus fuisset, nisi alter suo consilio vel precibus eum abstraxisset. Videtur autem hæc spes pretio æstimabilis. Et certe Religioni nihil interest, utrum per fraudem, vel malum consilium privetur bono proxime sperato, modo re ipsa privetur. Et quamvis in altero casu privetur solum per voluntatem Novitii, id quidem de privatione immediata & proxima verum est; remote tamen, & voluntatis mutatæ causa proxima, est malum alterius consilium, quod cedit in detrimentum Religionis. Quidquid de hoc sit, certum est, talem peccare contra charitatem.

527 Resp. IV. Qui Religiosum jam professum ab ordine vel monasterio vi, dolo, fraude, verbo, per injuriam avocat, utrique restituere tenetur. Utriusque enim jus læditur; quod est reciprocum. Si autem vis vel fraus defuerit, certum est,

nul-

nullam faciendam esse restitutionem Religioso abducto; quia volenti non fit injuria. Est tamen facienda ipsi monasterio; huic enim jus proprie dictum competit in personam Religiosi, quemadmodum Domino in servum, Patri in Filium non emancipatum: & in commoda a Religioso proventura; quia quidquid Monachus adquirit, Monasterio adquirit, etiam post fugam, quæ ipsum votis non exsolvit: consequenter monasterio fit injuria, quando duplici hoc jure privatur, eique damna inde emergentia compensari debent.

OBJIC. Tunc ille ad restitutionem non 528
tenetur, qui cooperatur alterius peccato, quando ipse peccans non peccat contra justitiam, & quando Religiosus, solita officia non præstans, peccat solum contra obedientiam, non contra justitiam: atqui Religiosus nec per apostasiam, nec per subtractionem suarum operarum peccat contra justitiam. Ergo seducens, seu, cooperans, non obligatur ad restitutionem. *Min. prob.* Religio professos suos non tractat ut servos, sed ut filios: atqui filium abducens a domo paterna, non peccat contra justitiam, nec ipse filius taliter peccat, sed solum contra pietatem, non præstans Patri suas operas; quia filii *pietatem* parentibus, non *operas* debent. *Ergo* &c.

RESP.

Resp. Nego *min.* Vere enim peccat contra contractum, quo se obligaverat ad stabilitatem in ordine, vel monasterio: & sicut Religio ex justitia obligatur Religiosum sustentare, sic iste obligatur ad servitia, quorum intuitu fuerat susceptus, præstanda. *Prob.* disting. Non tractat ut servos, in *odiosis* Religioni, *Conc.* In *favorabilibus* Religioni. *Neg.* Religiosi & servi sunt, & filii, pro diverso respectu & casu magis favorabili.

529 Quæritur V. An contra justitiam peccent Capitulares & ad restitutionem teneantur, qui Novitio, post expletum annum profiteri volenti, absque legitima causa vota denegant, sicque a professione impediunt?

Respondent communiter, quod sciam, *affirmative*, ex ratione; quia talis Novitius jus habet ad professionem. Quando enim susceptus, & habitu religioso donatus, & ad tyrocinium fuit admissus, censetur hoc factum cum aliquo contractu, seu promissione conditionata, ut, si per annum probationis se dignum & Monasterio aptum exhibuerit, ad professionem sit admittendus. Atqui talis Novitius ex parte sua conditionem adimplevit, ut supponitur, igitur promissio tunc *conditionata*, & a Novitio acceptata, conditione purificata transit in *absolutam*, sicque habet jus

jus ad professionem: & qui eum hoc jure absque legitima ratione privant, non tantum contra charitatem, ut certum est, sed etiam fidelitatem, seu, justitiam peccant.

Respondent alii *negative*. Ejusmodi enim 530
Novitius sine ulla ratione ante professionem discedens, non peccat contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem damni, quod inde forte monasterio emergit. Ergo nec Monasterium peccat contra justitiam, illum absque ratione dimittendo; quia Religio non magis obligatur Novitio ante professionem, quam Novitius Religioni; cum utrinque aut par sit obligatio, aut utrinque nulla. Aut cur monasterium sit magis obstrictum Novitio, quam hic illi? susceptus fuit ex gratia, cum nullus *determinate* jus habeat ad ordinem vel *hoc* Monasterium, & ad tyrocinium eo fine fuit admissus, ut, si postea Monasterio placuerit, eum etiam corpori suo stabiliter inserat: si noluerit, injuriam non inferat. Aliud foret, si intervenisset expressum pactum, & Monasterium se obligasset, ut post annum admittere velit ad professionem, si dignum se probaverit; tunc enim oriretur obligatio *ex contractu conditionato*.

Excipient *affirmantes*, ejusmodi contra- 531
ctum, saltem *tacitum*, semper intervenire.

re. Ceterum disparem esse Novitii & monasterii causam; ille debet gaudere omnimoda libertate emittendi vota, vel non: quæ libertas non esset integra, si Religio in ipsum ante professionem haberet jus, & ille ex justitia deberet profiteri. Econtra monasterium ideo est fundatum, ut Subjecta debito tempore probata, & per omnia apta, ibidem Deo libere deservire queant; non enim sunt homines pro Monasteriis, sed Monasteria pro hominibus.

Opponent *Negantes*. An ejusmodi contractus *tacitus* semper interveniat, desumi debet ab intentione suscipientium, maxime illis in locis; ubi solus superior vel pauci cum eo suscipere solent, cum tamen ad professionem admittendam vel renuendam quisque Capitularium liberum votum habeat. Ceterum ut Novitius libere profiteri potest; ita etiam Monasterio liberum est, hunc ad- vel dimittere. Sunt quidem Monasteria pro hominibus *quibusdam indeterminate* talibus, sed pro nullo *determinate*, & in particulari. Hæc in utramque partem dicta sint, & Lectoris judicio relicta.

532 Supposito autem, Capitulares absque legitima causa pro solo arbitrio, aliquem dignum a professione impedientes, peccare contra justitiam, QUÆRITUR, quomodo Religiosi taliter læso restituere poterunt?

RESP.

Resp. Duplici ratione. I. Vel illum denuo revocando, &, ſi voluerit, ad profeſſionem admittendo. II. Vel bonis officiis efficiendo, ut, ſi candidato præplacuerit, in alio ordine vel Monaſterio finem ſuum conſequatur. Quid vero, ſi interea & aliud damnum fuerit paſſus in bonis animæ vel corporis; vel fortunæ? *primum* reſarciendum per procurandam converſionem: *reliqua* per æquivalens, ſi tota communitas, bonorum capax, fuerit injuſta cauſa: ſi æquivalens reddi non poteſt, reſtituendum forte per bona ordinis ſuperioris, preces, ſuffragia, ſacrificia, participationem meritorum &c.

§. II.

De Reſtitutione ob damnum, in bonis famæ vel honoris illatum, facienda.

Quod homo dominium ſuæ famæ, adeo- 533
que jus habeat, ne ab alio injuſte lædatur, diximus ſupra num. 130. Fama eſt bona opinio, exiſtimatio, ſeu judicium de alterius excellentia, probitate, vel aptitudine, eaque vel *abſoluta*, vel *relativa* in ordine ad ſocietatem, officia, artes &c. Honor eſt teſtificatio alterius Excellentiæ animo concepta, & ſignis externis manifeſtata. Hinc *fama* conſiſtit in *interiori* judicio: *honor* in *externa* ſignificatione.

Fama læditur potiſſimum per detractionem & calumniam : honor per contumeliam. Eſt autem *detractio* , injuſta læſio vel diminutio alienæ famæ, facta in abſentia alterius ; ſi enim fiat læſo præſente, ſimul eſt *contumelia*. Detractio fit octo modis, qui hiſce verſiculis comprehenduntur.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens :
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſe.

Calumnia eſt falſi criminis vel defectus impoſitio facta abſenti. *Contumelia* eſt injuſta inhonoratio, ſeu, læſio honoris facta perſonæ præſenti, ſive dictis, ſive factis absque juſta cauſa & auctoritate. Hæc tria ex genere ſuo mortalia eſſe peccata contra juſtitiam, niſi parvitas materiæ, vel defectus advertentiæ & voluntarii per accidens excuſet, patet ; quia quilibet jus habet ad famam & honorem ſibi debitum. *Cui honorem, honorem*, ait Paulus, docentque fuſius Moraliſtæ ad octavum decalogi præceptum : *non falſum teſtimonium dices* : ſub quo hæc comprehenduntur.

534 Quæritur I. An reſtituenda ſit fama?

Resp. Fama injuſte ablata eſt reſtituenda ex obligatione juſtitiæ, læſio enim famæ

mæ vera eſt injuria, quæ reparanda eſt, & quidem apud eos omnes, apud quos fuit ablata; nam homo jus habet, ut bene omnes de ipſo ſentiant.

Quæritur II. Quis famam reſtituere de- 535
beat?

Resp. I. Reſtituere debet infamator, & qui cauſa fuit injuſta infamationis: quod patet ex regulis generalibus de *Principali*, & *cooperantibus*. Hinc qui detrahentem audiunt, nec impediunt, cum poſſent: vel probant, incitant &c. eidem obligationi reſtitutionis obnoxii ſunt. Dictum eſt, *cum poſſent*, id eſt, quando prudenter ſperari poteſt, infamatorem ceſſaturum, quod fieri poteſt vel per defenſionem innocentis, correctionem diffamantis &c. Quando quis aperte reſiſtere nequit, tunc aut diſcedendum eſt, aut diſcurſus alio dirigendus, aut ſilentio, indignatione, vel vultus gravitate monſtranda diſplicentia.

Resp. II. Superiores, dum ſubditos ſuos 536
diffamari ſciunt, & non obſtant, cum poſſunt, in locum detractoris ad reſtitutionem tenentur. Nam ſuperiorem inter & ſubditos cenſetur initus fuiſſe contractus, vi cujus ſuperior defendere tenetur jura ſubditorum, inter quæ utique reputatur fama. Hæc ergo ſi fuerit læſa, nec ſuperior obſtet, tunc ipſe agit contra con-

 tractum,

tractum, adeoque injuste, & sic loco infamantis tanquam participans, restituere tenetur. Idque etiam locum habet apud Religiosos, utpote qui jus ad famam habent, nec huic juri per professionem renuntiarunt. Quod si infamia redundet in totam communitatem, tunc, sicut superior est legitimus administrator & defensor jurium communitatis, ita etiam ex officio hoc jus bonæ famæ omnimodo tueri debet.

537 Quæritur III. Quando & quomodo fama injuste ablata sit restituenda?

Resp. I. Reparanda est statim, ex dictis de restitutione in genere. Nam 1. proximus jus habet ad suam famam pro omni momento, sicut ad cetera bona. 2. Restitutio oritur ex præcepto negativo, quod obligat semper & pro semper.

538 Resp. II. Fama injuste læsa redintegranda est apud eos omnes, apud quos fuit ablata. Ratio est evidens; homo enim jus habet respectu omnium, ut bene de se ipso sentiant, & hæc restitutio debet esse efficax. Ubi tamen distinguendum est: vel enim aliquis crimen falsum alteri affinxit. Tunc omnem adhibere diligentiam debet, ut erroneam illam & injustam de proximo existimationem ex omnium auditorum vel lectorum (si diffamatio facta

fuit

fu t in ſcriptis per famoſum libellum) ani- nis evellat, fatendo ſe falſum dixiſſe; etiamſi inde ipſius detractoris infamia ſequatur; quia potior eſt cauſa innocentis. Aut crimen, ſeu defectum verum, ſed occultum, injuſte revelavit alteri, cui non erat cognitum; tunc revocare quidem non poteſt, aſſerendo ſe fuiſſe mentitum: neque enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona; ſed data occaſione laudandus eſt ille læſus vel in alia virtute, vel in genere dicendum, injuriam illi priore diſcurſu fuiſſe illatam. Quamvis enim ille ſuo crimine jus ad famam amiſerit apud illos, quibus erat notorium notorietate juris vel facti; retinuit tamen jus reſpectu illorum, quibus nondum erat cognitum, & qui perexiſſent bene de ipſo ſentire, niſi infamator crimen occultum revelaſſet.

Resp. III. Damna etiam ex diffamatione 539
orta, reſarcienda ſunt, ut patet ex regulis generalibus reſtitutionis. Hinc ſequitur, hæredem infamantis, etſi non teneatur ad reſtitutionem famæ, ſeu palinodiam (cum hæc obligatio ex delicto ſit *perſonalis*, ad hæredem non tranſiens) obligari tamen ex juſtitia ad damna *realia* ex injuſta diffamatione orta; quia obligatio illa erat *realis* in defuncto, quæ non ſolum perſonam, ſed bona ejus afficiebat, & cum ipſo onere ad hæredem tranſit: quemadmodum obligatio ſolvendi æs alienum a defuncto contractum.

Superfluum eſt hic annotare, illum ad compenſationem pecuniariam obligari, qui malam de proximo exiſtimationem injuſta diffamatione aliorum animis ingeneratam evellere non poteſt; quia jam ſupra num. 501. oſtendi, damnum in bonis ordinis ſuperioris illatum, per bona inferioris ordinis reſarcienda eſſe.

540 Quæritur IV. Quænam ſint cauſæ a reſtitutione famæ excuſantes?

Resp. I. Excuſat *valida* diffamati condonatio. Cum enim quisque jus ad ſuam famam habeat, eidem renunciare poteſt, ex dictis de dominio. Dixi: *valida*; non enim valet, quando diffamatio propria redundat in alios, qui proprium & diſtinctum jus habent. E. g. Religioſus in particulari, civis, &c. non poteſt condonare infamiam, quæ in totam communitatem redundat. Nec valet, quando ex diffamatione propria damnum etiam redundat in alterum. E. g. Mulier injuſte proclamata ut adultera, non poteſt condonare reſtitutionem: ſi ex diffamatione filius legitimus, haberetur pro ſpurio. Cum jus legitimitatis filii pendeat ex legitimo partu matris, quæ juri filii quod habet, præjudicare non poteſt.

541 Resp. II. Excuſat impoſſibilitas phyſica, aut moralis, ſi reſtituenti majus oriretur dam-

damnum ex restitutione, quam ipsi diffamato; tunc enim diffamatus rationabiliter non potest petere restitutionem ex dictis num. 508. 513.

Resp. III. Excusat etiam inutilitas, puta, quando detractio fidem apud auditores non invenit: aut crimen verum, prius occultum, ipso jure aut facto notorium redditum est: aut quando fama jam aliunde recuperata fuit, v. g. per sententiam judicis, vel evidentiam rei; quia sic damnum, saltem *reale*, jam censetur fuisse sublatum. Ceterum calumniator ad satisfactionem læso præstandam, & revocationem calumniæ adhuc obligatur, non obstante sententia judicis; 1. quia innocens jus habet, ne ab alio injuste lædatur, & injuria facta compensetur. 2. Quia non obstante sententia judicis, adhuc priorum auditorum animis inhærere posset sinistra suspicio, diffamatum forte fuisse male absolutum v. g. defectu probationum. 542

Quæritur V. An in hac materia locum habeat *compensatio*, seu, an liceat calumniam calumnia repellere jure repressalium? 543

Resp. I. Non licet; nam 1. alteri falsum crimen affingere, semper est intrinsece malum. 2. Hoc medium non est aptum ad redintegrandam propriam famam; ex eo

enim, quod dicam, diffamatorem esse adulterum, non sequitur, diffamatum non esse latronem, quod forte ipsi fuerat objectum. Neque etiam verum crimen *occultum* alteri in compensationem objicere licet; quia est vindicta privata, & malum pro malo Christianis reddere non licet. Hinc notandæ sunt geminæ propositiones ab INNOCENTIO XI. damnatæ 43. *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?* 44. *probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in* THEOLOGIA. Quodsi quis tamen verum alterius infamantis crimen manifestet ad infirmandam fidem calumniatoris, falsum crimen affingentis; utitur solum moderamine inculpatæ tutelæ, adeoque licite se defendit, enervando testimonium falsum: nisi forte & hoc casu majus infamanti, quam prius diffamato, oriatur periculum.

544 RESP. II. Inter eos, qui se mutuo diffamarunt, locum habere potest *compensatio*, quia ex cap. ult. *de adulter. Paria crimina mutua compensatione delentur*: & censetur alter alteri condonare, quod utique possunt. Supponitur autem, parem esse utriusque causam, & damnum æquale: secus qui damnum majus fuisset pas-

sus,

ſus, utique cum minus læſo non eſt æqualis conditionis, quo ſolo caſu compenſatio locum habet, cum ſit *debiti & crediti mutua inter ſe contributio.*

QUÆRITUR VI. An, & quomodo reſti- 545
tuendus ſit honor, per contumeliam læſus?

RESP. I. Certum eſt, honorem ſic læſum eſſe reſtituendum; quia commiſſa fuit injuria; cum alter ad debitum ſibi honorem exhibendum jus habuiſſe ſupponatur.

RESP. II. Honor reſtituendus eſt non 546
tantum coram læſo, ſed coram iis, qui inhonorationi intererant: ſecus honor non reſtitueretur ad æqualitatem, qui apud præſentes fuerat diminutus.

RESP. III. Honor reſtitui debet eo mo- 547
do, qui ſufficere judicatur ad reparandam exiſtimationem læſam, v. g. deprecando injuriam, aliisque externis honoris ſignificationibus, quod ex circumſtantiis particularibus, juxta prudentis viri arbitrium, deſumendum eſt.

§. III.

De Restitutione ob damna, in bonis corporis illata, facienda.

548 Bona corporis consistunt in incolumitate vitæ, integritate membrorum, forma naturali, sanitate, & similibus, quæ lædi possunt vel per occisionem, mutilationem, gravem verberationem, aliudve damnum, sanitati, aut formæ corporis inflictum. Aliud bonum corporis consistit in integritate carnis, eaque vel virginali, vel conjugali, quæ læditur per stuprum, seu, violentam fœminæ oppressionem, vel adulterium. De restitutione ob injurias & damna ejusmodi illata hic differam, illis quæstionibus, quæ de homicidii permissione vel prohibitione tractari solent, ad Theologos morales præcepta decalogi exponentes, amandatis.

549 Quæritur I. Ad quid teneatur, qui alterum injuste occidit, vel mutilavit?

Ante responsionem observandum. Cum in alterius occisione aut mutilatione diversi generis concurrant damna, ea secernenda sunt. Primum ergo damnum est *personale*, seu, *naturale*, quod in ipsa vitæ, membri, sanitatis, aut formæ privatione consistit. Alterum est *spirituale* ipsius animæ, quando occisum non constat de-

cessisse

ceſſiſſe in ſtatu peccati mortalis, & præſumitur, pro ſuis peccatis ſatisfacturus, & multa merita collecturus fuiſſe, ſi diutius vixiſſet; ſic enim revera in bonis ſpiritualibus damnum & injuriam paſſus fuit. Tertium damnum eſt *temporale*, quod ex occiſione vel mutilatione conſequitur, & complectitur 1. impenſas in curatione læſi factas. 2. Lucrum ceſſans propter impeditas operas. 3. Damna quæ inde emergunt hæredibus, aut creditoribus.

Resp. I. Pro damno *naturali* facienda eſt 550
reſtitutio ex dictis N. 501. ſeq. Quia vera alteri illata fuit injuria perſonalis, eoquod jus habuerit ad vitam, membrum, ſanitatem, vel formam, ne iis ab altero privetur. Hæc injuria reparanda eſt, ſi vivat læſus, non ſolum per petitionem veniæ placando offenſum, ſed pro ipſo etiam membro, reſtitutione per bona ordinis inferioris facienda, puta compenſatione pecuniaria juxta æſtimationem prudentum, ex dictis loc. cit.

Resp. II. Damnum *ſpirituale* reſarcien- 551
dum eſt per eleemoſynas, Miſſæ ſacrificia, opera meritoria & ſatisfactoria, ea proportione, qua veroſimiliter ipſe defunctus, ſi injuſte non fuiſſet impeditus, in ejusmodi pietatis officiis ſe exercuiſſet. Ratio patet; quia omne damnum & injuria ad æqualitatem reſtituenda eſt.

Resp.

552 Resp. III. Resarciendum est quoque omne damnum *temporale* & *reale*, quod inde læso, hæredibus, & creditoribus natum est; quia injustus damnificator eorum revera causa extitit, & illa damna prævidere debuit. Itaque

1. Resarcire debet *impensas* in curatione læsi factas, uti sunt expensæ pro medicaminibus, pro Chirurgi & Medici operis, pro cibis propter morbi necessitatem adhibitis, deductis tamen iis, quibus etiam sanus usus fuisset. Pro famulis ægro inservientibus; quia hæc omnia decedunt ex patrimonio læsi & hæredum, utpote cum istæ expensæ faciendæ non fuissent, nisi mutilatio &c. facta fuisset. Ex ratione contraria resarciri non debent expensæ funeris; quia illæ certe aliquando serius aut citius, faciendæ sunt, cum unusquisque aliquando moriturus, & juxta conditionem status, loci, ac personarum consuetudinem, funus curandum sit: nisi forte occasione & acceleratione mortis impensæ fuerint notabiliter auctæ.

2. Resarciendum est *lucrum cessans*, quod damnificatus ex suis operis hausisset, nisi fuisset injuste impeditus. Hinc restitutio quoque facienda est *hæredibus necessariis*, illisque personis, quas defunctus vel damnificatus necessario sustentabat, uti sunt liberi, parentes, conjux. Hi enim succe-

dunt

dunt in omnia jura & bona defuncti, adeoque simul sunt læsi, & necessaria, ipsisque debita sustentatione privati. Dixi, *hæredibus necessariis.* Ceteri enim sicut poterant a testatore excludi a successione, ita etiam jus strictum non habent ad sustentationem. Forte tamen hic æstimatio *spei* locum habet, juxta arbitrium prudentum.

3. Restitutio quoque facienda est creditoribus damnificati, juxta æstimationem, qua ipse damnificatus per suas operas & industriam satisfacturus fuisset, si bona, quæ exstant, ad solutionem non sufficiunt; quia revera damnificans est injusta causa, ne creditores id consequantur, quod ipsis debebatur, & jus habuerunt, ne debitor reddatur impotens ad solvendum. Id tamen, quod creditoribus restituitur, detrahi potest a restitutione hæredibus facienda; quia non successissent nisi in bona, deducto ære alieno residua. Quando hæredibus id omne restitutum fuit, quod ipsis debebatur, & eorum intererat, tam quoad lucrum cessans, quam damnum emergens; tunc damnificator nihil creditoribus debet, quibus satisfacere tenentur hæredes, utpote in eum statum restituti, quo fuerant ante læsionem, ut supponitur.

553 Quæritur II. An, si occisor supplicium luat pro homicidio, aut occisus in agone testetur, se ei condonare, immunis fiat a restituendo?

Resp. quoad I. *Negative.* Ultimum enim supplicium tantum infligitur, ut Reipublicæ & justitiæ vindicativæ satisfiat, non autem ut parti læsæ adimatur jus, quod habet adversus damnificatorem: quemadmodum fur suspensus a restitutione non eximitur.

Resp. quoad II. Fit immunis a restitutione quoad damnum *naturale* & *personale*, non autem quoad damna *realia* hæredibus defuncti obvenientia; quia condonatio censetur solum facta ex charitate Christiana & fraterna, non in præjudicium legitimorum hæredum.

554 Quæritur III. An hæredes damnificatoris in ejus defectum ad restitutionem obligentur?

Resp. Tenentur ad damna *realia*; quia succedunt in omnia jura *activa* & *passiva*. Sicut ergo debent solvere alia debita, ita etiam ista: nisi ab hæreditate abstinere voluerint.

555 Quæritur IV. Ad quid teneatur stuprator virginis?

Ante

Ante Reſponſionem obſervandum, *ſtuprum* ſtricte ſumptum, eſſe violentam corruptionem fœminæ invitæ, duplicem continens malitiam, tam contra caſtitatem, quam juſtitiam. Sumitur autem quandoque in ſenſu laxiori pro corruptione etiam non violenta fœminæ, ſive fuerit virgo, ſive non.

Resp. I. Qui virginem absque vi vel fraude, ſponte conſentientem defloravit, nihil eidem reſtituere debet in foro conſcientiæ; quia volenti non fit injuria: niſi forte ſua garrulitate effecerit, ut factum, quod ſecus manſiſſet occultum, fuerit propalatum, virginique propterea damnum accreverit, cujus ille in hoc caſu injuſta cauſa eſt. Pro foro externo poſt ſententiam judicis adigi poteſt, ut eam, quæ præſumitur virgo, & ſeducta fuiſſe, matrimonio ſibi jungat. Quodſi corrupta præſumptionem falli ſciat, reſtituere debebit, quidquid intuitu falſæ præſumptionis a corruptore perceperat, idque in mea opinione etiam poſtquam ſententia tranſiit in rem judicatam; quia præſumptio ſemper cedit veritati. Quamquam autem nihil reſtituendum ſit puellæ ſponte conſentienti, aliud tamen dicendum de parentibus, ſub quorum erat cuſtodia; his enim ſpecialis infertur injuria, infamia quædam redundat in patrem, & ipſi adcreſcit onus, augendi dotem, ſi filiam corruptam æque hone-

honeſto matrimonio locare velit, quod facile potuiſſet ante corruptionem. Prolem autem ſic ſuſceptam triennio alere debet ipſa deflorata, poſtea corruptor, donec proles ipſa de ſuſtentatione ſibi providere valeat. Si infans fuit expoſitus, & ad hoſpitale, pro pauperibus fundatum, translatus, ibique ſuſtentatus; a parentibus prolis pro ſua rata reſtitutio facienda eſt hoſpitali.

556 Resp. II. Qui ſolis precibus, blanditiis, munuſculis &c. puellam corrupit, ad nihil ei tenetur; quia his modis voluntarium non tantum non minuit, ſed auxit.

557 Resp. III. Qui virginem vi, minisve, aut ſeductione corrupit, absque promiſſione matrimonii, tenetur eam *præciſe* ducere, ſi parentes puellæ, & ipſa vitiata voluerit: ſi parentes eam tradere noluerint, aut ipſa renuat, ſtuprator eam dotare debet, ſeu, præſtare id, quod intereſt: quod poſterius etiam dicendum de eo, qui obſtante ex ſua parte impedimento matrimonium cum illa contrahere non valet.

Prob. I. pars. ex lege divina judiciali V. T. Exod. XXII. 16. Quæ tamen relata & canonizata eſt. cap. I. *de adulteriis & ſtupro. Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormiveritque cum ea, dotabit eam*

eam & habebit uxorem. Si Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Periti critici aliter, quam *vulgata*, priorem partem hujus textus legunt: *desponsando desponsabit eam sibi uxorem.* (SELDENUS apud BÖEHM. de adult.) *eam sibi uxorem ducere properet, seu, festinando festinabit eam sibi uxorem:* Josephus contra Apion. lib. IV. cap. VIII. §. 23. prædictam legem his recenset verbis: *qui vitiat virginem nondum desponsatam, ipse ducat.* Sensus & intentio legis est, ut stuprator *præcise* eam ducere teneatur, nec præbendo dotem liberare se possit: nisi Pater virginis noluerit: prout Lex ipsa exceptionem adponit. Hæc itaque lex cum P. Natali ALEXANDRO H. E. Tom. II. pag. m 193. de eo intelligenda, qui puellam pellexit, seu, absque vi seduxit & corrupit. Hic si corruptam, uxorem ducere, ut debebat, ita permissus fuerit a parentibus, non dabat dotem, ductam tamen libello repudii dimittere impune poterat. Econtra de eo, qui virginem vi corruperat, statuit lex, ut & stupratam ducere teneatur, & mulctam solvere, nec eam unquam repudiare posset. Sic enim legitur Deuteron. XXII. 28. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quin-*

quaginta ſiclos argenti; & habebit eam uxorem: quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ.

558 Prob. II. Ex S. Gregorio M. cap. 2. *de adulteriis & ſtupro.* „ Pervenit ad nos, „ quod Felix quandam virginem ſtupro „ decepit: quodſi verum eſt, quamvis „ eſſet de lege (Romana) pœna ple„ ctendus, nos aliquatenus legis duritiem „ mollientes, hoc modo diſponimus, ut „ aut quam ſtupravit uxorem habeat „ (juxta legem Moyſis) aut ſi renuen„ dum putaverit, corporaliter caſtigatus „ excommunicatusque in monaſterio, in „ quo agat pœnitentiam, detrudatur, de „ quo nulla ſit egrediendi ſine præceptio„ ne licentia. „ Quamvis autem hoc capitulum pro ſe arripiant Adverſarii, indeque inferant, in arbitrio ſtupratoris conſiſtere, an velit vitiatam ducere, aut eam dotare: ſi tamen exactius expendatur, nequaquam illis favet. Nam 1. de *dote* nullus hic ſermo, ſed debet aut uxorem habere quam ſtupravit, aut (ſubintellige, ſi per omnimodam contumaciam adigi non poſſit, ut eam conjugio ſibi copulet) tunc, quia matrimonia coacta non ſolent habere bonum exitum, in ſubſidium ſubeat pœnam detruſionis in Monaſterium. Dixi: *in ſubſidium*; omnium enim legum pœnalium hæc eſt ratio, quod contra multos bene notari velim, ut *abſolute*, & *regula-*

riter

riter in conſcientia obligare velint: *in ſubſidium* autem transgreſſores ad pœnam obligent, ut vel hujus metu ad legis obſervantiam adſtringantur. Itaque S. Gregorius ſtupratorem obligat ad matrimonium, caſu autem quo refractarius illud inire nollet, pœnam dictam in ſubſidium injunxit. Ergo eam abſolute ducere tenetur.

Prob. II. pars. Quod ſtuprator præſtare 559
debeat, quod intereſt, ſi parentes virginem in matrimonium dare noluerint, patet ex citato cap. I. *de adulteriis*. Ratio eſt; quia Parentum revera intereſt, Puellam non fuiſſe vitiatam: conſequenter ille, qui hoc damnum intulit, pro reſarciendo eodem præſtare debet, quod intereſt. Quod autem ad idem etiam obligetur, caſu, quo vitiata ſtupratoris matrimonium renuerit, ratio eſt; cum ipſa ſtupratori nullo modo obligetur ad contrahendum cum eo matrimonium, ad quod ille ſua violentia, aut ſeductione, jus nullum obtinuit, ideo damni injuſte illati compenſationem aliam, ſeu, præſtationem ejus, quod intereſt non fuiſſe vitiatam, jure ab eo exigit, ex regulis generalibus reſtitutionis. Conſequenter ſtuprator ad matrimonium, quod altera juſte renuit, ſe offerendo, ab alia ſatisfactione non liberatur. Exemplum eſt in *Sichemo*, qui Dinam, Jacobi filiam, a ſe corruptam, in matri-

monium legitime petebat a Patre & fratribus ejus, & ex naturali æquitate ad dotem & munera ſe obligatum agnoſcebat, ut legitur Geneſ. XXXIV. 11. cap. „ Inveniam, ait, gratiam coram vobis, & „ quæcunque ſtatueritis, dabo: augete „ dotem, & munera poſtulate, & liben- „ ter tribuam, quod petieritis. Tantum „ date mihi puellam hanc uxorem. „ Nec tamen eam obtinuit. Cap. 2. *de adult.* quod Adverſarii pro alternativa ſtupratoris optione objiciunt, jam fuit expoſitum num. 558.

560 QUÆRITUR V. Ad quid teneatur, qui ſub promiſſione matrimonii, vera, vel ficta, honeſtam puellam conſentientem corrupit?

RESP. I. Qui ſub promiſſione *vera* eam corrupit, tenetur eam *præciſe* ducere; quia interceſſit verus contractus *conditionatus oneroſus*, qui ex juſtitia obligat conditione adimpleta. Atqui ſupponitur, conditionem impletam, h. e. uſum corporis intuitu promiſſi matrimonii conceſſum fuiſſe. Itaque corruptor promiſſis ex juſtitia ſtare debet. Quodſi corrupta urgeat matrimonium, tunc ſtuprator dotem, vel aliam ſatisfactionem pecuniariam offerendo ſe liberare non valet; quia *aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt*, ut ſtatuitur l. 2. §. I. ff. *de rebus creditis.*

Ex-

Excipiuntur non nulli caſus. 1. Si puel- 561
la ſe finxit virginem, nobilem, &c. cum non eſſet; ſic enim injuſte decepit. In injuriis autem datur compenſatio. Reſarciendum eſt tamen damnum ex violatione ſecutum. 2. Si ex tali matrimonio prævideantur gravia mala ſecutura; tunc enim corrupta nuptias ſine ratione petit, ſed compenſatione damni, ſeu, præſtatione ejus quod intereſt, contenta eſſe debet. 3. Si ex parte puellæ poſtea ſuperveniat alia cauſa, ſeu, mutatio, quæ alias licitum reddit receſſum a ſponſalibus: v. g. ſi deflorata poſtea cum alio fuerit fornicata. &c. 4. Si ex parte ſtupratoris aliud poſtea intervenerit impedimentum, v. g. ſuſceptio S. Ordinis.

Resp. II. Quando ſtuprator, qui matri- 562
monii promiſſione *vera* uſum corporis a puella obtinuit, eam paratus eſt ducere, & illa renuit, non tenetur eam dotare.

Prob. I. Ex cap. 41. de R. J. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Atqui hoc caſu non ſtat per ſtupratorem, quo minus non contrahatur matrimonium, ad quod tantum ſe obligaverat. Ergo non debet ei aliud quidquam imputari.

Prob. II. Ex cap. 66. eodem. Cum *non* 563
ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus

conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet. Atqui per talem non ſtat. *Ergo* &c.

564 Prob. III. Sicut creditori invito aliud pro alio ſolvi non licet: ita debitor invitus aliud pro alio ſolvere non tenetur; propter obligationem reciprocam, niſi in contractu ita fuerit ſtipulatum. Sic, debitor *ſpeciei*, v. g. equi, quem reddere paratus eſt, obligari non poteſt ad reddendum *genus*, v. g, pretium æquivalens equi. Atqui in hoc caſu debitor paratus ſupponitur reddere ſpeciem quam debet, nempe contractum matrimonialem, ad quem ſe obligaverat promiſſione. Ergo ad aliud non obligatur.

565 Prob. IV. Vel tenetur ad dotem ex vi *promiſſionis*, vel in *pœnam* corruptionis. Non ex promiſſione; quia dotem non promiſit, ſed ſolum matrimonium: ultra promiſſionem autem ex vi promiſſionis obligari non poteſt. Neque in pœnam corruptionis; hæc enim nec a jure ſtatuta legitur (cap. 1. *de adult.* non loquitur de ſtupratione cum promiſſione matrimonii juncta, & matrimonium *præciſe* præcipit, ad quod illum & ego obligatum exiſtimo) nec a judice infligi poteſt, multo minus a parte. Hic enim par eſt delictum & mutuus in matrimonium conſenſus. Præſupponitur enim, quod puella *libere* in fornica-

nicationem *ſub ſpe* matrimonii conſenſerit. Subjacebit quidem uterque pœnæ in fornicarios ſtatutæ; ad dotandam autem corruptam, quæ nubere contra promiſſionem renuit, deflorator promiſſionem ex parte ſua implere paratus in conſcientia non obligatur ex dictis n. 555.

Resp. III. Qui matrimonium ficte pro- 566
miſit, & uſum corporis ſic obtinuit, debet corruptam, ſi illa velit, abſolute ducere, neque ab hac obligatione, *regulariter* loquendo, per dotis oblationem liberatur. Præter rationes n. 561. ſeq. adductas, quæ cum proportione huc applicari poſſunt,

Prob. I. Puella non conſenſit in copulam carnalem pro *pecunia*, ſeu dote, ſed pro *matrimonio*: ergo hoc eidem *determinate* debetur. cit. l. 2. §. 1. ff. *de rebus creditis*.

Prob. II. Dolus & fraus nulli debet pa- 567
trocinari: atqui promittens, eſt conſtitutus in dolo, qui eidem patrocinaretur, ſi offerendo dotem poſſet ſe liberare a matrimonio. Ergo non poteſt ſe liberare, ſed debet præciſe ducere.

Prob. III. Qui alterum injuſte decipit, 568
ſub ficta promiſſione aliquid ab eo extorquendo, lædit jus, quod alter habet, ne

per fictionem decipiatur: consequenter debet jus læsum reparare, ponendo *verum* consensum, & complendo contractum conditionatum, quia conditio ab altera parte jam fuit purificata. Quando autem ponitur *verus* consensus, tunc utique jam adest obligatio, *absolute* ducendi corruptam. *Ergo* &c.

569 Dixi: *regulariter*. Nam sunt casus excepti. e. g. Quando puella fictionem facile potuit advertere ex verborum ambiguitate & magna conditionis disparitate, ut si illa sit ex plebe & inops, alter magnæ nobilitatis & multarum opum &c. tunc, ut ait S. THOMAS 4. d. 28. a. 2. ad 4. „ Non tenetur ducere, si sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit; quia præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. „ Hinc prævidere debuit, non adesse animum serium, & deceptionem sibi ipsi imputare debet: modo eidem damnum honeste, & quanti interest, per corruptorem compensetur.

570 RESP. IV. Si stuprator, qui ficte promisit, corruptam *serio* dehinc velit ducere, & illa renuat, ad eam dotandam non obligatur, quando uterque paris est conditionis; tunc enim fictione deposita & correcta, adest *verus* consensus, nec puel-

la

la plus ab eo petere poteſt, quam ad quod ſe antea *ficte*, nunc, ut debet, *vere* obligat: ſicut plus ab eo petere non potuiſſet, ſi mox ab initio promiſſio non *ficta*, ſed *vera* fuiſſet. Faciunt huc probationes eædem, quæ pro *vere* promittente n. 562. ſeq. adductæ fuerunt.

Resp. V. In utroque caſu, ſive ſtupra- 571
tor ficte, ſive vere promiſerit, puella corrupta ad matrimonium cum eo contrahendum invita cogi non poteſt, niſi illa viciſſim repromiſerit.

Ratio eſt, quia, ut ſupponitur, illa ſe tantum obligavit ad uſum corporis præſtandum, corruptor autem ad matrimonium: conſequenter fuit contractus innominatus: *do ut des*, vel, *facio ut facias*: præbeo uſum corporis, ut tu te mihi tradas in matrimonium, ſi mihi poſtea placuerit. Cum ergo illa conditionem ex parte ſua adimpleverit, ad nihil aliud tenebitur ſi conditionis adimpletionem ab altera parte petere noluerit; quia in matrimonium non illa ſe obligavit, ſed alterum ſibi obligatum habet: conſequenter in arbitrio eſt corruptæ, an illud acceptare velit, vel non, quamvis ſtuprator *abſolute* teneatur. Secus corrupta eſſet multo deterioris conditionis, & *duplum* deberet, nempe & uſum corporis antea, & poſtea matrimonium; cum tamen ſtupra-

tor tantum deberet *ſimplum* : nempe ſolum matrimonium. In contractibus autem onerosis utrinque proportionaliter *æqualis* debet eſſe obligatio.

572 QUÆRITUR VI. Ad quid teneatur, qui ſub promiſſione matrimonii conſanguineam violavit?

RESP. I. Quando ſtuprator quidem ſcivit, corruptam eſſe conſanguineam, hæc autem conſanguinitatem ignoravit, &c, quando impedimentum eſt tale, in quo diſpenſare aut non poteſt, aut non ſolet Pontifex; tunc ob impoſſibilitatem ad matrimonium non tenebitur, ſed ad præſtandum quod intereſt, ut damnum, injuſte illatum, ex æquo reſarciatur. Quando vero impedimentum eſt tale, in quo diſpenſare ſolet Pontifex, ſaltem ex gravi cauſa interveniente; tunc ad petendam & impetrandam ſuis ſumptibus diſpenſationem, & hac ſecuta ad matrimonium cum ea contrahendum obligatur; quia ad id ſe obligavit, quod implere poterat, & debuerat, ſuppoſita diſpenſatione, quam prævidit poſſibilem, & ad quam procurandam ipſo facto ſe obligaſſe præſumitur.

573 RESP. II. Quando corrupta conſanguinitatis impedimentum ſcivit, & in copulam ſub ſpe matrimonii conſenſit, tunc ſi impedimentum tale eſt, in quo poteſt, &

(ex-

(extra casum scientiæ complicum) dispensare solet Pontifex, adhuc stuprator ad petendam dispensationem, & ea impetrata, ad matrimonium contrahendum obligatur; ex ratione n. præc. allegata. Talis enim puella ex parte sua conditionem implevit, & urgere potest compartem, ut & ille ex parte sua adimpleat promissionem, quod supposita dispensatione potest, ad quam impetrandam se ipso facto obligavit. Dixi: *in quo dispensare solet extra casum scientiæ complicum.* Raro enim dispensat, quando complices *cum scientia* impedimenti, & in fraudem peccant.

Resp. III. Si corrupta consanguinitatem 574
scivit, & ignorare non potuit, in tali impedimento Pontificem dispensare non solere; tunc idem dicendum quod n. 569. de puella, fictione quam facile potuit & debuit advertere, decepta. Et hoc casu ad matrimonium non obligabitur stuprator: modo præstet deceptæ quod ejus interest; potuit enim illa præsumere, quod ficte promittens matrimonium sine spe contrahendi, saltem damnum corruptæ emergens compensare velit, adeoque sub hac conditione usum corporis præbuit, quam ille ex parte sua adimplere debebit, eoquod etiam corrupta ex sua parte præstiterit id, ad quod se obstrinxerat.

Nunc

575 Nunc dicendum reſtat *de adulterio*. Hoc quidem *jure Canonico*, & quantum *forum conſcientiæ*, ſeu reatum peccati ſpecie diverſi, attinet, ſemper committitur, quoties alteruter fornicantium vinculo matrimonii ligatus eſt: *jure* autem *civili* tunc ſolum, quando aliena uxor a viro non ſuo, ſive fuerit ſolutus, ſive etiam conjugatus, violatur, cum hoc jure ſolum attendatur commixtio ſanguinis & incertitudo prolis, & alienæ hæreditatis defraudatio, quod non contingit, niſi per partum nuptæ. Quia ergo etiam hic non conſidero reatum culpæ, quod faciunt Moraliſtæ ad materiam de præceptis decalogi &c. ſed damna inde ſecuta in ordine ad reſtitutionem; ideo loquendum de adulterio quoad iſtum effectum.

576 Quæritur VII. Ad quid teneantur adulteri?

Resp. I. Quando ex adulterino concubitu nec partus, nec damnum reale ſecutum fuit, ad reſtitutionem realem adulter non tenetur: niſi delicto cognito ad ſatisfactionem, pro injuria perſonali marito adultero præſtandam: licet poſt ſententiam judicis teneatur ad pœnas ſuſtinendas: quæ omnia per ſe patent. Ubi enim nullum damnum reale, ibi nulla eſt reſtitutio realis præſtanda. Hoc intelligi volo, quando nupta in adulterium conſenſit. Quod

ſi

ſi violenter fuerit corrupta, nec tamen partus ſecutus; tunc quia utrique alieno conjugi injuria multo gravior irrogata fuit, etiam ſtuprator ad ampliorem ſatisfactionem utrique præſtandam obligabitur, juxta pretium æſtimationis jurium læſorum.

Dixi: *quando nec partus, nec damnum* 577
reale fuit ſecutum. Si enim v. g. propter adulterinum concubitum uxor fuerit impedita, quo minus ex ſuo marito legitimo conciperet, viroque ſuo hæredem pareret; tunc juxta pretium æſtimationis damni, adulter viro legitimo præſtare debebit, quanti ejus intereſt, arbitrio prudentum: quod patet ex Regulis generalibus compenſandi damnum *reale*, injuſte datum.

Resp. II. Si proles ex adulterio nata ſit, 578
tenetur adulter ab anno tertio, & deinceps, eam alere. Primo autem triennio mater, ut eſt generale in concubitu fornicario.

Resp. III. Tam adulter, quam adultera, 579
tenentur *in ſolidum* compenſare omnia damna, marito & legitimis hæredibus ob ſuſtentationem prolis ſpuriæ ſuppoſitæ: vel hæreditatis partitionem, munuſcula, legata, &c. obvenientia. *Eſt commun.* quia uterque æque principalis eſt cauſa horum damnorum: niſi forte alteruter adulterorum

rum vi, aut dolo, aut metu gravi, fuisſet inductus; tunc inducens principaliter obligatur.

580 Resp. IV. Quando dubitatur, an proles nata ſit ex concubitu cum adultero, aut cum legitimo conjuge; tunc ſi probabilius eſt ex adultero, tenetur uterque ad compenſanda omnia damna: & quidem pro ratione majoris vel minoris dubii, judicio prudentum, quod

Prob. I. In dubio, quale hic eſt, innocentis conjugis conditio melior eſt, videturque iniquum, ut ille totum debeat ſubire onus ſuſtentandæ prolis, probabiliter non ſuæ, nihilque contribuat adulter; cum æque probabile ſit, ipſius eſſe prolem.

581 Prob. II. Adulter ſua actione injuſta cauſa eſt, ut proli incertæ a marito præbeantur alimenta, velut certæ: hoc ipſum autem periculum nocumenti pretio æſtimabile eſt. *Ergo.*

582 Prob. III. Adulter ſua actione injuſta eſt cauſa hujus nocumenti: ergo debet luere periculum, in quod voluntarie ſe conjecit, & quod prævidere debuit.

583 Prob. IV. Quando duo certant de damno vitando rationibus æque probabilibus; tunc utique ex naturali æquitate potior

eſt

eſt conditio innocentis: atqui in hoc dubio uterque, tam maritus, quam adulter, certant de damno vitando, quod oritur ex ſuſtentatione prolis dubiæ. Ergo potior debet eſſe conditio mariti innocentis, quam adulteri: etiamſi forte proles non ſit ſua; quia hic cauſam poſuit, ex qua per ſe debuiſſet ſequi effectus, ſeu, generatio prolis ſpuriæ.

Prob. V. Sicut univerſim in materia re- 584
ſtitutionis, ita etiam hic, attendendum eſt ad dictamen naturalis rationis, quid in pari caſu fieri vellet adulter, ſi ipſe foret innocens, & ab alio conjiceretur in periculum ſuſtentandi prolem dubiam. Ipſe utique vellet hoc periculo carere. Ergo etiam ita ſentiat de innocente. Quod enim ſibi quis fieri vult, vel non fieri, id etiam alteri faciat, vel non faciat.

Objic. Contra hanc Reſponſionem IV. 585
I. Nemo tenetur ſolvere, priusquam oſtendatur debitor: atqui, in dubio, adulter non oſtenditur debitor. *Ergo* &c.

Resp. *Diſt. maj.* Priusquam oſtendatur debitor, quando probatio debiti facienda eſt a Creditore. *Trans.* Quando ipſi debitori præſumto incumbit probatio, ſe non eſſe debitorem. *Nego.* In hoc enim caſu, qui crimen *certum* commiſit, ex quo *per ſe* ſequi potuit damnum, ille probare debet,

bet, damnum non fuiſſe ſecutum, ſeu, prolem non eſſe ſuam. Sic, qui ad comburendam domum tales actiones poſuit, ex quibus naturaliter debuerat ſequi incendium, ille utique probare debet, incendium non ex ſua actione, ſed aliunde ſecutum fuiſſe: cum nimis fortes contra ipſum militent præſumptiones. Ita etiam hic. Dixi *trans.* pro foro enim *interno* abſolute negari poteſt; cum ſolum pro foro *externo* major propoſitio locum habere videatur.

586 Objic. II. In dubio melior eſt conditio poſſidentis: atqui adulter illud poſſidet, ex quo deberet prolem dubiam ſuſtentare & dubia damna compenſare. *Ergo* &c.

Resp. *Diſt. maj.* Niſi certo conſtet de actu, ex quo *naturaliter* debuerat ſequi, & præſumitur damnum fuiſſe ſecutum. *Conc.* Secus. *Neg.* & retorq. Atqui etiam innocens maritus illud poſſidet, ex quo alere deberet prolem dubiam. Potior eſt autem conditio poſſidentis *innocentis*, quam *injuſti* damnificatoris. Etiamſi enim damnum non ſit certum, certa tamen eſt actio injuſta, ex qua præſumitur ſecutum fuiſſe damnum.

587 Objic. III. Si in hoc dubio adulter tenetur ad ſuſtentationem, tunc proles teneretur credere, ſe illegitimam aut du-

biam

biam esse. Atqui hæc non tenetur se credere spuriam, etiamsi id mater asserat. *Ergo* &c.

Resp. Nego *seq. maj.* Quantum enim ad jus *personale* prolis, hæc ex dispositione juris tamdiu præsumitur legitima, donec demonstretur ipsi illegitimitas; ita, ut nec matri asseveranti credere teneatur. Econtra adulter in se suscipere debet probationem, prolem non esse suam. Quamdiu ergo istud probare nequit, debitor est, & maritus in possessione suorum bonorum manet.

Quæritur VIII. Ad quid in specie te- 588
neatur adultera, quæ scit prolem spuriam?

Resp. I. Regulariter loquendo non tenetur adultera fateri suum crimen, nec facile ad id obliganda est. Ordinarie enim nihil prodest, & plurimum obesse potest. Vel enim revelaret marito; tunc id fieret cum maxima sua infamia, cum periculo pœnæ capitalis, aut odii perpetui, vel etiam suæ occisionis. Vel revelaret filio; atqui iste credere non tenetur, & *ordinarie* præsumi non potest, tantæ illum fore æquitatis, ut ab hæreditate, quæ ipsi pro foro *externo* denegari non potest, abstinere vellet. Vid. cap. 9. *de pœnitentiis.* Neque etiam consulen-

dum est, ut adultera ante obitum convocatis omnibus filiis dicat: unus ex vobis spurius est: vultis, ut manifestem? quod suo tempore Avenione contigisse testatur ALCIATUS, sicque filios invicem sibi condonasse & spurium indeterminatum ex æquo ad hæreditatem admisisse. Quisque enim sibi timebat, ne in ipsum sors spurii caderet, sic autem etiam legitimo gravis injuste incutitur timor, quia exponitur suspicioni illegitimitatis; cum facile posset habere quædam lineamenta, quæ Patris vultum non referant.

589 Dixi: *regulariter*. Excipiuntur enim non nulli casus, ubi adultera tenetur fateri suum crimen & 1. si uxor jam ante famam suam perdiderat; quia tunc ex confessione criminis tam grave damnum non sequeretur: nisi forte ex hac nova infamia novum gravissimum ei oriretur malum, e. g. in aliqua provincia adulterium iteratum ultimo supplicio esset plectendum. Tunc mulier de primo adulterio jam diffamata, non teneretur manifestare secundum, ob gravissimum periculum vitæ. 2. Quando moraliter certo sperari potest, filium spurium, cognita sua illegitimitate, hæreditate abstinere velle, sicque damna cohæredibus imminentia avertenda fore: quod tamen in praxi raro eveniet. 3. Quando agitur de bono reipublicæ, seu, communitatis; v. g. si spurius haberetur

pro

pro primogenito, & in regimine ſuccederet, unde forte ob perditos ejus mores, aut deſiderium diſſeminandæ hæreſeos, graviſſimum reipublicæ immineret damnum, quod tamen manifeſtatione adulterii averti poſſet; tunc non tantum cum ſua infamia, ſed etiam cum periculo vitæ ſuum crimen fateri teneretur adultera; utpote cum damnum ipſius proprium minus æſtimandum ſit tanto damno reipublicæ.

Resp. II. Adultera tenetur compenſare 590
omnia damna marito, ceterisque filiis legitimis obvenientia ex eo, quod ſpurius pro legitimo fuerit habitus, ſuſtentatus, & cohæres exiſtat. Quod facile patet ex dictis. Hæc autem compenſatio fieri poteſt variis modis. 1. Ex ſuis, quæ forte habet, bonis propriis, ſeu paraphernalibus, marito, aut filiis tantundem largiendo, vel per modum prælegati relinquendo, quantum ex illorum bonis ad ſpurii ſuſtentationem abſumtum fuerat. 2. Quando bona propria non habet, tunc debet, ſi poteſt, perſuadere ſuo marito, tanquam Patri putativo, ut plura aſſignet bona legitimis, quam ſpurio, quem ille pro legitimo habet. 3. Aut ſtudeat inflectere animum ſpurii, ut ingrediatur Religionem bonorum incapacem, ut ſic hæreditas ſalva maneat legitimis: modo hoc libere faciat, & Religioni aptus ſit, atque ad eam vocatus videatur. 4. Rem domeſticam, ſeu

oeconomicam majore ſolicitudine ac induſtria curet, atque creſcere faciat, quidquid poteſt de ſuperfluis v. g. ornamentis, veſtium ſumptibus, quibus alias licite uteretur, ſibi ſubtrahat, ut ſic patrimonium, filiorumque hæreditas augeatur. Plura alia media pro perſonarum ac rerum circumſtantiis ſuppeditabit prudentia confeſſarii & conſcientiæ compunctæ teneritudo, atque firmus ſatisfaciendi animus. Quod ſi nihil horum ſuppetat: tunc reſtitutio cenſetur *moraliter* impoſſibilis, damnificati non erunt rationabiliter inviti, atque adultera a reſtitutione excuſabitur.

591 Quæ vero dicta ſunt de filio ſpurio, a proportione intelligenda etiam veniunt de eo, quem uxor improlis, aut hærede maſculo deſtituta, ſibi ſuppoſuit tamquam a ſe natum, ne hæreditas ad extraneos devolvatur. His enim cum defectu proximioris hæredis jus ſuccedendi habere ſupponantur, gravis injuria irrogata, & reſtitutio facienda eſt, quæ reſpective facilior erit; cum hæres putativus, qui ſupponitur ex alio matrimonio legitimus, tanta damna non incurrat, quanta ſpurius, qui jus habet, ut pro foro externo ceu legitimus habeatur, talemque ſe ipſum bona fide credit.

§. IV.

§. IV.

De Reſtitutione facienda ob damna in bonis fortunæ illata.

Per *bona fortunæ* intelliguntur res illæ, 592
quæ in cujusdam patrimonio ſunt, & legitimo titulo poſſidentur, ſive ad vitæ ac ſtatus ſuſtentationem neceſſariæ ſint, vel ſuperabundent: ſive actu poſſideantur, ſi quis jus ad illa habeat. Hinc involvunt jus *in re*, & *ad rem*. Injuria in his bonis illata fit per generalem injuſtitiam furti, quæ complectitur omnes damnificationes, ſeu, actiones & omiſſiones, quibus damnum in ejusmodi bonis alteri injuſte infertur, ſive rem ejus uſurpando, recipiendo, detinendo, ſive deteriorando, ſive exigendo, quod non debetur, ſive non præſtando, quod debetur ex juſtitia. Porro damnum hujusmodi, quomodocunque illatum, ad æqualitatem reſarciendum eſſe juxta vires, & ex hactenus dictis, & ex Regulis generalibus per ſe patet. Et hæc obligatio *per ſe* loquendo gravis eſt, niſi excuſet parvitas materiæ: ubi tamen obligatio levis ſaltem intercedit. Hic ante omnia

Quæritur I. Quænam in genere ſit quan- 593
titas, grave peccatum furti conſtituens, & gravem reſtituendi obligationem inducens.

Resp. I. Quamquam in hac materia diversissimæ sint auctorum sententiæ, nec facile ac expeditum sit, regulam generalem statuere, propter temporum, personarum, locorum, & pretiorum circumstantias variantes; videtur tamen in genere, eam esse materiam furti gravem, & parere obligationem restituendi, quando Dominus rei ablatæ seu damnum passus est, aut præsumitur rationabiliter invitus, & sub gravi restitutionem prudenter exigit. Cum enim malitia furti consistat in injuria, bonis alterius illata: injuria autem desumatur a gravi, vel levi indignatione aut dolore injuriam passi; hinc merito furtum & damnum grave dicitur illud, quod vel maxime invite alter sustinet, & sibi compensari impense cupit: quemadmodum a restitutione immunem in genere dixi illum, quando prudenter præsumitur, damnificatum rationabiliter eam non exigere, aut non esse invitum, si omittatur, aut differatur. Sed hic nova oritur

594 Quæstio II. Quandonam, & contra quantam summam damnificatus prudenter præsumi debeat rationabiliter esse invitus, & restitutionem postulare?

Resp. II. Tunc damnificatus generaliter loquendo judicari debet rationabiliter invitus, & exigere sub gravi restitutionem, quan-

quando ei talis aufertur quantitas, quæ ipſi ad ſuam ſuſtentationem unius diei, ſtatui ſuo convenientem & conſuetam, *ordinarie* ſufficit, etſi habeat aliunde quo vivat, nec iſta determinata quantitate, ei ablata, tunc indigeat. *Ita quoad rem communis.*

Prob. Quando aliquis privatur utilitate notabili, & neceſſitate quotidiana, cum ratione graviter indignatur: jactura enim notabilis utilitatis infert grave damnum, & cauſat animi dolorem proportionatum. Sed qui privatur quantitate ad victum unius diei ſibi ſufficiente, privatur utilitate notabili, & neceſſitate quotidiana. Ergo tunc cum ratione graviter indignatur. Hoc generaliter intelligendum eſt de hominibus frugalibus, & rerum ſuarum, ut prudentem decet, ſolicitam curam gerentibus. Etſi enim unus vel alter in particulari prodigus, unius diei victum non curet, conſequenter non ſit de hac jactura invitus, iſti pauci non ſunt curandi; quia Regula generalis debet deſumi a *communiter* fieri ſolitis. Hinc P. Antoine & continuator Tournellii ſummam *abſolute*, & reſpectu omnium, etiam Regum, gravem, ſtatuunt tres libras, ſeu, ſesqui florenos germanicos, id eſt, unum thalerum, aut 90. crucigeros; eoquod Princeps 10. aut 12. milites hac ſumma ſuſtentare valeat, qui vitam ſuam pro eo exponant,

vel unum militem alere queat per plures dies. Jam vero magni momenti vel ab ipſo Rege ejusmodi corporis cuſtodia æſtimatur. Alii cum LAYMANO ſummam *abſolute* gravem ſtatuunt duos, aut tres aureos, ita ut hæc ſemper conſtituat furtum grave, & gravem inferat reſtitutionis obligationem.

595 Forte medio tutiſſimus ibit, qui pro ſumma abſolute gravi conſtituat unum aureum, ſeu, ducatum, etiam reſpectu Principum & Regum; etſi enim Rex ſe, ſuam familiam, aulamque, uno aureo per diem ſuſtentare nequeat; hic tamen reſpiciendum eſt ad ſolam perſonam Regis, cui pro ordinario frugalique menſa, ſeu, victu, aureus certo ſufficit, & ſæpe ſuperfluit. Hic autem aureus, vel alia quantitas determinata, non computari debet *mathematice*, quaſi ſtatim fieret materia levis, ſi vel unus aut duo crucigeri deficerent de integro aureo: ſed computari *moraliter*. In ejusmodi enim rebus parum reputatur pro nihilo, & quæ parum diſtant, nihil diſtare cenſentur.

596 RESP. III. Quantitas *reſpective gravis*, deſumenda eſt a conditione ſtatus, modoque vivendi ordinario, ac prudenter oeconomico illius, qui damnificatur; quod enim reſpectu unius leve eſt, illud in conſideratione ad alterum, reputatur, & eſt

est grave damnum. Hinc si absolute, & respectu Regis etiam opulentissimi, unus aureus constituit materiam gravem, tunc respectu alterius, qui de suis redditibus non nihil splendide vivit, sufficient tres floreni; hic enim pro sua persona satis commode per diem unum vivere potest. Qui ita de redditibus suis vivunt, ut parum aut nihil post omnes annuas expensas supersit, sufficiet minor quantitas ad constituendam materiam gravem, v. g. floreni duo. Quoniam vero inter eos, qui manuum suarum labore, aut industria vivunt, magna est diversitas, hinc etiam quantitas non eadem statui potest. e. g. Mercator, qui ordinarie plus lucratur, nec tam intense laborat, graviter tamen invitus præsumitur, si unus ei auferatur thalerus vel florenus. Civis Mechanicus melioris sortis, qui forte tamen vix lucratur florenum per diem, aut eo ad sustentationem non indiget, utique de ablato floreno certe est rationabiliter invitus. Opifices minores prudenter conqueruntur de medio floreno: operarii de viginti crucigeris: mendicus de paucis nummis. Hoc multo magis dicendum, si opifici auferatur instrumentum de se levis valoris, v. g. acus, pennicillus &c. Cujus tamen defectu a suo labore, atque adeo ab adquirenda unius, aut plurium dierum sustentatione impeditur, quod certe damnum grave in effectu computatur. Cete-

rum res in hac materia ultimato pendet ab arbitrio Viri prudentis, qui personarum, locorum, temporum circumstantias perpendet, & considerato dictamine naturali, quando, & quod quisque sibi prudenter ab alio restitui vellet, si esset in ejus loco, hoc tunc & ille faciet, aut faciendum judicabit.

597 Quæritur III. Quomodo, & quando facienda est restitutio propter damnum, per furta minuta successive illatum?

Resp. I. Cum furta minuta successive grave inferant damnum, tunc erit furtum grave, & gravis obligatio restituendi, quando auferens advertit, se respectu creditoris notabilem complere quantitatem; quia tunc voluntarie & advertenter damnum eidem infert respective grave, ut communis est Doctorum sententia: qui tamen advertunt, quanitatem paullo majorem requiri ad furtum grave, ex minutis successivis coalescens constituendum, quam sufficeret ad grave furtum rei simul ac semel ablatæ; quia Domini ordinarie non solent adeo rationabiliter esse inviti. Hinc Domestici, liberi, Religiosi, esculenta aut poculenta subtrahentes, non tam cito graviter peccant per furta minuta, quantum peccaret extraneus, qui simul eandem quantitatem auferret: aut quantum peccarent ipsi domestici, si simul

ean-

eandem quantitatem auferrent, aut extraneis donarent; eoquod censeantur Domini &c. minus inviti, aut potius inviti contra modum clancularium. Ceterum restitutionem faciendam esse ob furta minuta, patet ex propositione ab INNOCENTIO XI. damnata ordine 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

RESP. II. Qui per furta minuta non uni, 598
sed pluribus, successive graviter nocuit, debet quidem, si fieri potest, restituere singulis, ut postulat justitia commutativa: si hoc fieri nequit; restitutio facienda est communitati; quia huic per levia singulorum damna grave accrescit damnum. v. g. Mercator defraudans in pondere & mensura, aut rerum pretio, debet, si potest, restituere singulis. Quodsi fraudatos ignoret, in pauperes loci eroget, aut alia ratione communitatis bona compensabit, juxta arbitrium viri prudentis, aut experti confessarii, vel Parochi.

QUÆRITUR IV. Quomodo restituat Re- 599
ligiosus, qui peccavit non solum contra votum paupertatis, sed etiam contra justitiam v. g. dissipando bona monasterii contra voluntatem superioris, vel res Monasterii sibi aut consanguineis injuste applicando?

RESP.

RESP. Cum Religiosus nihil habeat, & quidquid adquirit, monasterio adquirat: hinc *proprie* restituere non potest, quia restitutio facienda est ex propriis & alias indebitis. Supersunt tamen varii modi. 1. Si apud consanguineos, aut alios efficiat, ut monasterio liberales se exhibeant, quod sine ejus interventione non fecissent. 2. Si parcius vivat, quam alias licite posset, sibique subtrahat non solum superflua, sed etiam quædam non *absolute*, sed tantum *convenienter* necessaria. 3. Si depositum, quod ex licentia Superioris habet, non impendat ad suam commoditatem, aut utilitatem, sed ad bonum monasterii. 4. Si manuum labore, aut ingenii industria extraordinaria monasterio prodesse, & damnum illatum compensare curet. 5. Si denique supererogatoriis pietatis exercitiis, aut suffragiis, studeat monasterio divinam benedictionem pro compensatione damni impetrare &c. prout cuique prudens & timorata conscientia dictabit, aut solicitus confessarius injunget. Idem cum proportione dicendum de furtis ac restitutione liberorum, conjugum, &c. quando bona castrensia aut propria non habent. Si enim habent, dicendum est juxta regulas generales, passim hoc tractatu inculcatas.

600 QUÆRITUR V. An qui in extrema necessitate aliquid subripuit, illa cessante ad compensationem obligetur?

RESP.

RESP. I. Talis non peccat, nec furtum committit; in extrema neceſſitate omnia fiunt communia, ſaltem quoad uſum: cum quisque naturale jus, & obligationem habeat, ſuam, ſuorumque vitam a Deo conceſſam per media ordinaria ad hoc inſtituta conſervandi. 2. Ipſa diviſio rerum fieri non potuit, niſi excepto caſu extremæ neceſſitatis; hoc enim caſu in diviſionem nemo conſenſit. 3. Alter non eſt rationabiliter invitus: quod requiritur tamen ad hoc, ut furtum committatur. Iſtud autem extendi non debet ad neceſſitatem *gravem*; nam damnata eſt ab INNOCENTIO XI. propoſitio ordine 36. *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

RESP. II. Talis ad reſtitutionem non te- 601
netur, quando rem conſumpſit; quia *ſuum* conſumpſit, ut ait S. THOMAS 2. 2. q. 66. a. 7. ad 2. „ Per talem neceſſitatem efficitur *ſuum* id, quod aliquis accipit ad „ ſuſtentandam propriam vitam. „ 2. In hoc caſu talis eſt bonæ fidei poſſeſſor, qui ad reſtitutionem non tenetur ex dictis N. 347. & ſeq. Dixi: *ſi rem conſumpſit.* Si enim neceſſitate transacta adhuc exſtet, v. g. equus ad fugam neceſſarius, reſtituendus eſt, quia ſic tantum indigebat uſu, non autem proprietate rei. Excipitur quoque res accepta *ex contractu*; tunc enim obligatur ex vi contractus

ad

ad æquivalens, & extrema neceſſitas tantum erat cauſa *differendi* reſtitutionem, non ab ea plene *eximens*. Item ſi quis tempore extremæ neceſſitatis habuiſſet bona in alio loco; quia tunc neceſſitas extrema non erat ſimplex & *abſoluta*, quæ ſola res facit communes, ſed erat tantum *reſpectiva*, & alter ſolum fuiſſet obligatus ad mutuandum.

CAPUT VII.

De contractibus in genere.

602 Ampliſſima eſt contractuum materia, quæ utroque jure, atque in Theologia morali fuſe pertractatur. Quare illa hic præcipue attingam, quæ forum conſcientiæ ſpectant, ceteris ad Juriſconſultos & Theologos Morales amandatis. Itaque §. I. dicam quædam generalia de contractibus, & cauſa efficiente, ſeu, perſonis contrahere valentibus. §. II. De cauſa formali, ſeu conſenſu, & contrariis, puta errore, dolo, metu. §. III. De effectu contractuum, maxime accedente juramento.

§. I.

De generalibus contractuum, & perſonis contrahere valentibus.

603 PACTUM in genere definitur, quod ſit duorum vel plurium in idem placitum con-

ſenſus. Aliud eſt *nudum*, aliud *veſtitum*. Prius eſt, quod nec *nomen* habet, nec *cauſam*, nec vim producendi actionem. Alterum, quod quidem nomine & cauſa caret, vim tamen habet producendi actionem. Quod iterum eſt duplex: *legitimum*, vel contractui incontinenti *adjectum*. Pactum veſtitum legitimum eſt, cui vis producendi actionem ab ipſa lege inditum eſt: v. g. pactum dotis, pactum donationis &c. Contractui incontinenti adjectum eſt, quod alteri contractui additur, eandemque parit actionem, quam ipſe contractus, cui incontinenti adjicitur. v. g. Vendo alteri librum pro determinato pretio, adjecto pacto, quod meis ſumptibus illud compingi faciam. Tunc vi hujus pacti competit emptori actio empti, qua me adigere poteſt ad procurandam libri compacturam. Utrumque tam nudum, quam veſtitum, dividitur in *promiſſorium*, quo aliquid promittitur, novaque obligatio inducitur: in *liberatorium*, quo debitori obligatio remittitur: in *reſtitutorium*, quo obligatio, pacto liberatorio remiſſa, denuo reſtituitur, ſeu inducitur.

Pacta nuda apud Romanos obligationem 604
civilem, & actionem non producebant, ne ob nimiam eorum frequentiam, & promittendi facilitatem; multiplicarentur lites; pariebant tamen obligationem naturalem, ſeu, pro foro conſcientiæ, ut patet

tet ex l. 1. ff. *de pactis* l. 84. §. 1. ff. de R. J. *Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.* Quod multo magis dicendum est de jure Canonico, quod maxime obligationem conscientiæ attendit. vid. cap. I. *de pactis.* An jure Canonico ex pacto nudo competat actio, Jurisconsulti viderint. Hodie cum omnia pacta sint *vestita*, hinc producunt *condictionem ex moribus.* Germani illam Romanorum subtilitatem nunquam receperunt, sed ob innatam fidem æque pactis *nudis* obligationem & actionem afferebant. Hinc illa paræmia: ein Wort ein Wort, ein Mann ein Mann, seu, vir bonus ex solo verbo obligatur. Sicut vero pactum nudum promissorium jure naturæ obligationem inducit, ita liberatorium eam eodem jure tollit.

605 Alia est divisio pacti in *pactum* specifice dictum, & in *contractum.* Prius, est conventio, carens speciali nomine & causa. Contractus, est conventio, habens speciale nomen, vel eo deficiente, causam. Per *nomen* hic intelligitur tale, quod solum potest prædicari de pluribus negotiis, numero, non specie differentibus: ut emptio, venditio, locatio, conductio &c. Per *causam* vero, adimpletio conventionis ab uno ex contrahentibus posita, v. g. unus jam dedit, vel fecit, vel omisit, quod in pactum fuerat deductum.

Con-

Contractus alius eſt *verus*, alius *quaſi* 606
talis. Prior eſt, qui vero & poſitivo conſenſu, verbis vel literis expreſſo, vel tacite, v. g. facto aut nutu perficitur. *Quaſi talis* perficitur conſenſu in jure præſumpto, ſeu ficto. v. g. Tutor, aut curator tutelam ſuſcipiens, promittere cenſetur, ſe velle rite adminiſtrare bona pupilli, aut minorennis; hinc inter ipſum & pupillum intercedit *quaſi contractus*, ipſiusque conſenſus ipſo jure præſumitur, ſeu fingitur, & ita de aliis.

Contractus alii ſunt *nominati*, qui ha- 607
bent ſpeciale *nomen*, ſeu, quando audito nomine ſtatim in notitiam venitur, quale negotium fuerit actum. v. g. Mutuum, emptio, locatio, depoſitum &c. Alii ſunt *innominati*, qui quidem ſpeciale nomen non habent, ſed *cauſam*: ſuntque alii *regulares*, qui nullum nequidem genericum nomen habent, uti ſunt: *do, ut des*: *do, ut facias*: facio ut facias: *facio, ut des*. Alii *irregulares*, qui ſaltem habent nomen genericum, v. g. permutatio, quæ eſt contractus innominatus, quo res ea lege datur, ut viciſſim detur alia. Hoc *nomen* cum ſit nimis genericum, & cuivis contractui applicari queat, v. g. emptio eſt permutatio rei pro pretio: locatio, conductio, eſt permutatio rei pro mercede; ideo ſolum contractus *innominatus* eſt, uti etiam contractus æſtimatorius, quo

res certo pretio æſtimata datur vendenda ea lege, ut accipiens vel pretium ſolvat, vel, ſi non vendidit, nec ipſe titulo emptionis retinere velit, ipſam rem reſtituat. Vocatur apud nos Dantlmarkt. Ipſe autem contractus cum variis aliis participare poteſt, puta, emptione, venditione, locatione, conductione, ſi interveniat merces. Inter contractus nominatos & innominatos præcipua hæc eſt differentia, quod in contractibus innominatis ille, qui ex parte ſua adimplevit, habeat facultatem pœnitendi, ſeu, reſiliendi a contractu, etiamſi alter viciſſim adimplere paratus ſit, & ejus interſit, ut ſtetur contractui. l. 3. §. 2. ff. *de condictione causa data, cauſa non ſecuta.* Quod locum non habet in contractibus nominatis: ille autem qui accepit, reſilire non poſſit; ille enim, qui ob cauſam accepit, nec tamen jam implet, dicitur in dolo hærere.

608 Quid autem de foro interno? Videtur, quod etiam pro foro conſcientiæ locus ſit pœnitentiæ; quia contractus innominati ex ſua natura, & juris diſpoſitione, videntur habere annexam tacitam conditionem: niſi ante implementum contractus intervenerit pœnitentia. Et quia jura concedunt repetitionem rei jam traditæ l. 5. ff. *de condict. cauſa data, cauſa non ſecuta.* Si enim in contractibus innominatis eadem

eſſet

esset obligatio naturalis, sicut in pactis nudis; tunc accipiens contra repetentem haberet saltem retentionis exceptionem. l. 7. §. 4. ff. *de pactis* (ut observat P. Engl) Denique & hæc ratio addi potest. In contractibus innominatis ille, qui ex parte sua implevit, habet quidem alterum sibi obligatum, non tamen est obligatus alteri, priusquam alter vicissim adimpleverit: ergo qui adimplevit, pœnitere, & per repetitionem dati alterum ab obligatione implendi liberare potest.

Dicet non nemo. Contractum innomi- 609
natum etiam ante alterius complementum habere saltem rationem *pacti nudi*: atqui pacta nuda obligant in conscientia. Ergo etiam contractus innominatus sic obligat: & ita non datur locus pœnitentiæ. 2. Contractus innominatus habet saltem vim *promissionis* acceptæ: atqui promittens non potest amplius revocare suam promissionem ab altero acceptatam. Ergo qui in contractu innominato dedit, non potest datum repetere.

Resp. ad I. *Disting.* Habet vim pacti nudi, sed *conditionati*: nisi velim pœnitere ante alterius implementum. *Conc.* Secus. *Neg.* Et sic etiam *disting.* alterum. Habet vim promissionis *conditionatæ*, quæ obligat conditione ab altero purificata. *Conc.* Secus. *Neg.*

610 Alii iterum ſunt contractus *uni* - alii *bilaterales*. Primi generis ſunt, in quibus ex una ſolum parte oritur obligatio, ut eſt mutuum, ſtipulatio, contractus chyrographarius, atque omnes contractus innominati. *Bilaterales* vero ſunt, ubi ex utraque contrahentium parte oritur obligatio, uti emptio, locatio, conductio.

611 Alii ſunt contractus *bonæ fidei*, alii *ſtricti juris*. Priores ſunt, in quibus judici permiſſa eſt poteſtas, judicandi ex æquo & bono, ſeque etiam extendit ad ea, de quibus inter partes expreſſe non fuit conventum. Poſteriores ſunt, in quibus ita reſtricta eſt Judicis poteſtas, ut non niſi de iis judicare poſſit, de quibus inter partes *expreſſe* fuit conventum. Sed has ſubtilitates, quæ multum negotii faceſſunt in foro, fere ignorat conſcientia, ubi ad bonam fidem & æquitatem *naturalem* attenditur: ceteras contractuum diviſiones, huc non admodum neceſſarias, ſicco pede tranſire licebit.

612 Pergo ad Perſonas contrahere valentes. Ubi regula eſt generalis, quod omnes contrahere valeant, qui habent bonorum adminiſtrationem, niſi jure prohibeantur. Alii autem impediuntur *Jure naturali*, qui conſentire nequeunt, cum tamen conſenſus ad ſubſtantiam contractus requiratur. Hujusmodi ſunt *Infantes naturaliter*

ter tales, ſeu, rationis expertes, furioſi, mente capti, muti, ſurdi & cœci ſimul, cum nullo modo conſenſum manifeſtare valeant. Dormientes & plene ebrii.

Jure poſitivo prohibentur 1. *infantes ci-* 613
viliter tales, ſeu, qui nondum adimplerunt ſeptennium; quia ex præſumptione generali juris præſumuntur nondum frui uſu rationis. 2. *Pupilli* ſeptennio majores, niſi accedat auctoritas Tutoris. 3. *Minorennes*, ſeu minores annis 25. qui ſi curatores habent, & contrahitur de re eorum alienanda, nullus eſt contractus, ſine conſenſu curatoris initus. Si agatur de rebus immobilibus, aut etiam mobilibus pretioſis, inſuper requiritur auctoritas Magiſtratus. Perſonam tamen ſuam obligare poteſt. l. 101. ff. de V. O. Si curatorem non habeant, valebit quidem contractus, ſed implorare poſſunt reſtitutionem in integrum. l. 3. Cod. *de in integrum reſtitutione.* 4. *Prodigi* Juridice tales, ſeu, declarati ut tales, & a Magiſtratu bonorum adminiſtratione interdicti. 5. *Filii familias*, ſeu, ſub patria poteſtate conſtituti, qui ſi fuerint impuberes, (ſunt autem maſculi ante completum annum 14. fæmellæ ante annum 12.) contractus ne quidem auctore Patre initus valet §. 10. J. *de inutilibus ſtipulat.* Quia ſi læderetur, non haberet contra Patrem regreſſum. Hodie tamen Pater ſine interventu filii

contrahere solet. Si fuerit pubes, potest contrahere de *peculio castrensi* vel quasi, & etiam de extraordinario, invito licet Patre: de *ordinario* tantum de consensu patris. De profectitio etiam, propter consensum patris præsumptum, quia filio illius administrationem concessit: hinc *excepto mutuo* fere de omnibus contrahere potest. l. 39. ff. de O. & A. Dixi: *excepto mutuo*; nam filiifamilias mutuam pecuniam accipientes absque consensu Patris, ad solvendum regulariter cogi non possunt, propter senatusconsultum Macedonianum. Quamvis vero prædicti in suum detrimentum nulliter contrahant, contrahunt tamen valide in suum commodum, & alios sibi obligant; quia Jura iis unice favere volunt, consequenter in ipsorum arbitrio est, an velint stare contractui, vel petere rescissionem. 6. *Religiosi* sine consensu Superiorum, nec etiam Prælatus, saltem quoad omnia, sine consensu Capituli, & aliis solennitatibus. 7. *Servi* sine consensu Domini. Quæritur autem, an sicut Pupillorum, Minorennium, Prodigorum contractus jure civili nulli sunt, ita neque obligationem naturalem, seu, pro conscientia, producant?

614 Resolutio I. Pupilli, Minorennes, Prodigi, ex contractu civiliter nullo, ne quidem *naturaliter* obligantur.

Prob.

Prob. I. Pupillus ſine auctoritate tutoris, vel furioſus, vel is, cui bonis interdictum eſt, contrahens & ſolvens; ſolutum repetere poteſt: l. 29. & l. 41. ff. *de condictione indebiti.* Ubi: *quod pupillus ſine tutoris auctoritate ſtipulanti promiſerit, ſolverit, repetitio eſt, quia* NEC NATURA DEBET. l. 59. ff. de O. & A. *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo ne quidem jure naturali obligatur.* Atqui ſi iſti naturaliter forent obligati, ſolutum non poſſent repetere, juxta l. 10. ff. de O. & A. „ *Naturales* obligationes non eo ſolo æſtimantur, ſi actio aliqua eorum nomine competit, verum etiam eo, ſi ſoluta pecunia repeti non poteſt. „

Prob. II. Prodigus non obligatur naturaliter, quia ne quidem Fidejuſſor interveniens obligatur. l. 6. ff. de V. O. *Is, cui bonis interdictum eſt, ſtipulando ſibi adquirere, tradere vero non poteſt, vel promittendo obligari: & ideo nec fidejuſſor pro eo intervenire poterit, ſicut nec pro furioſo.* Cum tamen ex §. 1. Inſtitut. & l. 16. §. 3. ff. *de fidejuſſ.* conſtet obligationi naturali accedere poſſe fidejuſſorem. Atqui etiam pupillus æquiparatur prodigo. l. 29. ff. *de condict. indeb.* Ergo. 615

Prob. III. Annullatio talium contractuum inducta fuit in ſingularem favorem, ut pupillorum &c. indemnitati conſuleretur. 616

Atiqui non cederet in ipsorum favorem, si manerent pro foro conscientiæ obligati, neque beneficio a lege concesso tuto frui possent. *Ergo* &c.

617 Prob. IV. Actus a Jure positivo irritati, etiam nulli sunt pro foro conscientiæ; nam lex justa pro foro externo, *ordinarie* est etiam justa pro foro interno. Ergo lex, quæ Pupillo & similibus, concedit recusationem solutionis, vel soluti repetitionem, etiam pro conscientia justa erit.

618 Prob. V. Leges non possunt præcipere judici, ut cooperetur ad peccatum: secus ne quidem pro foro externo justæ forent. Atqui si Pupilli &c. essent naturaliter obligati, tunc sine peccato injustitiæ non possent repetere solutionem: & tamen leges Judici imponunt, ut alterum ad restitutionem indebite soluti compellat. Ergo cogerent illum ad cooperandum peccato injustitiæ. *Maj.* Confirmatur a contrario. Quia enim pacta nuda obligationem naturalem pariunt, ideo solutum non potest repeti; quia alias Judex cooperaretur peccato: ergo quia Pupilli solutum repetere possunt, & judex solutum imperare debet; *naturaliter* non erunt obligati.

619 Prob. VI. Leges Pupillis denegant soluti repetitionem, in quantum ex nego-

tio

tio facti ſunt locupletiores l. 13. §. un. & ſeq. ff *de cond. ind.* l. 5. princ. & §. 1. ff. *de auth. Tutor.* Et hoc ex æquitate naturali: ergo ſi obligatio naturalis, quoad totum debitum adeſſet, *nullam* plane repetitionem concedere potuiſſent.

Objic. I. Ad ſubſtantiam contractus va- 620
lidi nihil requiritur quam conſenſus. l. 1. §. 2. ff. de *pactis*. Atqui Pupillus infante major ſine tutore, Minor & Prodigus ſine curatore, verum poſſunt ponere conſenſum. *Ergo* &c.

Nec ſufficit ſi reſpondeatur, *diſting. maj.* Requiritur conſenſus, qui tamen a jure irritatus non ſit. *Conc.* Secus. *Neg.* Nam

Contra. Conſenſus non a jure *naturali*, ſed *civili*, eſt irritatus. Ergo quamvis ejusmodi contractus non valeant *civiliter*, valebunt tamen *naturaliter*. *Ant. prob.* Non poteſt oſtendi principium juris naturalis, ex quo irritatio conſenſus deducitur. Quodnam enim illud? Quin potius, æquitas naturalis ex illo principio univerſali, *quod tibi non vis fieri* &c. jubet, contractus libere initos eſſe ſervandos.

Resp. I. Irritatio deduci poteſt ex principio jure naturali *reflexo*, quod vult, ut legibus juſtis pareamus, nec contra formam a jure præſcriptam contrahamus. Vide omnino l. 5. Cod. *de legibus*.

Resp. II. Cum consensus sit duorum voluntatum in eandem rem, & easdem circumstantias conspiratio, voluntas autem nihil vel adpetere, vel aversari possit nisi ab intellectu excitata; hinc sequitur, ut pacisci valide nequeant, quicunque rectæ rationis usu destituuntur: Ideoque nullius momenti sunt Pacta Furiosorum, Infantum, & eorum omnium, qui ob lubricam ætatem aut defectum judicii, negotium non intelligere ipso jure præsumuntur. Hæc præsumptio in naturali æquitate fundatur, & in sacra scriptura expressa est. Ait enim Paulus ad Gal. IV. 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium: sed sub Tutoribus & Actoribus est, usque ad præfinitum tempus a Patre.* Cum igitur jure res suas administrandi propter generale periculum læsionis juste privati sint; hinc *naturaliter* æquum est, ut non possint se alteri obligare. Quisquis ergo cum Pupillo, & similibus, contrahit, ex tali contractu nullum jus adquirit, quidpiam petendi: & sine isto jure nulla in Pupillo est obligatio, seu jus *Passivum*.

621 Objic. II. Quando pupillus absque tutore se obligavit, & aliquis pro eo fidejubet, hic obligatur etiam civiliter. l. 127. ff. de V. O. & l. 25. ff. *de Fidejussoribus.* Atqui obligatio Fidejussoris, cum sit solum *accessoria*, supponit obligationem

prin-

principalem, ſaltem *naturalem* in Pupillo. l. 16. §. 3. & l. 57. ff. *de Fidejuſſoribus.* Ergo.

Resp. I. *Diſting. maj.* Fidejuſſor obligatur, tanquam *principalis. Conc.* Tanquam fidejuſſor & ſolum *acceſſorie*, vel ſecundario. *Nego maj.* & ſuppoſitum, quod tali caſu Pupillus ſit contrahens *principalis.* Cum enim fidejubens ſcire debeat, Pupillum obligari non poſſe; ideo leges ipſum fidejubentem pro *principali* habent, utpote quæ non ei, ſed pupillo tantum, favere intendunt.

Resp. II. *Diſting. min.* Supponit in pupillo obligationem aliquam, vel veram, vel *fictam. Conc.* Semper *veram.* Nego. Cum enim Jura unice voluerint favere Pupillo &c. hinc quando aliquid aliud intervenit, quod ex contractu Pupilli in tertium redundaret, tunc Pupillus obligatus *fingitur* in præjudicium fidejuſſoris, hæredis &c. quibus jura nolunt favere. Vel etiam in pupillo obligatio manet quoad eos effectus, qui non ipſi, ſed aliis nocent. Si aliter accipiuntur citati textus, ſequeretur, quod, ſicut fidejuſſor obligatur civiliter *acceſſorie*, ſic pupillus obligetur *principaliter* civiliter, quod falſum eſt.

Objic. III. *Minor* ſine auctoritate curatoris valide ſua bona transfert in Mona- 622

ſterium

ſterium cap. 8. *de probat.* Ergo valide contrahit ſine auctoritate curatoris.

II. Quando aliquis pupillo ſine auctoritate Tutoris credidit pecuniam, tunc hæres Pupilli tenetur creditori ſatisfacere, non ſolum quando Pupillus eſt factus locupletior, ſed in *ſolidum.* l. 95. §. 2. ff. *de ſolut.* Ergo ipſe Pupillus fuit obligatus; quia hæres ſuccedit in jura activa & paſſiva defuncti.

Resp. ad I. *Diſting. conſeq.* Ergo valide contrahit, in caſibus a jure permiſſis, cujusmodi eſt iſte, quo minor poteſt ingredi in monaſterium, & diſponere de rebus ſuis: item valide contrahere matrimonium. *Conc.* Secus. *Nego.*

Resp. ad II. Nego *ant.* Lex enim citata aperte loquitur de creditore, qui ipſemet fit hæres Pupilli, & in ejus bona ſuccedit in *ſolidum.*

623 Objic. IV. Jura concedunt pupillis &c. beneficium reſtitutionis in integrum, & jubent contractus *reſcindi:* ergo ſupponunt, fuiſſe obligatos.

Resp. *Diſting.* Concedunt beneficium reſtitutionis, pro foro *externo* contra eos, qui reſtituere ſponte nollent, *Conc.* Quaſi indigerent neceſſario etiam pro foro *in-*

terno,

terno, & cenſerentur obligati. *Nego.* Item jubent reſcindi contractus, *proprie*, quaſi fuiſſent validi. *Nego.* Solum *declarando* fuiſſe nullos. *Conc.*

OBJIC. V. Jus Civile obligationem in Pu- 624
pillis expreſſe agnoſcit. vid. l. 21. ff. *ad leg. Falcidiam.* l. 1. ff. *de Novat.* l. 64. ff. *ad S. C. Trebellian.* l. 25. ff. *quando dies legatorum.*

RESP. Adductæ leges intelligendæ ſunt de Pupillis, qui finguntur obligati in præjudicium tertii, cui Jura favere nolunt: vel quando Pupillus contraxit cum dolo & fraude, quæ nulli debet patrocinari: vel quando ex contractu factus eſt locupletior.

Dixi ſupra N. 613. Filiumfamilias, qui 625
mutuum contraxit, ad ſolutionem non obligari, propter Senatusconſultum Macedonianum. Hæc enim exceptio perpetua eſt. l. 40. ff. *de condict. ind.* daturque ei, etiam poſtquam ſui juris factus eſt: imo Patri, hæredibus, fidejuſſoribus, mandantibus &c. l. 1. l. 9. §. 3. ff. ad S. C. M. Neque hanc exceptionem impediunt *dignitas.* l. 1. §. ult. Nec *ſexus* l. 9. §. 2. Nec *gradus* l. 14. ff. l. penult. Cod. cit. tit. Hac exceptione utitur contra omnes creditores, etiam contra civitatem l. 15. ff. eod. Etſi in omnibus aliis contractibus tanquam Paterfamilias obligari poſſit,

ſi nempe Majorennis fuerit. Rationes hujus S. C. fuere tres. 1. Ne corrumpantur mores Filiorumfamilias. 2. Ne vitæ parentum inſidiarentur, a creditoribus ad ſolutionem adacti, §. 7. Inſtit. *quod cum eo, qui in aliena poteſt.* 3. Ut coerceretur improbitas fœneratorum l. 1. l. 9. §. penult. ad S. C. M. l. 40. princ. ff. *de cond. indebiti.* Itaque actio ſaltem *efficax* l. 112. ff. de R. J. creditoribus negata, & filiisfamilias exceptio conceſſa fuit. l. 11. & l. penult. ff. ad S. C. M. Hic autem quæritur, an ſicut ſecuri ſunt pro foro *externo*, ita neque in conſcientia ad ſolvendum obligentur?

626 Resolutio II. Filiifamilias ex mutuo *naturaliter* obligantur. *Contra plurimos*, v. v. Engl, Böckn, Peregrini.

Prob. I. Regula generalis eſt, ex l. 13. ff. *de condictione indebiti*, & l. 10. de O. & A. Quando ſolutum non poteſt repeti, ſolvens *naturaliter* fuit obligatus: quod etiam firmatur ex paritate de pactis nudis; quæ, quia obligationem *naturalem* inducunt, (quamvis actionem *civilem* non pariant) quod tamen ex pacto nudo ſolutum eſt, repeti non poteſt. Atqui quando filiusfamilias, vel alius pro eo ſolvit, ſolutum repeti non poteſt. Ergo obligatur *naturaliter*. *Min. prob.* Ex claris verbis l. 9. §. 4. ff. ad S. C. M. „ Et hi ta-
„ men

„ men qui pro filiofamilias ſine voluntate „ Patris interceſſerunt, ſolvendo non re„ petunt. Hoc enim & Divus Hadrianus „ conſtituit. Et poteſt dici non repetitu„ ros. Atqui perpetua exceptione tuti ſunt. „ Sed & ipſe filius: & tamen non repe„ tit; quia NB. hi demum ſolutum non „ repetunt, qui ob pœnam creditorum „ actione liberantur, NB. non quoniam „ exornare eos lex voluit. §. 5. quamquam „ autem ſolvendo non repetant. l. 10. NB. „ *Quia naturalis obligatio manet.* „

Prob. II. Odia, conſequenter & leges 627
odioſæ, reſtringendæ ſunt. cap. 15. *de R. J.* in 6. Atqui S. C. M. odioſum eſt, non favorabile. Ergo ad ſolum forum externum, & ad denegandum actionem civilem reſtringendum eſt. *Min. prob.* An lex aliqua ſit odioſa, vel favorabilis, juxta communem interpretum doctrinam, deſumendum eſt ex fine *primario*, quem lex intendit. Atqui finis *primarius* S. C. M. non eſt, *favor* filiifamilias, ſed, ut coërceatur improbitas fœneratorum, ut patet ex claris verbis. l. 9. ſupra cit. & ex l. 40. ff. *de cond. ind.* „ Si quidem ejus „ cauſa exceptio datur, cum quo agitur, „ ſolutum repetere poteſt: ut accidit in „ S. C. de interceſſionibus (Vallejano) „ ubi vero in odium ejus, cui debet, „ exceptio datur, perperam ſolutum non „ repetitur: veluti ſi filiusfamilias contra

„ Mace-

„ Macedonianum mutuam pecuniam acce„ perit, & Paterfamilias factus solverit, „ non repetit. „ Hic iterum evidens est, S. C. in *odium* creditorum, non in favorem filiifamilias fuisse latum. Ergo S. C. est odiosum, creditores in pœnam actione civili privans, non filiosfamilias eximens ab obligatione naturali. In hoc itaque falluntur maxime Adversarii, quod S. C. M. fingant in *favorem* filiifamilias conceptum; cum aperte in odium creditorum editum fuerit.

628 Prob. III. Manente obligatione naturali habetur totus finis S. C. M. Ergo ulterius non debet extendi. *Ant. prob.* Finis est, coercere improbitatem fœneratorum, & consulere vitæ parentum, ne filiifamilias, a creditoribus pro solutione conventi, nec habentes unde reddant, insidiari incipiant parentum vitæ, aut mortem optare. Atqui finis iste habetur, etiam salva manente obligatione naturali; nam cum creditores in judicio, saltem efficaciter, contra filiumfamilias agere nequeant, utpote statim exceptione S. C. M. repellendi: hinc debitores satis securi sunt pro foro externo, neque timendum est, ne nimia religione conscientiæ ducti ad satisfaciendum obligationi naturali, insidiari velint parentibus. Experientia enim constat, quam parum plerique debitores soliciti sint pro solvendis debitis, quando nulla

nulla actione ad ea expungenda molestari possunt. Istam solicitudinem creditoribus suis relinquunt: ipsi cura vacui id solum curant, unde novas adquirant pecunias, queis genio indulgere valeant. Ergo adempta solum pro foro externo actione, cessant pericula, quæ senatum permoverunt: consequenter finis habetur, etiamsi obligatio naturalis permaneat.

Prob. IV. Ideo juxta Adversarios filius- 629
familias solutionem non potest repetere, quia illo casu cessant pericula: atqui cessant etiam in nostra sententia, ut num. præced. ostendi. Ergo etiam ad istum casum, & hanc sententiam lex non debet extendi.

Prob. V. Si Jura voluissent favere filio- 630
familias, tunc etiam concessissent condictionem indebiti. Sequela patet ex l. 40. ff. *de cond. ind.* Atqui non tribuunt hanc condictionem. Ergo nolunt favere filiofamilias, sed unice intendunt pœnam ac odium fœneratorum.

Prob. VI. Si voluissent favere filiofami- 631
lias, tunc etiam illo casu procederet S. C. M. quo filiusfamilias habet peculium *castrense*, vel *quasi*: atqui hoc non favet. Ergo.

Prob. VII. Ideo, etiam juxta Adversa- 632
rios, Pupilli, Minores, Prodigi &c. in

contractibus a jure irritatis nequidem *naturaliter* obligantur, quia solutum potest repeti. l. 29. l. 41. ff. *de cond. ind.* Quia nequidem fidejussor Prodigi, cui Pupillus æquiparatur, obligatur ex N. 615. & quia irritatio horum contractuum introducta est in singularem favorem Pupillorum &c. Atqui a contrario filiusfamilias, vel fidejussor pro illo solvens, solutum non possunt repetere, quia S. C. M. non est introductum in eorum favorem; ut fatetur P. Böckn ad tit. *de commodato* n. 38. fin. n. 38. pr. n. 40. fin. Ergo obligatur naturaliter.

633 Prob. VIII. Juxta eundem, P. Böckn n. 39. & Peregrini, filiusfamilias renunciare non potest huic S. C. M. nequidem addito juramento, *quia non in favorem ipsius, sed in odium ac pœnam fœneratorum, & Patris atque Reipublicæ utilitatem, introductum est.* Ergo leges non spectarunt favorem filiifamilias: secus eidem, saltem juramento addito, renunciare posset: ut patet in filia, renunciante hæreditati paternæ. Consequenter lex est *pœnalis*, nec ultra casum ac mentem legis extendenda.

634 Prob. IX. Fatetur etiam Cl. P. Engl, ad tit. *de Pactis* n. 39. quod filiusfamilias, si ex mutuo ditior factus sit, dum pecunia adhuc extat in peculio, etiamsi non obligetur *civiliter* & pro foro *externo*, ob

cla-

claram l. 9. §. 2. ff. ad S. C. M. in conſcientia tamen obligatus ſit; quia *naturaliter* æquum eſt, neminem cum alterius damno & injuria fieri locupletiorem. l. 14. ff. *de cond. ind.* l. 206. ff. cap. 48. de R. J. in 6. Conſequenter tenetur ex *re accepta*. Si autem Jura voluiſſent filiofamilias etiam pro foro interno favere, tunc ex mutuo locupletior factus etiam in conſcientia ſecurus eſſet; quemadmodum bonæ fidei poſſeſſor, ex fructibus conſumptis locupletior factus, ad reſtitutionem non obligatur ex dictis n. 347. ſeq.

Objic. P. Böckn I. Dum Jus filiofamilias exceptionem S. C. conceſſit, utique beneficium ei indulſit; cum omnis *exceptio* ſit aliquis favor, & beneficium reo datum. Ideoque l. 7. §. 1. ff. l. penult. Cod. ad S. C. M. vocatur *auxilium* & cit. l. 7. §. 3. dicitur *ſubveniendum eſt filiofamilias*. Jam vero parum prodeſſet hoc beneficium, ſi ſalva conſcientia eodem uti non poſſet. 635

Resp. I. *Retorqueo* in exceptionem rei judicatæ, pacti nudi, &c. quæ quidem elidit actionem, nec tamen excipientem ſecurum reddit pro foro interno.

Resp. II. Abunde probavi, S. C. M. non in favorem filiifamilias, ſed in odium & pœnam fœneratorum ſtatutum, itaque re-

ſtringendum eſſe. Vocatur quidem *auxilium* &c. dicitur: *ſubveniendum eſſe filiofamilias*, nempe pro foro *externo*, ubi ſatis juvatur, dum creditoribus actio negatur. Plus enim lex non intendit: quemadmodum dum ob pactum nudum, vel poſt rem judicatam actionem negat.

636 Objic. Idem II. Etiamſi ratio finalis S. C. M. non fuerit, ut filiifamilias conſcientia exoneraretur, fuit tamen medium, quo alii caſtigarentur, qui ipſis ad malos uſus pecunias credunt, quod jura vehementer deteſtantur. §. penult. Inſt. *quod cum eo, qui in aliena poteſt.* l. 1. princ. l. 3. §. penult. l. 4. ff. ad S. C. M. Eſt enim penes Legislatorem, transgreſſori legis ſuæ pœnam dictare, etiam privando illum re aliqua ex patrimonio: velut caſus eſt de eo, qui rem ſuam ab alio poſſeſſam privata auctoritate extorquet, & in pœnam violentiæ amittit dominium, illudque alteri adquiritur. §. I. J. *de vi bonor. rapt.* §. 6. Inſtit. *de interdictis.* l. 7. Cod. *unde vi.* Item de creditore, qui ſi pecuniam ſibi debitam per vim auferat, jus crediti amittit, ac debitor liberatur. l. 13. ff. *quod metus cauſa* l. 7. ff. *ad leg. Jul. de vi privata.* Major vero malitia creditoris eſt, qui cum proprio periculo negata ſibi actione pecuniam, ad luxuriam variasque cupiditates ſervituram, filiofamilias ſuppeditat, ac proin in pœnam meretur, ut fi-

lium-

liumfamilias ne quidem naturaliter ſibi obſtrictum habeat. Ita Cl. P. Böckn n. 37.

Resp. Fatetur ergo Cl. Auctor, quod ratio finalis non fuerit exoneratio conſcientiæ filiifamilias, ſed pœna creditoris, quæ hoc ipſo a foro *externo*, de quo *ſolo* lex loquitur, ad *internum* non eſt extendenda, quando jus clare non exprimit, quin potius contrarium aſſerit, nempe filiumfamilias naturaliter obligatum manere: ſecus ſoluti repetitionem concedere debuiſſet, ſi creditorem voluiſſet privare dominio pecuniæ creditæ. Quæ addit de violentia, probant, quod Jura aliquem re ſua propria ex certis cauſis privare poſſint, & in adductis exemplis actu privaverint; prohibent enim privatam violentiam: non vero prohibent mutuum, ſed in pœnam ſolum actionem negant. Hoc vero nec citati, nec ulli citandi textus evincunt, quod creditor filiifamilias omni Jure crediti, etiam pro foro conſcientiæ, actu privatus ſit; imo ſolutum etiam *civiliter* retinet. Hoc ipſo ergo quod S. C. M. ſit tantum pœna, ultra expreſſum non debet extendi.

Objic. III. P. Engl. *de pactis* n. 38. Lex 637
& poteſtas publica ex juſta & publica cauſa poteſt contractum irritare, actionem denegare, dominium de uno in alium transferre, ut ſit in præſcriptione, confi-

ſtringendum eſſe. Vocatur quidem *auxilium* &c. dicitur: *ſubveniendum eſſe filiofamilias*, nempe pro foro *externo*, ubi ſatis juvatur, dum creditoribus actio negatur. Plus enim lex non intendit: quemadmodum dum ob pactum nudum, vel poſt rem judicatam actionem negat.

636 Objic. Idem II. Etiamſi ratio finalis S. C. M. non fuerit, ut filiifamilias conſcientia exoneraretur, fuit tamen medium, quo alii caſtigarentur, qui ipſis ad malos uſus pecunias credunt, quod jura vehementer deteſtantur. §. penult. Inſt. *quod cum eo, qui in aliena poteſt.* l. 1. princ. l. 3. §. penult. l. 4. ff. ad S. C. M. Eſt enim penes Legislatorem, transgreſſori legis ſuæ pœnam dictare, etiam privando illum re aliqua ex patrimonio: velut caſus eſt de eo, qui rem ſuam ab alio poſſeſſam privata auctoritate extorquet, & in pœnam violentiæ amittit dominium, illudque alteri adquiritur. §. I. J. *de vi bonor. rapt.* §. 6. Inſtit. *de interdictis.* l. 7. Cod. *unde vi.* Item de creditore, qui ſi pecuniam ſibi debitam per vim auferat, jus crediti amittit, ac debitor liberatur. l. 13. ff. *quod metus cauſa* l. 7. ff. *ad leg. Jul. de vi privata.* Major vero malitia creditoris eſt, qui cum proprio periculo negata ſibi actione pecuniam, ad luxuriam variasque cupiditates ſerrituram, filiofamilias ſuppeditat, ac proin in pœnam meretur, ut fi-

lium-

liumfamilias ne quidem naturaliter ſibi obſtrictum habeat. Ita Cl. P. Böckn n. 37.

Resp. Fatetur ergo Cl. Auctor, quod ratio finalis non fuerit exoneratio conſcientiæ filiifamilias, ſed pœna creditoris, quæ hoc ipſo a foro *externo*, de quo *ſolo* lex loquitur, ad *internum* non eſt extendenda, quando jus clare non exprimit, quin potius contrarium aſſerit, nempe filiumfamilias naturaliter obligatum manere: ſecus ſoluti repetitionem concedere debuiſſet, ſi creditorem voluiſſet privare dominio pecuniæ creditæ. Quæ addit de violentia, probant, quod Jura aliquem re ſua propria ex certis cauſis privare poſſint, & in adductis exemplis actu privaverint; prohibent enim privatam violentiam: non vero prohibent mutuum, ſed in pœnam ſolum actionem negant. Hoc vero nec citati, nec ulli citandi textus evincunt, quod creditor filiifamilias omni Jure crediti, etiam pro foro conſcientiæ, actu privatus ſit; imo ſolutum etiam *civiliter* retinet. Hoc ipſo ergo quod S. C. M. ſit tantum pœna, ultra expreſſum non debet extendi.

Objic. III. P. Engl. *de pactis* n. 38. Lex 637
& poteſtas publica ex juſta & publica cauſa poteſt contractum irritare, actionem denegare, dominium de uno in alium transferre, ut fit in præſcriptione, confi-

ſcatione, irritatione teſtamentorum non ſolennium, contractibus pupillorum &c. quæ irritatio & conſtitutio ſi fuerit juſta pro foro externo, merito etiam ad forum conſcientiæ porrigitur; quia ſecus iſtæ leges modicum haberent effectum inter Chriſtianos, & parum conſultum foret Reipublicæ per rationabilia ſtatuta, ſi, quos lex civilis abſolvit ab obligatione, lex conſcientiæ ſub ſalutis periculo conſtringeret. Atqui. Ergo &c.

Resp. I. Concedo, quod lex civilis hoc ſtatuere poſſit, nego autem ſuppoſitum, quod reſpectu filiifamilias voluerit, quod non probatur adducto diſcurſu. Nam ipſe Cl. P. Engl n. 39. fin. alicui objectioni his reſpondet verbis: „ poteſt lex alicui „ dominium auferre & alteri adjudicare, „ ſi aperte conſtet de voluntate legis, ſi- „ cut in præſcriptione &c. Hic vero du- „ bium eſt, an lex voluerit irrevocabile „ dominium pecuniæ mutuatæ filiofamilias, „ concedere, vel an ſolum mutuanti de- „ negare actionem in foro externo, relicta „ interim naturali obligatione: in dubio „ autem ordinarie melior ſolet eſſe con- „ ditio ejus, qui certat de damno vitan- „ do, quam qui de lucro captando. „ Ita P. Engl. Quibus propriis verbis ſufficienter ipſius objectioni ſatisfactum fuiſſe arbitror. vid. Idem ad tit. de fidejuſſoribus n. 7. Verbo. *Ceterum in fine.*

Resp.

Resp. II. Retorqueo in pacta *nuda*, quæ denegata actione, & ſublata obligatione civili, naturalem tamen obligationem pariunt. Tunc ergo jura cenſenda ſunt voluiſſe transferre dominium etiam pro foro interno, quando leges principaliter ſpectant illius favorem, cui pro foro externo dominium tribuunt, vel exceptionem. vid. l. 40. ff. *de condictione indebiti*, ubi hæc differentia fundatur. Sic, lex adjudicat dominium bona fide præſcribenti; quia ſpectat favorem publicum, ne maneant dominia rerum incerta, & excitentur moveanturque lites innumeræ. Irritat teſtamentum non ſolenne, in favorem ſucceſſorum naturalium ab inteſtato. Irritat contractus pupillorum in illorum favorem, modo non fuerint facti ditiores. In noſtro autem caſu nullus favor, ſed merum odium fœneratorum hanc legem extorſit. Docet hoc ipſe P. Engl cit. loc. *de fidejuſſoribus*, & remiſſive *de conſtitut.* legem pure pœnalem ad forum internum trahendam non eſſe. Atqui ſenatus conſ. Maced. eſſe pure pœnalem, jam oſtendi. *Ergo* &c.

Objic. alii IV. Si filiusfamilias manet na- 638
turaliter obligatus, non habetur finis S. C. M. manent eadem pericula, filius enim familias ſciens ſe in conſcientia obligatum ad ſolutionem, optabit hæreditatem paternam, ut ex ejus peculio creditoribus

& conſcientiæ ſuæ ſatisfacere poſſit. Ergo ut lex finem ſuum obtineat, etiam obligatio *naturalis* debet eſſe ſublata,

Resp. Ex dictis N. 628. Nego non obtineri finem, manere eadem pericula; jam enim obſervatum fuit, raros eſſe debitores, de ſolutione tantopere ſolicitos, ſi creditoribus contra eos agere permiſſum non ſit. Quodſi Juvenis aliquis adeo religioſus fuerit, ut obligationem ſuam agnoſcat; poterit ſe hoc modo reſolvere: *Nunc per impotentiam excuſatus ſum a ſolutione: ſolvam, ubi factus fuero Paterfamilias*; & ſatis conſcientiæ ipſius conſultum erit.

639 Sunt tamen caſus quidam, ubi etiam pro foro externo ceſſat Senatusconſultum Macedonianum.

1. Si non pecunia, ſed res alia, mutua data fuerit: modo non fiat in fraudem. S. C. l. 3. §. penult. l. 7. pr. & §. 3. ff. l. 3. Cod. ad S. C. M.

2. Si filiusfamilias habeat peculium *caſtrenſe* vel quaſi, in quo pro Patrefamilias habetur, & ſecundum ratam peculii tenetur ex mutuo. l. 1. §. ult. & l. 2. ff. eod.

3. Si filiusfamilias ſe Patremfamilias mentitus fuerit, aut publice pro tali fuerit habitus.

bitus. l. 3. pr. l. penult. ff. l. 1. ſeq. Cod. eodem.

4. Si filius ſui juris factus, vel expreſſe vel tacite debitum agnoverit l. 7. §. ult. l. 9. pr. ff. l. 2. Cod. eod.

5. Si pecunia in rem Patris verſa fuerit. l. 7. §. 12. ff. eod.

6. Si Pater ſciverit, juſſerit, aut ratum habuerit mutuum. l. 7. §. penult. l. 12. l. 16. ff. l. 4. Cod. eod.

7. Si filius fuerit Patris inſtitor. l. 7. §. 11. ff. eod.

8. Si filius, legationis vel ſtudiorum cauſa abſens, mutuum acceperit: niſi probabilem modum exceſſiſſe creditor advertat. l. 7. §. 13. ff. l. 5. Cod. eod.

9. Si Pupillus aut Minor dederit mutuum. l. 3. §. 2. ff. eodem. l. 11. §. ult. ff. *de minorib.* Niſi ipſe filiusfamilias fuerit minor, nec ex mutuo locupletior factus. l. 34. pr. ff. *de minor.*

10. Si filiusfamilias vel Pater actu ſolverit. l. 40. ff. *de condictione indebiti.*

Quemadmodum filiisfamilias mutuum ac- 640
cipientibus Senatusconſulto, ita mulieribus

 fide-

fidejubentibus ſuccurritur S. C. *Vellejano*, quo illorum fidejuſſiones ita redduntur inefficaces, ut exceptione ejus tueri ſe poſſint toto tit. ff. & Cod. ad S. C. Vellejanum. Quæritur, an illo caſu etiam pro foro interno a ſolutione ſint immunes?

641 RESOLUTIO III. Senatusconſultum Vellejanum mulieres fidejubentes etiam pro foro interno ab obligatione ſolvendi eximit: niſi privilegio ſuo expreſſe renuntiaverint.

PROB. I. Senatusconſultum eſt inductum in favorem fœminarum, quia Senatus totam obligationem improbat l. 16. §. 1. ff. ad. S. C. Vellejanum. Atqui non foret favor, niſi etiam in conſcientia ſecuras redderet fœminas, aliunde admodum devotas, & religioſas. *Ergo.*

642 PROB. II. Quando ſolutum repeti poteſt, tunc Signum eſt, non ad fuiſſe obligationem naturalem ex dictis n. 614. & 626. Atqui fœmina fidejubens, ſi ſolverit, ſolutum condicere poteſt. l. 40. ff. *de condict. indeb.* Ergo. Huc faciunt proportionaliter omnes rationes pro pupillis ſupra adductæ.

643 Dixi: *niſi privilegio ſuo expreſſe renuntiaverint.* Id enim illas poſſe, ſaltem de jure Bavarico, certum eſt, & etiam de jure com-

communi, mihi probabilius videtur contra P. Böckn & D. Peregrini, quod tamen hujus loci non eſt.

Objic. Senatusconſultum Macedonianum 644
filiosfamilias ab obligatione naturali non eximit: ergo neque Vellejanum fœminas fidejubentes in conſcientia ſecuras reddit.

Resp. Nego *conſ.* Diſparitas eſt evidens ex cit. l. 40. ff. *de cond. ind.* quia Senatusconſultum M. non eſt datum filiisfamilias in favorem, ſed in odium fœneratorum. Contra Vellejanum ob imbecillitatem ſexus, defectum judicii, facilitatemque læſionis in favorem fœminis conceſſum eſt, non in odium creditorum.

§. II.

De cauſa formali contractuum, ſeu conſenſu, & contrariis, errore, dolo, metu, & de contractibus conditionatis.

Forma contractuum intrinſeca, ſeu ſub- 645
ſtantialis, eſt conſenſus, & ille quidem *verus* in contractibus vere talibus, ſive dein ſit *expreſſus*, ſive *tacitus*, verbo, literis, aut ſigno apto manifeſtatus: in quaſi talibus *fictus* ſeu præſumptus. Alius eſt *externus*, dum quis fingit ſe conſentire, quamvis intus diſſentiat: & alius *in-*

ternus

ternus, quando reapſe adeſt animus contrahendi & ſe obligandi. Item vel eſt *abſolutus*, nullis circumſtantiis, aut exceptionibus v. g. temporis, modi, qualitatis, eſt adſtrictus, de quibus fuſius agunt J. Cti & Theologi Morales, tum hic, tum propriis in locis v. g. de Matrimonio, teſtamentis &c. Hic quæritur in primis, an conſenſus debeat eſſe internus & verus in contractibus proprie talibus?

646 Resolutio I. Ad valorem contractus *proprie* talis requiritur conſenſus internus & verus.

Prob. I. Ex ipſa contractus definitione; nam eſt duorum in idem placitum conſenſus: ubi ex neutra vel ex alerutra parte non eſt conſenſus, ibi non eſt contractus.

647 II. Intentio & effectus contractus *proprie talis* eſt obligatio, aut rei ſuæ in alium translatio. Atqui nemo obligatur, aut rem ſuam in alium transfert, absque conſenſu interno, ſeu voluntate: quemadmodum ſine propria voluntate mea nec alius mihi obligatur, deficiente acceptatione, nec dominium alienum in me transfertur defectu poſſeſſionis, quæ dicit animum ſibi habendi. *Ergo* &c. Hoc tamen intelligendum de contractibus proprie talibus. Nam in *quaſi talibus* conſenſus a jure *fingitur*.

III.

III. Si in contractu non requireretur verus internus consensus, tunc neque in contractu matrimonii: atqui hoc est falsum juxta omnes, & facile patet. *Ergo.* 648

Objic. I. Respublica vi Juris eminentis obligare cives, & ab uno dominium bonorum in alium transferre potest absque consensu civium: ergo non requiritur iste consensus verus & internus, sed potest a Republica praesumi, fingi, seu suppleri.

Resp. *Disting. ant.* Potest hoc Respublica, vi *contractus quasi talis* inter ipsam & cives initum. *Conc.* Hic enim civium consensus a Republica fingitur; quia cum ea intentione & conditione tacita cives in societatem admittuntur, ut consentiant in leges, quas Respublica vel Rector necessarias aut convenientes judicaverit. Potest hoc Respublica, aut velle praesumi potest, quoad contractus civium *inter se. Nego.* Non enim potest immutare naturam & substantiam rerum: reciprocus autem contrahentium consensus de substantia contractus est. 649

Objic. II. Si ad valorem contractus requireretur internus consensus, tunc emptor non acquireret dominium rei venditae & traditae, quando venditor exterius consensum finxit, & verbis expressit, intus autem revera dissensit. Atqui hoc est 650

fal-

falſum, quia talis emptor pro foro interno non obligatur rem emptam reſtituere; imo nequidem pro foro externo. *Ergo* &c.

Resp. *Diſting. maj.* Non adquireret dominium, *vi ipſius contractus* invalidi. *Conc. Vi tituli colorati*, exiſtimati, vel præſumpti, qui ſaltem tribuit jus legitime poſſidendi, & præſcribendi. *Nego.* Dein talis, qui rem ſuam vendit conſenſu exterius expreſſo, & negaret ſe conſenſiſſe interius, in foro externo non audiretur; quia vel allegaret turpitudinem ſuam, nempe dolum, vel aliunde fides ipſi non haberetur: ſecus poſſent pro foro externo annullari omnes contractus, ſi quis negaret ſe conſenſiſſe: quod ipſum cederet in maximum Reipublicæ detrimentum, & lites in infinitum augeret. Cum vero emptor in dicto caſu nequidem dubitandi cauſam habeat de interno venditoris conſenſu, verbis, ut ſupponitur, claris & ipſa traditione rei expreſſo; hinc quiete & ſecure poſſidet.

651 Objic. III. Ex dictis ſequeretur, quod fictus ejusmodi Venditor rem ſuam ab emptore clanculo repetere, & pretium occulte reſtituere poſſet: quod videtur abſurdum.

Resp. Poſſet quidem *abſolute*, ſpectata nullitate contractus ex defectu conſenſus; non

non poteſt autem *regulariter*, quia illum, cum quo ficte contraxit, debet reddere indemnem: ne forte ex ſua fraude lucrum reportet.

CONTRARIA conſenſus ſunt *error*, *dolus*, 652
& *metus*. *Error* dicitur concepta de re opinio, veritati contraria: ſeu, ut ait AUGUSTINUS relatus Can. *in quibus*. XX. 2. eſt unum pro alio putare. DOLUS malus (nam datur bonus: *cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*, ut ait Paulus 2. Cor. XII. 16.) in genere eſt improba voluntas alterum lædendi. Et hic quidem ſi fiat absque aſtutia aut callida machinatione, vocatur dolus rudis. Hinc culpa lata æquiparatur dolo. Artificioſus autem, eſt omnis fallacia, aſtutia, & Machinatio ad circumveniendum proximum adhibita. Tam error, quam dolus, vel eſt SUBSTANTIALIS, quando verſatur circa prædicta ſubſtantialia, ſeu circa id, cui contrahentes principalem intentionem, ſive ex natura negotii, ſive ex communi legum diſpoſitione, vel uſu, alligaſſe cenſentur, & quo errore vel dolo prævíſo contrahens non conſenſiſſet: e. g. quando venditur vitrum pro gemma. Et ejusmodi dolus vel error reddit contractum nullum. l. 9. ff. *de contrahenda emptione* l. 83. §. 1. l. 137. §. 1. ff. de V. O. quia *nihil tam eſt contrarium conſenſui, quam error.* l. 116. §. 2. ff. de R. J. Vel eſt ACCIDENTALIS, qui verſatur

cir-

circa quoddam accidens rei, cui contrahentium intentio principaliter non eſt alligata. v. g. Si quis empturus gemmam, eam quidem acceperit, ſed non tantæ bonitatis, quantæ eam ſperaverat.

653 Tam *dolus*, quam *error* accidentalis, vel eſt *incidens*; *vel dans cauſam contractui.* Prior eſt, quando illo abſente aliquis tamen contraxiſſet. Poſterior, quo cognito contractus non fuiſſet initus. e. g. Volui emere opera CICERONIS editionis optimæ, empturus nihilominus editionem etiam viliorem, quamvis non pro eodem pretio; eſt dolus vel error *incidens*. Si vero non niſi optimam comparare volui, non aliam, quæ mihi tamen obtrudebatur pro optima; eſt dolus vel error *dans cauſam* contractui. *Dolus*, vel *error incidens* relinquit contractum validum, ita tamen, ut decepto competat actio ad conſequendum intereſſe, ſeu, quanto minoris emiſſet, ſi errorem aut dolum ſciviſſet. l. 13. §. 4. & 5. ff. *de actionibus empti Venditi*. Et ratio eſt; quia in hoc caſu habetur *verus* conſenſus, qui ad valorem contractus de J. N. & in conſcientia ſufficit; ſupponitur enim, quod ille tamen contraxiſſet, etiamſi qualitatem deſideratam non habuerit, utpote cui conſenſum non alligavit, ſed eam promptius ac libentius, aut pro majori pretio, comparaſſet.

Quod

Quod attinet dolum vel errorem, qui dat 654
causam contractui, distinguunt ICti inter contractus *bonæ fidei*, & *stricti juris*. Hos ajunt communiter, ipso jure valere, & læso competere beneficium restitutionis Prætoriæ §. I. Inst. *de exceptionib.* De contractibus *bonæ fidei*, si dolus a tertio fuerit commissus, supponunt communiter, eos non esse ipso jure nullos. l. 7. pr. ff. *de dolo malo.* l. 2. ff. *de proxeneticis.* Si vero alter ipsorum contrahentium dolum commiserit, tunc disceptant, an contractus sit ipso jure nullus, aut beneficio Prætoris rescindendus? ipso jure in favorem decepti nullos esse affirmant Cl. P. Böckn & D. Peregrini, quibuscum lubens sentio. Atvero quoniam Theologia & conscientia subtilitatem divisionis Romanæ in contractus *bonæ fidei*, & *stricti juris*, non attendit, sed considerat intentionem atque consensum contrahentium; hinc relicta illis de nullitate ex jure civili disceptatione, statuitur pro conscientia

Resolutio II. Contractus, sive *bonæ fi-* 655
dei, sive *stricti juris*, quibus dolus vel error accidentalis causam dedit, ipso jure naturali nulli sunt: præscindendo a jure civili, quoad contractus stricti juris. *Contra communem.*

Prob. I. Vel dolus fuit commissus ab uno contrahentium, vel a tertio, aut in-

tercessit error dans causam contractui? quoad I. Sic arguo. In omni contractu præter utriusque consensum de Jure Naturæ ad valorem requiritur, ut utraque pars sit capax juris sibi quærendi: quod si in uno deficiat, in altero non poterit esse obligatio; quia sunt correlativa, & jus *passivum*, seu obligatio, non potest consistere sine alterius jure *activo*. Atqui decipiens non est capax juris sibi quærendi; cum nemo ex delicto suo debeat reportare commodum: dolus quoque & fraus nulli debeat patrocinari cap. 15. *de Rescriptis*. cap. 2. eod. in 6. cap. 12. *de Clerico non resid.* Ergo. Sicut autem contractus metu injuste incusso initi, ipso jure naturæ irriti sunt, quantum ad favorem metum passi, ut infra ostendam, ita etiam dolo dante causam initi, nulli sunt; sicut enim metus contrarius est consensui, *ita fides bona, quæ propria est contractibus, contraria est fraudi & dolo.* l. 3. §. ult. ff. *pro socio.*

656 Quando dolus commissus fuit a tertio, aut error proprius intervenit, modo uterque contractui causam dedit; tunc jure naturæ nullum esse *probatur*. Ideo dolus, vel error incidens, relinquit contractum validum, quia illi qualitati aut conditioni, circa quam dolus vel error versatur, non fuit alligatus consensus, qui est de substantia contractus. ex N. 653. Ergo a con-

contrario contractus, cui dolus vel error causam dedit, ipso jure naturæ est nullus, quia illi conditioni vel qualitati, circa quam dolus aut error versatur, consensus fuit alligatus. Supponitur enim, quod non contraxisset, si conditionem falsam aut erroneam scivisset. Hinc

Prob. II. Contractus conditionatus, ubi 657
conditio honesta de præsenti adjecta tempore contractus falsa est, mox ab initio jure naturæ nullus est. Atqui contractus quilibet, cui error vel dolus causam dedit, est conditionatus, habet enim tacitam conditionem: si res ita se habet, ut jactas, aut mihi videtur: ergo nullus est; quia conditioni falsæ de præsenti, alligatus fuit consensus.

Quod autem quantum ad *jus naturæ* nul- 658
la hic facienda sit distinctio inter contractus *bonæ fidei* & *stricti juris*,

Prob. Hæc differentia unice trahit originem ex subtilitate Juris Romani, quod voluit, contractus stricti Juris ex solennitate verborum, l. 126. §. 2. l. 99 pr. ff. de V. O. & non ex mente contrahentium metiendos esse; nempe, ut omissis pactis nudis (quibus Romani ad amputandas lites negabant actionem, non tamen exceptionem) ad solennibus verbis stipulandum cives suos adigerent. Hinc

dum §. I. Inst. *de except.* stipulanti decepto actionem civilem denegant, *iniquum* tamen esse dicunt, *eum condemnari*, utique lumine & principiis Juris naturæ edocti: ideoque exceptionem dederunt. Sic autem habet ille §. cit. „ Si metu coactus, aut dolo „ inductus, aut errore lapsus, stipulanti „ Titio promisisti, quod non debueras „ promittere, palam est, jure civili te ob- „ ligatum esse, & actio, qua intenditur, „ dare te oportere, efficax est. Sed ini- „ quum est, te condemnari: ideoque da- „ tur tibi exceptio. „ Jam vero ista iniquitas, æqualis est in contractu tam *bonæ fidei*, quam *stricti juris*, cui error & dolus causam dedit. Ergo uterque jure naturæ nullus est.

659 Objic. I. Venditio dolo inita, jubetur rescindi, l. 5. Cod. *de rescind. Vendit.* Ergo pro priori valuit.

Resp. *Disting.* Rescinditur, *ipso jure. Conc.* Beneficio Prætoris. *Nego.* Item: rescinditur *de facto*, seu declarando, nullam fuisse venditionem. *Conc. De jure*, & sententia judicis irritante valorem. *Nego.* Nam rescissionem *directe* ab ipso jure dari, patet ex l. 64. §. un. ff. *de condit. & demonstrat.* Adeoque quando ex textibus clarum est, contractum ipso jure esse nullum: aliæ autem leges dicunt, debere rescindi; istæ intelligi debent de rescissione *executiva.*

Objic.

Objic. II. L. 10. Cod. *de reſcind. vend.* 660
ſtatuitur: „ Dolus emptoris qualitate fa-
„ cti, non quantitate pretii æſtimatur:
„ quem ſi fuerit interceſſiſſe probatum,
„ non adverſus eum, in quem emptor
„ dominium tranſtulit, rei vindicatio ven-
„ ditori, ſed contra illum cum quo con-
„ traxerat, in integrum reſtitutio compe-
„ tit. „ Textum hunc loqui de dolo dante cauſam, patet; ſecus non daretur reſtitutio. Hoc ipſo autem, quod tantum reſtitutio detur, & etiam dominium translatum fuerit in emptorem doloſum, quod alias nuda traditione ſine valore contractus non transfertur, l. 31. ff. De A. R. D. ſequitur, contractum, cui dolus cauſam dedit, valuiſſe.

Resp. Eodem modo. Datur reſtitutio, ſed tamen ab ipſo jure, & de facto, ſeu executiva. *Conc.* A Prætore. *Nego.* Quod vero dicatur in textu, *translatum fuiſſe dominium* per contractum dolo initum, non ſequitur, eum valuiſſe; nam ad translationem dominii ſufficit contractus *putativus*, ſeu, exiſtimatus, uti exemplum habetur §. 6. Inſt. *de oblig. quæ quaſi ex contractu:* ubi accipiens indebiti, per errorem ſoluti, fit Dominus, & indebite ſolventi non competit rei vindicatio, ſed condictio indebiti, vid. etiam l. 36. ff. de A. R. D. quod vero additur: traditione ſine titulo non transferri dominium, intelligendum

eſt, ſi nullus neque exiſtimatus titulus adfuerit.

661 Objic. III. L. 11. §. 5. ff. de A. E. V. ſtatuitur: „ Si quis virginem ſe emere „ putaſſet, cum mulier veniſſet, & ſciens „ errare eum venditor paſſus ſit, *redhibi-* „ *tionem* quidem ex hac cauſa non eſſe, „ verum tamen ex empto competere a- „ ctionem *ad reſolvendam* emptionem, ut „ pretio reſtituto mulier reddatur. „ Ergo contractus, cui dolus cauſam dedit, *validus* fuit; cum detur actio ex empto, per quam primum *reſolvitur*, ſeu reſcinditur.

Resp. Lex ita exponi debet, quod non detur actio redhibitoria ex *Ædilitio edicto*, quod tunc conceditur, quando res empta fuit vitioſa: mulier autem, etiam prægnans, vitioſa aut morboſa non eſt. l. 14. §. 1. ff. *de ædilitio edicto*: ſed quod propter dolum detur actio *ex empto*, ad emptionem *de facto*, non de *Jure* (ſic enim jam nulla eſt) reſolvendam, ut pretio reſtituto mulier reddatur, quæ reſtitutio cum ipſo jure fieri nequeat, actione opus erat. Quamvis autem actio detur, non ſequitur, contractum valuiſſe. v. g. Aliquis dolo deceptus rem ſacram commercio humano exemptam emit; nulla eſt emptio venditio: & tamen datur actio ex empto §. ult. J. *de empt. vend.* l. 62. §. 1. ff. *de contrah. empt.*

Objic.

Objic. IV. Si dolus dans causam contra- 662
ctui bonæ fidei eundem irritum faceret, tunc idem foret, si quis dolo deceptus pluris emeret; cum & in hoc casu deceptio sit causa. Sequela autem falsa est ex l. 13. §. 4. & seq. ff. de A. E. V. Ubi dicitur, deceptum agere posse ex empto *quanto pluris*, adeoque contractum valere.

Resp. Vel fuit dolus *incidens*; & tunc valet contractus: vel *causam dedit*; & dico, non valere. Quamvis enim textus non dicat contractum *invalidum*, non tamen etiam affirmat *validum*. Imo l. 4. Cod. de H. vel A. V. dicitur: „ qui nondum „ certus de quantitate hæreditatis persua- „ dente emptore quasi exiguam quantita- „ tem eam emit, bonæ fidei judicio con- „ veniri, ut res tradat, vel actiones man- „ det, non compellitur. „ Quamvis ergo in objecto textu, decepto detur actio *quanto pluris*, non tamen ei negatur querela, vel exceptio *nullitatis*: alioquin si *tantum* agere posset, *quanto pluris*, tunc non locus esset rescissioni. Quod est contra Adversarios.

Objic. V. In citata lege 13. §. 27. ff. 663
de A. E. V. habetur casus. Si quis minorem deceperit, & ad vendendum induxerit, etiam decipiens habet actionem ex contractu contra deceptum, ut vel impleatur contractus, vel resolvatur. Cum ergo

go uterque habeat actionem, contractum valere necesse est.

Resp. Valet sub conditione, si deceptus velit. Ideo in textu opposito permittitur decipienti eatenus agere adversus deceptum, ut declaret, an velit contractui stare vel non?

664 Objic. VI. Alius habetur casus l. 57. §. 1. ff. *de contrah. empt.* Si Venditor sciens ignoranti emptori vendiderit domum suam incendium passam, si quantacunque pars ædificii remaneat, & *stare* venditionem, & Venditorem emptori quod interest restituere debere dicitur.

Resp. *Retorq.* Si stare debet venditio, tunc nec locus foret rescissioni, quod est contra Adversarios. Igitur lex loquitur de dolo *incidenti*.

665 Objic. VII. Ex his principiis sequeretur etiam Matrimonium, & Professionem religiosam, quibus dolus aut error accidentalis causam dedit, Jure naturæ esse invalidam. Atqui hoc est contra communem sententiam, quæ contractus ex natura sua *irrescindibiles*, etiamsi dolus causam dederit, validos asserit. *Ergo* &c.

Resp. Trans. *maj.* & *min.* Nego *cons.* Non enim id omne falsum est, quod contra

tra ſententiam communiter receptam, & forte non ſatis examinatam, aſſeritur, præſertim cum hic non agatur de jure civili, quod ſequitur communis Auctorum absque examine, ſed de *jure naturæ*. Certe plerique Auctores fatentur, contractum etiam matrimonialem eſſe nullum. „ Si „ qualitas, in qua erratur, adponatur per „ modum conditionis in ipſo contractu, „ quando ſcilicet matrimonium initur, ſi„ ve verbis exprimatur, ſive mente con„ trahentis retenta ſit, irritari matrimo„ nium: ut ſi contrahens eam actu inten„ tionem haberet: duco hanc, ſi dives, „ aut nobilis ſit; tunc enim deficiente ea „ qualitate, deficit conditio, & ſubinde „ conſenſus ſub illa præſtitus, atque ita „ Matrimonium erit nullum: „ ſunt verba Sanchezii lib. VII. de Matrim. diſp. 18. n. 21. Nec abſimilia habet continuator Tournellii, quamquam uterque mihi contrarius: citat etiam Sanchez pro hac ſententia S. Bonaventuram. Atqui ejusmodi conditio imbibita eſt in omni contractu, cui dolus vel error cauſam dedit, quia tali qualitati alligari conſenſum ſupponitur.

Forte non nemo, cui hæc ſententia vi- 666
debitur nimis peregrina, quia communi contraria, quoad Matrimonium & Profeſſionem Religioſam dabit diſparitatem, primo retorquendo in Adverſarios, qui con-

tractus *bonæ fidei* rescindi posse defendunt, non tamen Professionem Religiosam, & matrimonium, quamvis sint contractus bonæ fidei. Dein quia si isti contractus matrimonii &c. quibus dolus aut error causam dedit, forent nulli, tunc quilibet Maritus, Uxor, Religiosus &c. se dolo aut errore deceptum asserens, posset prætendere, Matrimonium, Professionem esse nullam, cum maximo detrimento & scandalo Reipublicæ, utpote cum ejusmodi dolus aut error, cui consensus alligatus fuisse prætenditur, plerumque soleat esse occultus: adeoque hoc casu sufficiet, si modo aliquis in personam vel Religionem *simpliciter* consenserit. Ceteras enim qualitates accidentales præsumitur non intendisse.

667 Atvero, si quid video, hoc discursu solum evincitur, quod talis pro foro externo raro probare valeat, se cognita hac qualitate non contracturum fuisse: Ideoque tantum ex defectu probationum in foro externo adigi poterit ad standum contractui: quemadmodum ille, qui cum impedimento vere dirimente, quod tamen pro foro externo probare non potest, contraxit; etiam censuris Ecclesiasticis ad consummandum Matrimonium adigitur, quod consummare tamen ei non licet, quia committeret fornicationem.

Nunc

Nunc etiam agendum de METU. Hic de- 668
finitur ab ULPIANO, quod ſit *inſtantis vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio.* Alius eſt *intrinſecus*, qui incutitur a cauſa neceſſaria, v. g. naufragio, tempeſtate, incendio &c. Alius *extrinſecus*, qui infertur a cauſa libera, id eſt, homine. Et hic vel eſt *juſtus*, quando metum inferens jus habet minitandi: v. g. Judex compellit ſub pœna, ut, qui ſponſalia valida contraxit, matrimonium cum ſponſa ineat. Vel eſt *injuſtus*: quando metum paſſus nec cauſam dedit, nec inferens jus habet metum incutiendi. Hic denuo vel eſt *gravis*, & quidem *abſolute talis*, cadens in virum conſtantem, h. e. qui poſſit virum alioqui minime timidum a propoſito dimovere: aut *reſpective gravis*, qui eſt timor alicujus mali, quod etſi virum conſtantem non moveat, merito tamen formidandum videtur certis quibusdam perſonis, v. g. Fœminis, Pueris, ſenibus, aut natura ſua meticuloſis. Metus *levis* eſt, quando aut timetur malum leve, aut grave quidem, ſed veroſimiliter non impendens. Ad metum gravem refertur etiam *reverentialis*, quem habent Filii erga Parentes, Uxor erga Maritum, ſubditus erga Superiorem: modo accedant aliæ circumſtantiæ, v. g. graves minæ, verbera, aut continuatæ, ſeu ut prævidetur, continuandæ moleſtiæ.

669 Quoad metum ab agente intrinſeco, vel extrinſeco, ſed *naturali* incuſſum, concors eſt ſententia, eum valori contractus non obſtare; quia a cauſa neceſſaria nemini infertur injuria: & quia iſte metus libertatem non tollit, hinc attritio ex metu pœnarum inferni concepta, eſt actus liber & voluntarius. *Metus gravis*, quamquam ab agente libero incuſſus, ſi fuerit *juſtus*, etiam non obeſt contractui; quia pariter metum paſſo non infertur injuria. *Metus injuſtus*, ſed reſpective tantum levis, *regulariter* contractum non irritat; quia præſumitur, contractui cauſam non dediſſe; cum vani timoris juſta excuſatio non ſit. l. 184. ff. de R. J. & quia ſecus occaſio foret infinitorum litium, foretque nimia dominiorum incertitudo. Hinc a contrario ſequitur, patebitque ex dicendis, contractum fore nullum, ſi revera metus etiam levis cauſam dedit contractui; quia etiam talis infert injuriam metum paſſo, qui metu abſente non contraxiſſet. Itaque de metu extrinſeco, gravi, injuſto, quæritur, an contractus ipſo jure reddat nullos?

670 Resolutio III. Plerique contractus, metu gravi injuſte extorti, jure poſitivo valent.

Prob. I. Nam de Jure Romano conſtat ex §. I. Inſt. *de except.* l. 1. l. 9. §. 3. l.

21. §. penult. ff. l. 5. & l. ult. Cod. *quod metus causa*, in quibus locis metum passo datur restitutio, & contractus rescissio: quod signum est, contractum summo jure valere. Videtur etiam concordare jus Can. cap. 2. cap. 4. cap. penult. verbo, *super restitutione de his quæ vi metusve causa fiunt*. Rationem, quæ Jurisconsultos Romanos permoverit, hanc dat Heineccius, quod Philosophiæ Stoicæ addicti negarent, sapientem ullo metu perturbari, adeoque metum in virum constantem cadere posse; ideo contractus ejusmodi, nihil obstante metu, libere initos inferebant. Hominibus vero metu agentibus, tanquam stolidis & affectuum suorum mancipiis, favere nolebant. Econtra Pufendorfius existimat, ideo tales contractus valuisse; quia non præsumebatur, vim inferri homini in bene morata civitate. Sed quoniam contrarium experientia docuit, Prætor beneficio restitutionis succurrere decrevit.

Dixi: *plerique contractus* &c. Nam non 671.
nulli contractus etiam *jure positivo* nulli sunt. 1. Matrimonium: quo etiam reduci solent sponsalia, tanquam præambula ad illud. 2. Promissio dotis. 3. Professio Religiosa. 4. Electio Prælati. 5. Absolutio a censuris. 6. Alienatio rerum Ecclesiarum, & forte alii, præcipue *irrescindibiles*.

Reso-

672 Resolutio IV. Spectato solo jure naturæ 1. ejusmodi contractus metu extorti non valent, quantum ad favorem metum injuste incutientis: 2. sed in arbitrio metum passi est, an contractum velit valere, vel non: 3. idque sentiendum de contractibus sive rescindibilibus, sive irrescindibilibus.

Prob. I. pars. Ad hoc ut contractus ejusmodi valeat, non tantum requiritur, ut metum passus inferenti obligetur, sed etiam, ut metum inferens sit capax juris sibi quærendi; nam jus passivum sine activo, cum utrumque sit correlativum, non potest concipi. Atqui metum injuste inferens, non est capax Juris ex tali contractu sibi quærendi. Ergo &c. *Min. prob.* Nemo debet ex suo delicto reportare commodum l. 49. l. 134. §. 1. ff. de R. J. cap. 1. *de eo, qui duxit in matr.* cap. 13. *de officio deleg.* in 6. cap. 7. *de Judic.* cap. 15. *de Appellat.* „ Jure enim naturæ æquum est, neminem cum alterius „ detrimento & injuria fieri locupletiorem, „ ut expresse ait l. 206. ff. de R. J. Atqui metum inferens reportaret commodum ex suo delicto, si capax esset Juris sibi quærendi; præcipue, cum injuria esset *causa* & radix obligationis, ut patet ex rubrica tituli: *de his, quæ vi metusve* causa fiunt. Ergo &c.

Exci-

Excipient Adverſarii, non injuriam, ſed 673
conſenſum metum paſſi cauſam eſſe. *Contra.* hic ipſe conſenſus per injuriam fuit extortus. Itaque ultimato injuria cauſa eſſet obligationis; niſi enim fuiſſet illata injuria, alter non conſenſiſſet. Dici etiam poteſt, quod *ordinarie* in tali metu non adſit conſenſus *verus* & *internus*, ſed ſolum externus, ad redimendam vexam fictus. Atqui talis non ſufficit ad rationem contractus veri, ex dictis N. 646.

Prob. II. Eadem pars. Fatentur Adver- 674
ſarii cum P. Pichler, quod metum inferens *jure naturæ* non poſſit petere id, quod metu fuit promiſſum: imo quod teneatur etiam non petenti reſtituere, quod metu injuſte extortum accepit. Ex quo ſic infertur. Jure naturæ non poteſt valere contractus, niſi eodem jure ſit obligatio in metum paſſo, & jus activum in metum inferente. Atqui jure naturæ nec in illo obligatio, nec in iſto jus eſt petendi, vel retinendi. Ergo &c. *Maj.* Conſtat ex n. 672. *Min. prob.* Jus *activum* in metum inferente (ſine quo metum paſſus non obligatur) aliud eſſe nequit, quam vel retinendi rem acceptam, vel exigendi promiſſam, ſed nondum traditam: atqui metum inferens de J. N. nec jus habet retinendi, cum etiam non petenti ex naturali lege teneatur reſtituere: ut patet in fure, & malæ fidei poſſeſſore: & fatentur

tentur Adverſarii; nec jus habet exigendi; cum exigendo non minus peccet, quam injuſte retinendo, & J. N. petere non liceat, quod retinere non licet. Cur enim petere poſſet, quod tamen etiam non repetenti ſtatim reſtituere deberet? certe has ambages ſimplicitas Juris Naturæ ignorat: hinc dicitur l. 173. §. 3. ff. R. J. *dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt.* vid. etiam cap. 59. eod. in 6. *quod reſtituere oportet eundem.*

Inexſpectatam Reſponſionem dat P. Pichler, valere actum ſpectato jure naturali ſaltem pro foro *externo*; cum tamen etiam juris Novitio manifeſtum ſit, obligationem naturalem, & in conſcientia, eſſe ſynonima, & ad forum *internum* pertinere.

675 Prob. II. pars. Quod contractus metu extortus J. N. nullus ſit, quantum ſpectat favorem metum incutientis, patet ex nunc dictis: quod vero metum inferens teneatur ſtare contractui, ſi ita placuerit metum paſſo, *prob.* Ad valorem contractus requiritur conſenſus liber, obligatio ex una, & jus ex altera parte. Atqui ſi metum paſſo placuerit, ratihabere poteſt conſenſum metu extortum, & ſic liberum efficere: unde oritur obligatio activa & paſſiva. Ergo.

2. Me-

2. Metum inferens obligatur metum paſ- 676
ſo, quia etſi ex delicto ſuo nemo debeat reportare commodum n. 672. quisque tamen tenetur ex ſuo, quamvis non alius. Sic enim habetur l. penult. ff. *de tab. exhibendis*. „ Si ſint tabulæ apud Pupillum, „ & dolo Tutoris deſierint eſſe, in ipſum „ tutorem competit interdictum; æquum „ enim eſt, ipſum ex delicto ſuo teneri, non pupillum. „

3. Ceſſante metu contingere poteſt, ut 677
metum paſſus judicet contractum ſibi favorabilem: ergo poteſt alterum obligare, ut ſtet contractui; nam *quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium detorquendum*. cap. 61. de R. J. in 6.

4. Metum inferens ſe obligavit metum 678
paſſo: ſed *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*. cap. 21. de R. J. in 6. Ergo in arbitrio metum paſſi eſt, an velit alterum ſibi obligatum habere, ſicque contractum valere.

Prob. III. pars. Ideo juxta D. Peregri- 679
ni, hic contrarium, contractus irreſcindibiles metu extorti non valent J. N. quia in ejusmodi negotiis non ſufficit qualiscunque conſenſus, ſed debet eſſe *liber*: conſenſum autem metu extortum non eſſe liberum, per ſe patulum eſt. Atqui hæc ratio utique etiam facit pro contractibus

rescindibilibus, & argumenta hactenus proposita de omnibus contractibus sine discrimine concludunt.

680 Objic. contra Partem I. Ad valorem contractus J. N. plus non requiritur, quam duorum in idem placitum consensus. Atqui in contractu metu extorto adest duorum consensus; nam etiam coacta voluntas, est voluntas. l. 21. §. 5. ff. *quod metus causa.*

Resp. I. *Dist.* Sufficit consensus, liber. *Conc.* Metu extortus. *Neg.* Libero autem consensui *nihil tam est contrarium, quam vis atque metus*, ut dicitur l. 116. princ. ff. de R. I. *quem comprobare contra bonos mores est.* Ibidem.

Resp. II. *Dist. maj.* Consensus, a Jure non irritatus. *Conc.* Irritatus. *Neg.* Nam & Donatio inter Virum & Uxorem, non obstante consensu, nulla est. vid. etiam l. 5. Cod. *de legibus.*

Resp. III. Nego *maj.* Nam præter consensum ulterius, & quidem de J. N. requiritur, ut utraque pars jus ex contractu sibi quærere valeat. Quando autem unus contrahentium jus sibi adquirere nequit, tunc alter obligari non potest, quod patet ab exemplo. Religiosus Ordinis bonorum incapacis præstat consensum ad rem

sibi,

ſibi, vel Monaſterio adquirendam: contractus tamen non valet; quia ex parte Monaſterii adeſt incapacitas juris ſibi quærendi. Idem contingit in noſtro caſu, ubi metum inferens, poſito licet conſenſu, jus ex injuria ſibi adquirere nequit.

Objic. contra Partem II. Quod ab initio 681
nullum eſt, tractu temporis convaleſcere non poteſt. l. 29. ff. de R. J. cap. 18. eodem in 6. Atqui contractus metu extortus, ab initio nullus eſt, ex dictis. Ergo tractu temporis ex ſolo arbitrio metum paſſi convaleſcere non poteſt.

Resp. *Diſt. maj.* Quod ab initio *abſolute* nullum eſt &c. *Conc.* Quod ſolum *conditionate* nullum eſt. *Neg. maj.* Contractus metu extortus, nullus eſt in hypotheſi, niſi metum paſſus eum poſtea ratihabere velit: ideoque in tantum nullus eſt, ne metum inferens favorem inde trahat; in odium autem ipſius valet. Ita & contractus Pupillorum, Minorum &c. in quorum favorem nulli ſunt, in odium tamen alterius, v. g. Fidejuſſoris, valent, vel quando contractus Pupillis favorabilis eſt.

Objic. II. Ex dictis ſequitur, dari obli- 682
gationem, ab illius, qui obligatus eſt, voluntate pendentem, & involvi conditionem: *ſi voluero.* Atqui iſtud repugnat

 cla-

claro textui l. 8. ff. de O. & A. l. 108. §. un. ff. de V. O.

Resp. Oppositæ leges hoc unum volunt, quod contractui non possit adponi conditio: *si velim*; quia hoc modo promittens non declararet voluntatem contrahendi, sed potius animum ludendi. Inde autem inferri non potest, non dari contractum vera voluntate initum, qui tamen contrahentis pœnitentia, sine Prætoris remedio irritari possit, & a declaratione unius contrahentium pendeat, utrum contractui insistere velit, aut nolit. Exemplum est in contractibus *innominatis*, ubi datur locus pœnitentiæ: In contractibus Pupilli, Minoris, Ecclesiæ &c. sine auctoritate & solennitate initis, ubi quidem consensus & voluntas se obligandi supponitur, alteri tamen parti jus *absolutum* non quæritur. Certe enim Pupillus sine Tutore contrahens, alterum quidem sibi obligat, ipse autem vicissim non obligatur, ne naturaliter quidem. princ. Inst. *de Auct. Tutor.* l. 28. princ. ff. *de Pactis.*

683 Objic. contra III. partem. Ideo contractus, etiam *rescindibiles*, non valerent; quia metum inferens incapax esset juris sibi ex injuria quærendi. Atqui hæc ratio nulla est; nam etiam injuria potest jus adquiri. §. 12. J. de R. D. l. 3. §. 1. ff. de A. R. D. & l. 16. ff. de S. P. R. ubi qui

feram

feram in alieno capit, eſto committat injuriam l. 13. fin. ff. *de Injur.* nihilominus feræ captæ fit Dominus. *Ergo* &c.

Resp. Actus, quo dominium feræ adquiritur, non eſt injurioſus; cum occupatio rerum, quæ *nullius* ſunt, ubique licita, eſto, ingreſſus in alienum fundum illicitus ſit.

Objic. contra datam reſponſionem. At- 684
qui idem eſt in noſtro caſu; nam actus, quo jus adquiritur, eſt omni jure licitus, nempe actus voluntarius promittentis, & acceptatio alterius, quorum uterque eſt licitus: etſi originem trahat ex metu, ſicut venatio ex illicito ingreſſu.

Resp. I. Dato, non conceſſo, hoc caſu adquiri dominium feræ, illud tamen non adquiritur per injurioſum ingreſſum, ſed per occupationem, & apprehenſionem corporalem; quæ jure Romano erat modus adquirendi dominii validus. In noſtro autem caſu deeſt conſenſus liber, qui defectus ſicut contractum irreſcindibilem, ita & reſcindibilem jure naturæ invalidat. Dein, metus eſt *cauſa* conſenſus, adeoque ipſius contractus; quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Atqui metus eſt injuria, conſequenter injuria iſtius contractus *cauſa* foret.

Resp. II. Nego, adquiri dominium feræ in fundo alieno, ſaltem hodiernis moribus. Quemadmodum ergo in materia venationis, ita & hic de contractibus, a Jure Romano recedere licebit. Et certe, mira eſt ſubtilitas juri naturæ incognita, injuriam committi per ingreſſum in fundum alterius venandi gratia: nullam tamen committi per occupationem feræ; cum tamen *hæc* Domino magis noceat, quam ingreſſus. Si ergo jure naturæ feram occupare licet; licebit etiam fundum ingredi: aut neutrum licebit. Itaque ultimato

Resp. *Diſt. prob. min.* Injuria poteſt jus adquiri, de jure Romano. *Trans.* De jure naturæ, de quo hic agitur. *Nego.*

§. III.

De effectu contractuum.

685 Effectus contractus *proximus*, eſt obligatio ad præſtandum, vel omittendum, de quo fuerat conventum; hic enim fuit finis & intentio contrahentium. *Obligatio* juſtitiæ, ſeu ſtricta, de qua hic agitur, triplex eſt. 1. *Naturalis*, ſeu, in conſcientia *tantum*, quamvis in foro externo actionem non pariat; eſt enim principium Juris Naturalis: Pacta & fides ſervanda ſunt. 2. *Civilis tantum*, quæ parit actionem ſolum in foro *externo*, propter præſumptionem

nem juris, quamvis nulla ſit in conſcientia obligatio. 3. *Mixta*, quando utraque concurrit, & tam pro foro in- quam externo aliquis obligatur. Effectus *remotus*, eſt actio Civilis, de qua Jurisconſulti ſuis locis pertractant. Cum autem contractus iniri poſſit vel *abſolute*, vel ſub *conditione*, aut *modo*; hinc *primo* agam de contractibus, præcipue ſi interveniat conditio turpis, aut impoſſibilis, an ejusmodi contractus valeat? 2. An contractus ob omiſſas ſolennitates jure poſitivo irritati, etiam nulli ſint pro conſcientia? 3. An contractus Jure poſitivo invalidi, firmentur adjecto juramento?

Conditio alia eſt de *præterito*, alia de 686
præſenti, alia de *futuro*. Alia *impoſſibilis*, vel a natura, vel a jure. Alia *neceſſaria*, alia contingens; eaque vel *poteſtativa*, quando impletio conditionis pendet ab eo, cui imponitur; vel *caſualis*, quando ab illo non pendet, ſed vel ab alio, vel a caſu. Alia eſt *honeſta*: alia *turpis*. Alia *indifferens*. Quæ omnia patent ex notione terminorum. Quando conditio impletur, dicitur *purificari*, & contractus conditionatus tranſire in abſolutum. Jam ſtatuitur

Resolutio I. Contractus ſub conditione 687
honeſta, poſſibili, de præterito jam impleta, vel præſenti ſubſiſtente, vel neceſ-

 ſario

ſario eventura, ſtatim valet, & æquivalet contractui abſoluto. E. g. Dicit aliquis fœminæ: duco te in matrimonium, ſi ingenua es: ſi paratam habes dotem tot florenorum. Eſt certa apud omnes: quia hoc caſu conſenſus minime eſt ſuſpenſus, nec pendet ab aliquo faciendo, ſed de præſenti jam exiſtente; hinc alio non eſt opus, quam ut veritas, ſeu, exiſtentia doceatur. vid. l. 37. ff. *de rebus creditis*. l. 9. §. I. ff. *de Novationibus*. A contrario autem ſi talis conditio non exſtet, aut non extiterit, nullus eſt contractus; quia nullus conſenſus. v. g. Si ingenua non ſit, nec dotem ſtipulatam paratam habeat; ſtatim de præſenti nullum eſt Matrimonium.

688 Resolutio II. Si conditio ſit de futuro contingenti libero, honeſta, & poſſibilis; ſuſpenditur valor contractus usque ad eventum vel implementum conditionis, ita tamen, ut partes eventum exſpectare teneantur. Conditione purificata impleta contractus ex conditionato tranſit in abſolutum.

Ratio *Primi* eſt; quia conditioni illi alligatur conſenſus: ergo ante implementum non adeſt voluntas obligandi, conſequenter neque obligatio, quæ pendet a libera contrahentium voluntate.

Alte-

Alterum probatur ex l. 9. *de contrahenda emptione.* Ubi: „ Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta „ fuerit conditio. „ Ratio est; 1. quia tunc valet contractus, quando eum valere voluerunt contrahentes. Atqui voluerunt valere purificata conditione. Ergo tunc valet. 2. Causa naturaliter operans, habet suum effectum remoto obice: atqui mutuus contrahentium consensus est causa naturaliter operans obligationem. Ergo remoto obice, quod fit per purificationem conditionis, statim operatur. Excipiunt aliqui Matrimonium; quod requirat consensum de *præsenti.* Sed de hoc videantur Canonistæ ad tit. *de conditionibus appositis.* 689

Resolutio III. Contractus sub conditione impossibili, aut turpi initi, regulariter sunt nulli; ita ut nulla sit obligatio ad conditionem turpem implendam. 690

Prob. Ejusmodi contractus pendet a conditione adjecta. Ergo si conditio poni non possit, aut non debeat, etiam obligatio nulla esse potest. Hinc qui talem adjicit conditionem, censetur nugari, nec habere animum se obligandi. Sive ergo conditio sit impossibilis a natura: v. g. Si montem transferas: aut a lege velut omnis conditio turpis, quæ in jure habetur pro impossibili (juxta elegantem textum

l. 15. ff. *de conditionibus institutionum* : „ Quæ facta lædunt pietatem, existimatio- „ nem, verecundiam nostram, & ut ge- „ neraliter dixerim, contra bonos mores „ fiunt, nec facere nos posse credendum „ est. „ nulla ex hoc contractu oritur obligatio; quia, ut est in proverbio, *ad impossibile nemo tenetur*, neque ad peccandum obligari potest. Hoc etiam clare decisum est l. 1. §. 11. l. 31. ff. de O. & A. l. 7. l. 35. ff. de V. O.

691 Dixi in Resolutione. Contractus sub conditione impossibili aut turpi initos *regulariter* nullos esse. Excipitur tamen I. contractus *Matrimonii*, cui conditio turpis, quæ triplici ejusdem bono adversatur, adjecta, vitiatur, h. e. annullatur, pro non addita reputatur, & contractum Matrimonii relinquit validum. cap. ult. *de condition. adposit.* Idque in favorem matrimonii. Excipitur

II. Dispositio ultimæ voluntatis, v. g. testamentum, legatum, donatio mortis causa. l. 1. §. 11. l. 7. l. 35. ff. de V. O. Quia præsumitur, quod testator in his circumstantiis seriis noluerit alligare consensum conditioni turpi, ineptæ, aut impossibili, sed potius conformiter legibus disponere. Hinc etiam communiter dicunt, ejusmodi ultimas voluntates pro foro conscientiæ valere, & conditiones haberi pro non adjectis. III.

III. Illa etiam conditio: *ſi non nupſerit*, ultimæ diſpoſitioni adjecta, in favorem Matrimonii, & ut Reſpublica augeretur, nulla olim erat l. 100. ff. *de condition. & demonſtrat.* quod tamen Authentica, *cui relictum*, Cod. *de indicta viduitate* ad primas nuptias reſtrinxit, ita ut ſub illa conditione inſtituta, ſi ſecundas inierit nuptias, legatum amittat.

IV. Nulla quoque & turpis habetur conditio teſtamento &c. addita: *Si Religionem non ingreditur*, & pro non adjecta reputatur, idque in favorem Religionis & libertatis, vid. P. Antoine pag. m. 427.

Dixi quoque in Reſolutione: *nullam eſſe* 692
obligationem ad implendam conditionem turpem. Poſito tamen caſu, quod conditio turpis ab uno contrahentium impleta fuerit, quæritur, an alter ad ſolvendum promiſſum ſub conditione turpi præſtandum, aut taliter acceptum reſtituere obligetur, qui conditionem turpem adimplevit? v. g. Juvenis meretrici certam pecuniæ ſummam pro uſu corporis ſpondet, aut promittit puellæ matrimonium, ſi præbeat uſum corporis. Si uſus corporis fuerit exhibitus, an obligabitur Juvenis ex juſtitia ad numerandam pecuniam, vel ducendam corruptam? communius negant Theologi; affirmant communius Juriſconſulti.

693 Resolutio IV. Quamvis iſte contractus ſit nullus in ordine ad implendam conditionem, parit tamen obligationem ad præſtandum promiſſum, poſtquam conditio turpis fuerit impleta, & taliter acceptum non debet reſtitui.

Pars I. conſtat ex dictis n. 690. altera probatur I. ex l. 4. §. 3. ff. *de conditione ob turpem cauſam.* Ubi ſtatuitur, quod meretrici ob turpem conditionem impletam datum non poſſit repeti. Verba ſunt: „ Quod meretrici datur, non poteſt re- „ peti... illam enim turpiter facere, quod „ ſit meretrix: non turpiter accipere, cum „ ſit meretrix. „ Atqui ubi condictio locum non habet, ibi ſupponitur, præceſſiſſe obligationem naturalem. argumento l. 10. ff. de O. & A.

694 Prob. II. Ex S. Augustino relato cap. 20. XXII. 4. Ubi ait, quod ſi latro quærat ſocium cum pacto de partiendo ſpolio, ſi eum adjuvet in prædando, & poſtea prior latro prædam ſolus retineat, *ſceleratior* judicandus ſit. Atqui *ſceleratior* non eſt, niſi ratione perfidiæ, ob pactum violatum reſpectu illius, qui conditionem licet turpem, pretio tamen æſtimabilem, impleverat. *Ergo* &c.

695 Prob. III. Ex S. Thoma 2. 2. q. 32. a. 7. ☉. „ Tertio modo eſt aliquid illicite acqui-

„ acquiſitum, non quidem quia ipſa ac„ quiſitio ſit illicita; ſed quia ex eo, quod „ adquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de „ eo, quod mulier adquirit per meretri„ cium: & hoc proprie vocatur turpe lu„ crum; quod enim mulier turpe lucrum „ exerceat, turpiter agit, & contra legem „ Dei: ſed in eo quod accepit, non in„ juſte agit, nec contra legem. Unde quod „ ſic illicite acquiſitum eſt, retineri po„ teſt, & de eo eleemoſyna fieri. „ Idem repet. 2. 2. q. 6. 2. a. 5. ad 2. „ Alio modo „ aliquis illicite dat, quia propter rem „ illicitam dat; licet ipſa datio non ſit il„ licita: ſicut cum quis dat meretrici pro„ pter fornicationem: unde & mulier po„ teſt ſibi retinere, quod ei datum eſt. „ Unde ſic infero. Qui ob turpem cauſam dant aliquid, vel accipiunt, hoc juxta S. Thomam licite faciunt. Vel ergo id faciunt aut acceptant ex mera donatione gratuita, vel ex contractu conditionato, qui purificata conditione parit obligationem? quidquid dicant Adverſarii, eſt contra eorum principia. Si enim licitum eſt remunerari opus turpe; ergo etiam licite præſtatur conditione impleta, quod ob opus turpe fuit promiſſum; quia quod licite dono intuitu turpis operis exhibiti, illud etiam poteſt deduci in pactum, ita ut ſaltem tenear poſt conditionem impletam. Si autem dicant ſecundum; tunc omnino habeo intentum.

Prob.

696 PROB. IV. Pacta jure naturæ servanda sunt, quando in sui executione nihil inhonesti involvunt. Atqui quod ob conditionem turpem, ut supponitur, adimpletam, promissum est, nihil inhonesti involvit; quamvis enim inhonestum sit, alterum ad turpem conditionem obligare, quam ille quidem adimplere nec licite potest, nec debet: inhonestum tamen non est, fidem datam servare; non intuitu peccati formaliter talis, sed in quantum arbitrio hominum actus peccati physicus pretio æstimabilis est, & implenti conditionem turpem damnosus: quod damnum & pretium æstimabile compensare, utique malum non est. Si malum non est; in obligationem venire potest. Et hinc communis est sententia, sponsalia sub conditione turpi, v. g. copulæ fornicariæ inita, ante impletam conditionem nullam quidem parere obligationem, post implementum autem, eandem enasci, de quo dixi n. 560. seq.

697 PROB. V. Isti contractus non sunt nulli jure *naturæ*; sic enim liberum est consensum suum alligare conditioni etiam turpi: ex mutuo autem consensu oritur obligatio. Neque nulli sunt jure *positivo*; hoc enim tantum statuit, non oriri obligationem ad implendum conditionem turpem.

OBJIC.

Objic. I. Cap. 8. *de Pactis* dicitur. „ Jux- 698
„ ta legitimas ſanctiones pactum turpe, „ vel rei turpis, aut impoſſibilis, de Ju- „ re vel facto nullam obligationem indu- „ cit.

Resp. *Diſting.* Nullam inducit obligationem, ad implendam conditionem. *Conc.* Non inducit obligationem, poſt conditionem impletam. *Nego.* Contrarium enim patet in ſponſalibus taliter initis, quæ ab initio quidem nullæ ſunt, ſed poſt uſum corporis præſtitum, obligationem pariunt.

Objic. II. L. 26. ff. de V. O. dicitur: 699
„ Generaliter novimus, turpes ſtipulatio- „ nes nullius eſſe momenti. „ Et l. 123. eodem. „ Si flagitii faciendi vel facti cau- „ ſa ſit ſtipulatio, ab initio non valet. „ vid. etiam l. 35. ff. eodem. & l. 6. Cod. *de Pactis.*

Resp. Eodem modo. Jura enim dum tales ſtipulationes, ſub conditione turpi initas, dicunt *nullas*, hoc tantum volunt, quod nemo obligari poſſit ad turpia, quæ habentur pro impoſſibilibus: non autem volunt, poſt conditionem turpiter impletam nullam eſſe obligationem ſtandi promiſſis; contrarium enim declararunt de eo, quod meretrici fuit ſolutum, cujus negant condictionem. vid. l. 4. l. 8. ff. *de condict. ob turpem* vel *injuſtam cauſam.*

Objic.

700 Objic. III. Si iſti contractus eſſent validi, tunc vel obligarent utrumque contrahentium, vel unum tantum. Neutrum poteſt dici. *Ergo* &c. *Min. prob.* Non *utrumque*; quia ſic una pars obligaretur ad implendam conditionem turpem, ſeu ad peccandum, quod dici nequit. Non *unum* tantum; quia ſic eſſet contractus *gratuitus* conditionatus, nempe poſita conditione peccati. Sed hoc non poteſt dici. *Ergo. Min. prob.* 1. In talibus contractibus non datur intentio ineundi contractum *gratuitum*, ſed *oneroſum*, cum animo obligandi etiam alterum. Ergo &c. *Min. prob.* 2. Si contractus turpes eſſent validi per modum promiſſionis *liberalis*, ſuſpenſæ tamen ad eventum conditionis, ſine animo Promiſſarium obligandi, ſed tantum animo ad peccatum eum ſolicitandi; tunc iſta promiſſio eſſet intrinſece remuneratoria peccaminoſæ actionis, de ſe ex ſuo genere pretio non æſtimabilis. Sed hæc non poteſt valere. Ergo promiſſio liberalis remunerativa peccati, eſt intrinſece nulla. *Min. prob.* Promiſſio facta Deo ſub conditione turpi, eſt nulla. Ergo etiam promiſſio facta homini. *Min. prob.* 2. Promiſſio peccandi eſt intrinſece nulla. Ergo etiam promiſſio remunerandi peccatum, eſt intrinſece nulla. *Conſ. prob.* Remunerari peccatum, ex ſuo genere peccatum eſt. Ergo eſt eadem ratio de promiſſione peccandi, & de promiſſione remunerandi pec-

pec-

peccatum. *Min. prob.* 3. Illa promiſſio eſt intrinſece nulla, ad quam implendam nulla lex convenienter poteſt obligare. Sed talis eſſet promiſſio remunerandi peccatum. Ergo. *Min. prob.* Nulla lex poteſt obligare ad ſolicitandos hominum animos ad peccandum, & ad remunerandum *privatim*, quod *publice* per omnes leges eſt pœna dignum. Sed hoc fieret, ſi quis obligaretur ad ſervandam promiſſionem remuneratoriam peccati. Ergo. *Min. prob.* Obligatio ſervandi promiſſionem ſub conditione turpi, revera promoveret actionem turpem. *Ergo* &c. *Min. prob.* 4. Illa promiſſio eſt jure naturæ nulla, quæ in foro externo, exigente bono communi, eſt juridice nulla: ſed talis eſt promiſſio controverſa. *Ergo. Min.* Patet ex l. 12. §. 1. ff. *de furtis.* ubi: *actionem ex improbitate ſua nullus conſequitur.* & l. 3. *de condict. ob turpem cauſam.* „ Ubi dantis & accipien„ tis turpitudo verſatur, non poſſe repe„ ti dicimus, veluti ſi pecunia detur, ut „ male judicetur. „ *Maj. prob.* Quisque debet eſſe ſuus legislator; aut certe naturalis ratio eſt inſtar legislatoris in iis, quæ obſtant bono communi in foro externo, & quæ vergunt directe ad corruptelam morum. *Ergo. Min. prob.* 5. Princeps ſtulte ageret, ſi tribueret vim obligationis civilis promiſſionibus factis & faciendis in ruinam Reipublicæ, Religionis, aut ſuæ Perſonæ. Ergo etiam Deus imprudenter ageret, ſi

ejusmodi promiſſionibus remunerativis peccati tribueret vim obligationis Theologicæ. Si autem Deus non tribuit vim obligationis Theologicæ; reipſa non dabitur obligatio Theologica. *Min. prob.* 6. Illa promiſſio eſt nulla in foro interno, quæ eſſentialiter habet *animum* remunerandi, & tamen non habet *objectum* capax remunerationis. Sed talis foret promiſſio remuneratoria peccati. *Ergo* &c. *Maj.* Patet; quia deficiente materia & objecto eſſentiali alicujus contractus, etiam contractus nullus eſt. *Min. prob.* Objectum talis promiſſionis eſt actio peccaminoſa. Atqui hæc non eſt digna remuneratione, ut patet ex lumine rationis. Ergo &c. Ita Cl. D. Amort.

Resp. ad Argum. Neg. min. Et dico, quod obligetur *unus* contrahentium poſt impletam ab altero conditionem turpem. Ad *prob.* Nego, quod ſit contractus *gratuitus*, ſed eſt *oneroſus*; quia alter implevit conditionem, turpem quidem, ſed quoad actum phyſicum & ſuos effectus pretio æſtimabilem.

Ad I. *Prob.* Nego *conſeq.* Diſparitas eſt; ideo enim promiſſio facta Deo ſub conditione turpi, non eſt valida, quia a Deo non acceptatur: econtra promiſſio v. g. matrimonii ſub conditione præſtandi uſus corporis, a puella acceptatur; illicite quidem, ſed non invalide.

Ad

Ad *prob.* II. *Conc. ant.* Nego *conſeq.* vel *Diſt.* Promiſſio remunerandi peccatum, quoad *formale* ſpectatum, intrinſece nulla eſt. *Conc.* Quoad *materiale* & ſuos effectus ſpectatum. *Nego.* Ceterum argumentum hoc tantum probat, iſtam promiſſionem ante impletam conditionem turpem eſſe illicitam, quia ad peccatum ſolicitat. *Diſting.* Etiam ultimam conſequentiam. Ergo eadem eſt ratio de promiſſione peccandi, & de promiſſione remunerandi peccatum, quoad rationem *illiciti. Conc.* Quoad rationem *invalidi.* Nego.

Resp. ad prob. III. Nego *min.* Ad prob. *diſt. maj.* Nulla lex poteſt obligare ad remunerandum privatim, quod publice per omnes leges eſt pœna dignum, non poteſt obligare *antecedenter* ad impletam conditionem. *Conc.* *Poſt* impletam conditionem. *Nego*, & *ſubdiſting.* Ad remunerandum peccatum *formaliter* tale. *Conc. Materialiter* tale, & quoad effectus ſpectatum. *Neg.*

Resp. ad *prob.* IV. Omiſſa *maj.* Nego. *min.* Dixi. *Omiſſa maj.* Nam prorſus negari poteſt. Sic enim pacta nuda juridice nulla ſunt, & tamen valent jure naturæ. Contractus pupillorum &c. fidejuſſio mulieris, juridice nulla eſt, & tamen juxta multos valent jure naturæ. Mutuum filiifamilias juridice nullum eſt, & tamen jure naturæ valet. Idem dicendum de obli-

gatione poſt rem judicatam, quæ juridice nulla eſt, & jure naturæ valet, quod multi etiam docent de contractibus, qui defectu ſolennitatum juridice nulli ſunt, & tamen in conſcientia agnoſcuntur ab illis, ceu validi. Ad *prob. min.* Dico l. 12. *de furtis*, huc non pertinere, ut patet ex inſpectione. Ait enim: „ ſed furti actio „ malæ fidei poſſeſſori non datur, quamvis „ intereſt ejus rem non ſubripi, quippe „ cum res periculo ejus ſit: ſed nemo im- „ probitate ſua conſequitur actionem. Et „ ideo ſoli bonæ fidei poſſeſſori, non „ etiam malæ fidei, furti actio datur. „ Nos ſumus in alio caſu: Jura expreſſe negant condictionem ei, qui ob turpem conditionem ab altero impletam ſolvit. Contra, actionem furti negant malæ fidei poſſeſſori. L. 3. *de condict.* mihi favet; ſi enim condici non poteſt, quod ob turpem cauſam ſolutum fuit; ergo præceſſit *naturalis* obligatio ſolvendi, & qui accepit, licite retinet.

Resp. ad prob. V. *Diſting. ant.* Stulte ageret Princeps, ſi tribueret vim obligationis civilis in ordine ad implendam conditionem turpem. *Conc.* Poſt impletam conditionem. *Nego. Diſting. conſeq.* Deus imprudenter ageret ſi tribueret vim obligationis Theologicæ promiſſionibus remunerativis peccati, *formaliter* ſpectati. *Conc. Materialiter* ſpectati. *Nego.* Si enim Deus im-

imprudenter non agit, præmovendo juxta Thomiſtas ad actum phyſicum & materiale peccati ; nec imprudenter agit, obligando promiſſorem ad ſtandum promiſſis poſt actum peccati phyſicum, pretio æſtimabilem poſitum.

Resp. ad *prob.* VI. Nego *min.* Ad *prob.* Nego *maj.* Objectum enim remunerationis, non eſt actio peccaminoſa, ſaltem *formaliter* ſpectata, ſed vel *conſenſus* ab altera parte præſtitus, vel bona ejus ac prompta *voluntas* obſequendi, ipſa conditionis adimpletione demonſtrata, quæ pretio æſtimabilis eſt. Sicut quando Sacerdoti promitto ſtipendium, ſi miſſam pro me adplicet, non remuneror aut compenſo ipſum ſacrificium; (hoc enim foret Simoniacum) ſed bonam ejus voluntatem mihi obſequioſam. Ita & hic, ſalva ceteroquin materiæ diſcrepantia. Cum etiam qui turpem conditionem implet, regulariter aut gravia damna, aut pericula ſaltem incurrat, idque ſub tali conditione promittens provideat; hinc juſte promittit, ſe illa damna, aut pericula, quæ ipſa æſtimari poſſunt, compenſaturum.

Objic IV. Ex his ſequeretur, etiam uſu- 701
ras excuſari poſſe, ſi quis ita paciſcatur: promitto tibi mille, ſi mihi ſolvere velis uſuras, perſuadendo, quod uſuræ non ſolvantur pro ipſa pecunia, ſed pro bono

affectu summam capitalem offerentis: atqui hoc falsum est. Ergo &c.

Resp. Nego *Sequel.* Nam hoc est contra Hypothesin nostræ quæstionis. Solvere enim usuras, non est conditio turpis, sed petere & accipere eas: & hinc ex parte conditionem implentis nulla est turpitudo, quod tamen in hac quæstione supponitur. Forte etiam dici potest, contractus usurarios libere initos, jure naturæ quidem valere, sed tamen esse illicitos ex parte percipientis usuram: aut si jure naturæ non valent, id inde provenire; quia usuram petens absque omni titulo, incapax est juris sibi quærendi, eoquod usuras absque titulo petens, alterum afficiat injuria, ex qua non potest oriri jus activum: contra, qui conditionem turpem stipulatam implet, suam compartem nulla afficit injuria, sed potius gratum ei præstat obsequium, quod *materialiter* & in effectu spectatum, pretio æstimabile est.

702 Objic. V. Juxta dicta ante impletam conditionem turpem nulla est obligatio promissionis: sed obligatio demum oriretur post impletam conditionem: atqui quod ab initio nullum est, tractu temporis convalescere non potest. Ergo &c.

Resp. *Disting. min.* Quod ab initio *absolute* nullum est. *Conc.* Quod *hypothetice* nul-

nullum eſt, tractu temporis non convaleſcit. *Neg.* Hoc enim omnibus contractibus conditionatis proprium eſt, ut tunc obligare primum incipiant, quando impleta eſt conditio. Habent autem ſuam vim non ex tractu temporis, ſed ex ipſa conditionis adimpletione, cui conſenſus promittentis erat alligatus. Quando contractus celebratur ſub conditione turpi, tunc ab initio nulla quidem eſt obligatio ad conditionem implendam: hac autem impleta, obligatur alter ad promiſſionem ſervandam ex vi ſui conſenſus, & vi Juris ab altera parte quæſiti.

Conſtat, quoſdam contractus ita jure 703
poſitivo quandoque irritari, ut nullam actionem, ſeu, obligationem civilem, & pro foro externo pariant. Quæritur, an tunc neque pro conſcientia valeant? v. g. teſtamentum debitis ſolennitatibus deſtitutum, nullum eſt pro foro externo. Quæritur ergo, an in tali teſtamento hæres inſtitutus aut legatarius, tuta conſcientia retinere valeat hæreditatem aut legatum, vel utrum hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus reſtituere debeat: atque ita etiam in aliis caſibus.

Resolutio V. Contractus quidam Jure 704
poſitivo ita irritari poſſunt, ut nullum neque pro conſcientia valorem obtineant: an autem leges ita irritare voluerint, deſumendum eſt ex earum tenore.

Prob. I. pars. Defacto aliqui contractus ita sunt irritati, ut nullam obligationem nec *naturalem* pariant: v. g. matrimonium clandestinum: donatio inter virum & uxorem: contractus Pupillorum, Minorennium &c. absque authoritate tutoris: alienationes rerum Ecclesiæ sine solennitate factæ &c. Ergo possunt & alii irritari.

705 Prob. II. Illa potestas legislatori tum civili quam Ecclesiastico denegari non debet, quæ ipsis privatis contrahentibus competit: atqui hi possunt quasdam contractibus suis apponere conditiones, quarum defectu contractus non valent: ergo & legislatores possunt.

706 Prob. III. Ista potestas est rationabilis, & cedit in bonum commune: ergo legislatori negari non potest. *Ant. prob.* Rationabile est, ut voluntates contrahentium subditæ sint potestati legislativæ in ordine ad bonum commune & rectam gubernationem Reipublicæ; si autem subditæ sunt, tunc ita volente legislatore nullus est consensus in contractu contra leges inito, utpote a legislatore irritatus. Si nullus consensus; ergo nulla potestas transferendi dominium ex una, & nulla potestas acceptandi ex altera parte. Sed & bonum commune hoc postulat. Si enim contractus pro foro externo nullus, in conscientia valeret, tunc oriretur incerti-

tudo

tudo dominiorum, & ſub prætextu tacitæ compenſationis occaſio foret litium, Rapinarum, & fraudum innumerarum: quæ omnia bono communi, & rectæ gubernationi Reipublicæ repugnant. Evitantur autem, ſi ejusmodi contractus utroque foro invalidi fuerint.

PROB. II. pars. An legislator ſua pote- 707
ſtate uti voluerit, eſt quæſtio facti, quæ ex ejusdem verbis, legem *ſolum* prohibentis, vel ſimul irritantis, item ex conſuetudine Judicum, aut communi perſuaſione deſumi debet. Hinc illi contractus etiam in conſcientia nulli ſunt, quando indebite ſolutum poteſt repeti: quando etiam abſente fraude contractus dicitur nullus, ut contingit in matrimonio Clandeſtino, quod etiam bona fide contractum irritum eſt; quoniam legislator Chriſtianos ad clandeſtine contrahendum omnino inhabiles efficere voluit: hinc ejusmodi leges *irritantes*, non fundantur in præſumptione fraudis, ſed in præſumptione periculi fraudis univerſali, diciturque præſumptio *Juris & de Jure*, quæ, etiamſi in caſu particulari fallat, actum tamen irritum reddit, ut fatentur omnes.

Succedit alia quæſtio, an contractus de 708
ſe invalidi, adjecto juramento ita firmentur, ut ratione juramenti obligatio Religionis, ratione autem contractus ita fir-

mati, obligatio fidelitatis, seu, justitiæ inde oriatur?

709 Resolutio VI. Contractus jure Naturæ invalidi, adjecto juramento non firmantur. Est certa apud omnes; quia juramentum, tanquam aliquid contractui extrinsecum, ejus substantiam non immutat. Ergo ex invalido non reddit validum. Ajunt tamen, juramentum sic adjectum, si sit de re honesta, servandum esse; ex principio universali Juris Canonici: Juramentum semper servandum esse, quando non cedit in dispendium æternæ salutis, aut præjudicium tertii. cap. 28. *de Jurejurando.* cap. 2. *de Pactis.* in 6. Ratio est; quia divini nominis reverentia exigit, ne Deus in testem falsi assumatur: quod fieret, si tale juramentum non servaretur. Dixi, *si sit de re honesta.* Aliud, si de turpi; nam juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, & ut dicitur cap. 58. de R. J. in 6. N*on est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

710 Resolutio VII. Contractus jure positivo invalidi, non tamen prohibiti, seu, quando irritatio facta est in utilitatem privatam contrahentium, Juramento adjecto ita firmantur; ut præter obligationem Religionis etiam obligatio Justitiæ ex ipso contractu oriatur, si tamen ille, cui promissio fit, capax sit Juris sibi quærendi.

Econ-

Econtra quando irritatio principaliter & immediate facta fuit in bonum commune, contractus ſic irritus juramento non firmatur.

Prob. I. pars. Cap. 28. cap. 2. *de Jurejur.* in 6. cap. 2. *de Pactis* in 6. expreſſe dicitur, ejusmodi contractus invalidos *firmari*, id eſt, qui infirmi & invalidi erant, firmantur & validantur. Ergo præter obligationem Religionis, etiam inde oritur obligatio Juſtitiæ.

Prob. II. L. I. Cod. *Si adverſus venditio-* 711
nem. ſtatuitur: *ſi minor annis* 25. *emptori prædii caviſti, nullam de cetero te eſſe controverſiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter præſtito ſervare confirmaſti, neque perfidiæ* (contra Juſtitiam) *neque perjurii* (contra Religionem) *me auctorem tibi futurum ſperare debueras.* Vid. etiam Authentica *Sacramenta puberum.* Cod. eod. Ergo.

Prob. III. Contractus de ſe revocabilis, 712
addito Juramento fit irrevocabilis. v. g. Minor inivit contractum de ſe validum, ſed quo læſus eſt, addita promiſſione jurata, de non petenda reſtitutione in integrum; tenetur ex Juſtitia non petere reſtitutionem ex cit. l. I. Cod. *ſi adv. vend.* Quia ſecus etiam *perfidiæ* reus fieret: ergo etiam contractus invalidus, addito juramen-

ramento fit validus, etiam in linea justitiæ.

713 Prob. IV. Quando contractus solo jure civili nullus est, tunc in hypothesi adjecti Juramenti cessat ratio & intentio juris irritantis. Ergo cessat & ipsa lex irritans, consequenter actus fit validus. Sequela *ant. prob.* Intentio legis irritantis est, ut actus habeatur pro non posito, & libere revocari possit: sed adjecto Juramento nolunt Jura, ut actus revocetur. Ergo in hypothesi adjecti Juramenti cessat ratio legis, consequenter actus fit firmus, validus & irrevocabilis; eoquod Jura talem actum juramento firmatum irrevocabiliter servari velint.

714 Prob. V. Alienatione fundi dotalis Juramento Uxoris firmata, in emptorem transfertur dominium, ita, ut fundum illum libere & licite retinere valeat. cap. 28. *de Jurejur.* cap. 2. *de Pact.* 6. Nec mulieri revocare volenti restituere teneatur. Ergo mulier ex ipso contractu, & ex Justitia erat obligata emptori, si enim ex solo juramento, adeoque tantum vi Religionis obligata fuisset, tunc emptor fundum nunquam fecisset *suum*, sed fuisset ad restitutionem obstrictus: sicut creditor, cui debitor usuras juravit, ad restitutionem earum tenetur cap. 6. *de Jur.* Quia tantum vi Religionis, non autem justitiæ, ad eas solvendas erat obligatus.

Prob.

Prob. II. pars. Favori pro ſe privatim 715
introducto quisque licite renuntiare poteſt: ſed ſuppoſita hac renuntiatione idem eſt, ac ſi Jus talem contractum non irritaſſet: hinc poſtliminio ſubintrat obligatio ex ipſo contractu. A contrario, quando irritatio facta eſt in favorem publicum, aut bonum commune, eidem a privato renuntiari non poteſt; quia hæc renuntiatio cederet in detrimentum boni publici, & juramentum taliter foret de re inhoneſta. Ideo juramentum Clerici, quo renunciavit privilegio fori, dicitur nullum cap. 12. *de foro compet.* quia, cum ſit conceſſum toti ſtatui, a privato ei derogari nequit.

Objic. I. Jus civile non potuit aliquid 716
diſponere circa juramentum, quod eſt fori Eccleſiaſtici: Jus vero Canonicum non potuit declarare illos actus validos, quos jus civile irritavit. Ergo actus irriti, Juramento adjecto, neutro jure firmantur.

Resp. Nego *ant.* quoad utrumque; nam ſi Jus civile potuit illos actus irritare: cur non etiam potuit declarare validos, in hypotheſi adjecti juramenti? Itaque Jus civile nihil poteſt diſponere circa ea, quæ pertinent ad Juramenti valorem & ſubſtantiam; illius tamen reverentiam tueri vel maxime poteſt. Cum vero ejusmodi contractus ratione additi Juramenti fiant *mixti* fori, etiam juri Canonico ſubſunt.

Et utique jus Canonicum juſte potuit invalidare præſcriptionem *extraordinariam*, cum mala fide inchoatam, etiamſi ſit Juris civilis.

717 Objic. II. Actus contra leges poſiti, nec juramento firmari dicuntur l. 7. §. 16. ff. *de Pactis*. l. 5. §. un. Cod. *de legibus*. Ergo.

Resp. *Diſting. ant.* Actus contra legem *prohibentem* poſiti, non firmantur juramento. *Conc.* Quia hoc non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, quod autem prohibitum eſt, jam inhoneſtum & iniquum eſt. Contra legem *irritantem* poſiti. *Nego.*

718 Objic. III. Juramentum ex natura ſua actui invalido valorem non tribuit, cum ſit ei prorſus extrinſecum, & ſe tantum teneat in linea Religionis. Ergo obligationem Juſtitiæ non producit.

Resp. Obligatio Juſtitiæ *directe* non procedit ex Juramento, ſed *indirecte*, quatenus in hypotheſi adjecti juramenti Jus utrumque ſtatuit, ut actus irritus, & jure civili quaſi mortuus, reviviſcat, conſequenter ceſſante ratione legis revalidetur & obligationem juſtitiæ producat. ex n. 713.

719 Objic. IV. Poteſt contingere, ut actui invalido ex intervallo primum adponatur

Jura-

Juramentum, ubi hoc quidem obligationem producit, ipſe vero actus tractu temporis non convaleſcit. l. 29. ff. de R. J. cap. 18. eod. Conſequenter obligatio Juſtitiæ non orietur. Nam quod ab initio nullum eſt, tractu temporis non convaleſcit. Ergo etiam juramentum initio appoſitum, ſolum obligationem Religionis producit.

Resp. *Solo* tractu temporis non convalidatur contractus ab initio nullus, ſed ſuperveniente ratihabitione. Vel dici poteſt, ejusmodi contractus eſſe ab initio *conditionate* nullos, nempe niſi accedat juramentum, non vero *abſolute* irritatos.

Resolutio VIII. Contractus dolo initi, 720
aut vi, vel metu extorti, ſuperaddito Juramento non firmantur; ita, ut nec obligatio Juſtitiæ, nec Religionis inde oriatur.

Prob. I. pars. Certum eſt apud omnes, contractum, Jure naturæ nullum, addito Juramento non firmari; quia Juramentum non ſanat defectum ſubſtantialem, ob quem talis contractus eſt nullus, adeoque inde non oritur obligatio Juſtitiæ. Atqui contractus dolo aut metu injuſte incuſſo initi, ſunt jure naturæ invalidi, ex n. 655. & 672. *Ergo.*

Prob.

721 Prob. II. pars. Neque oriri obligationem Religionis. Nam juramentum ſequitur naturam contractus, cui adjectum eſt cap. 25. cap. 29. §. I. *de Jurejur.* & l. ult. Cod. de N. N. P. Et conditiones, quæ contractibus inſunt, etiam Juramento inſunt, ut patebit ex dicendis Reſolutione ſequente. *Ergo.*

722 Objic. Ex hoc ſequeretur, quod omnis contractus vel Juramentum, ſit conditionatum: quod eſt abſurdum.

Resp. Nego *illatum*; nam conditiones, quæ actui tacite & ipſo jure inſunt, non faciunt actum conditionatum. l. 99. ff. *de cond. & demonſtr.* Imo, licet ejusmodi conditio expreſſe apponatur, actum tamen non reddit conditionatum. l. 3. ff. *de leg. I.*

723 Quæri hoc loco poteſt, an Juramentum, dolo aut metu extortum, ſaltem obligationem Religionis producat? ubi in primis advertendum, pro foro externo tamdiu Juramentum ſaltem præſumi validum, donec vis, dolus, vel metus, qui non præſumitur, fuerit probatus, & cauſa cognita Juramentum a Judice Eccleſiaſtico relaxatum cap. 3. *de his, quæ vi, metusve cauſa.* cap. 8. *de Jurejur.* Certum quoque eſt, ejusmodi Juramentum relaxari, & concedi reſtitutionem in integrum cap. 2. XV.

6.

6. cap. 4. *de his, quæ vi.* cap. 8. cap. 15. *de Jurejur.*

Idem etiam dicendum existimo de illo, 724
qui invitus juravit, se nolle petere relaxationem Juramenti; quia ad hoc ipsum, ut juraret, per injuriam fuit adactus. Et quia cap. 4. *de his, quæ vi* &c. ait Pontifex: „ Mandamus, quatenus si Titium „ ad resignationem constiterit vobis per „ talem metum fuisse coactum, qui potue„ rit & debuerit cadere in constantem „ virum, non obstante prædicto Juramen„ to, quo non ad non repetendum, sed „ ad resignandum solummodo tenebatur, „ præfatam Ecclesiam ei restitui facias. „ Ergo si jurasset ad non repetendum, insinuatur, *nullum* fuisse Juramentum, nec opus fuisse restitutione in integrum. Videtur enim involvere iniquitatem, & bono publico esse contrarium, si quis coactus juret, se nolle petere relaxationem; sic enim maximarum violentiarum irreparabilium, & defraudationum frequens occasio foret. Jam autem *juramentum non debet esse vinculum iniquitatis*, &, quantum scio, Adversarii admittunt, taliter jurare coactum hanc violentiam Ecclesiæ denuntiare posse, non petendo relaxationem, sed eum in finem, ut ipsamet, cognita alterius injuria, Jurantem in integrum restituat: nam, ut ait continuator Tournellii, non denuntiare, vergeret in dete-

riorem exitum, adeoque & Juramentum non denuntiandi. Quod, quid eſt aliud, quam ipſo facto petere relaxationem? ſi ergo hoc facto non agit contra Juramentum; tunc nec agit contra illud, verbis expreſſis petendo. Videtur pro hac opinione ſtare S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. „ In Juramento, quod quis coa„ ctus facit, poteſt quis repetere in judi„ cio, quod ſolvit, vel Prælato denun„ tiare, non obſtante, quod contrarium „ juravit, (id eſt, tam non repetiturum, „ quam non denuntiaturum) quia tale ju„ ramentum vergeret in deteriorem exi„ tum, eſſet enim contra Juſtitiam publi„ cam. „

725 Resolutio IX. Juramentum, metu vel dolo extortum, nullam ne quidem obligationem Religionis inducit, quando injuſtitia ex parte incutientis certa eſt: exceptis tamen Pactis publicis, quia ex ejusmodi Pactorum irritatione gravia nimis mala timenda forent; nulla inter gentes vigeret fidelitas; turbarentur commercia; bella forent perpetua, & calamitates inde profluerent innumeræ, ſi ex capite metus, aut vis, publica Pacta & Pacificationes, etiam juratæ, declararentur tanquam nullæ. Hinc etiam Deus Sedeciæ Regi gravia & extrema comminatus eſt. Ezechiel. XVIII. 12. Ob non ſervatam Babylonicis fidem, quamvis injuſte extortam:

tam: quæ limitatio etiam trahenda eſt ad N. 672.

PROB. Reſolutio I. Ex Jure Canonico. 726
cap. 28. *de Jurejurand.* ſtatuitur: „ Mu-
„ lieres ipſæ (conſentientes in alienatio-
„ nem fundi dotalis) ſervare debent hu-
„ jusmodi Juramenta, NB. ſine vi & do-
„ lo ſponte præſtita. „ Ergo vi & dolo, nec *ſponte præſtita*, ſervare non debent: conſequenter nec obligatio Religionis inde oritur. Idem omnino ſtatuitur cap. 2. Cod. in 6. & cap. 2. *de Pactis* in 6.

PROB. II. Ex jure civili. Nam *authent.* 727
Sacramenta puberum. Cod. *Si adverſus vendit.* „ Per vim autem vel metum extor-
„ ta (juramenta) etiam a Majoribus, . . .
„ nullius eſſe momenti jubemus. „ Ergo.

PROB. III. Contractus, metu aut dolo 728
extorti, nulli ſunt Jure naturæ, ex num. 655. & 672. præcipue, ob defectum liberi conſenſus, cui *nihil tam eſt contrarium, quam vis atque metus.* l. 116. ff. de R. J. Atqui juramentum promiſſorium habet rationem contractus, ſaltem ſtipulationis. Ergo &c.

PROB. IV. Profeſſio Religioſa metu ex- 729
torta, nulla eſt, nec obligationem Religionis producit: ergo & Juramentum me-

tu injusto extortum; cum pariter sit actus virtutis Religionis.

730 Prob. V. Juramentum, a Deo non acceptatum, non producit obligationem Religionis. Atqui Juramentum metu extortum, a Deo non acceptatur. Ergo. *Min. prob.* I. Deus non acceptat ejusmodi Votum: ergo nec Juramentum. *Min. prob.* II. Omnino præsumendum est de bonitate Dei, quod acceptare nolit Juramentum illius, qui, cum sine peccato nec mentiri, nec Juramentum absque gravi damno declinare posset, non tam in honorem Dei, quam ad redimendam vexam, coacta voluntate juravit; *voluntarie* enim sibi *sacrificari vult Deus*, & coacta servitia non amat. Ergo saltem prudenter præsumitur, quod Deus tale juramentum non acceptaverit. Et certe satis durum foret, si, quando forte instat tempus implendæ promissionis juratæ, & occasio non sit petendi relaxationem juramenti, talis cum irreparabili damno promissis stare teneretur. Denique si talis metu adactus jurasset, quod non velit petere relaxationem juramenti; talis nullum haberet remedium contra injustum metum; eoquod, si juramentum valeret, ipsa petitione relaxationis jam perjurus fieret. vid. n. 724. Si ergo juramentum non petendi relaxationem, metu extortum, non parit obligationem Religionis; tunc nec aliud, itidem metu extortum.

Prob.

Prob. VI. Judex humanus non potest prudenter obligare hominem ad servanda talia Juramenta: imo tenetur ea rescindere, seu, ut verius dicam, declarare, esse nulla. Ergo neque prudenter præsumi potest, quod Deus velit obligare hominem ad talia servanda juramenta, sed potius præsumitur, illa non acceptare. 731

Prob. VII. In tali Juramento potest, & debet dispensare R. Pontifex. Atqui non potest dispensare *proprie* in obligatione, quæ est juris divini, stante valore juramenti; sicut stante valore voti, non potest aliquem eximere ab obligatione voti. Ergo dispensat solum *improprie*, declarando nullitatem Juramenti, & obligationis, aut retro irritando voluntatem jurantis: consequenter juramentum mox ab initio nullum est. 732

Prob. VIII. Specialiter de Juramento, dolo dante causam præstito. Salmanticenses Theologiæ Moral. Tract. XIV. cap. I. Puncto VII. n. 60. hæc habent: „ Omnis „ promissio standi contractu, habet jure „ gentium tacitam conditionem: nisi de- „ prehendero me deceptum: ergo etiam „ juramentum sub illa conditione censetur „ emissum. Tum etiam, quia secundum „ communem sententiam jurans non obli- „ gatur ad ea, quæ si cogitasset, exclu- „ sisset, aut nollet comprehendere: & so- „ lum obligatur, si res in eodem statu per- 733

„ manſerit, & notabiliter immutata non „ ſit. Tum denique, quia juramentum „ non obligat extra mentem & intentio- „ nem jurantis cap. *veniens*. 16. *de jureju-* „ *rando*. Sed intentio jurantis in noſtro „ caſu non eſt ſe obligare, ejus namque „ mens tacite repugnat, quia ſi ſciret rem, „ in qua fallitur, nollet contrahere, aut „ jurare. Unde eſſe nullum tale juramen- „ tum docet ex communi ſententia Leſſius, „ Sanchez, Navarrus, Sylveſter, D. An- „ toninus. „ Ita illi, quos vel ideo adducere volui, ut ſaltem Anteceſſores in hac ſententia dari, pateat. Facile autem ad metum hæ etiam rationes trahuntur.

734 Prob. IX. Juramentum, etiam *libere* præſtitum, habet implicitas conditiones contractus, cap. 25. cap. 29. §. 1. *de Jurejurando*. Ergo multo magis Juramentum *metu* vel *dolo* extortum. Sicut ergo contractus metu aut dolo extortus, nullus eſt; ita & tale Juramentum. *Ant. prob.* Juxta P. Reiffenstuel tit. *de Jurejurando* N. 54. „ In omni Juramento promiſſorio „ tacite ſubintellecta conditio eſt: ſi non „ is ſponte remiſerit, in cujus favorem „ juratum eſt; tum quia invito benefi- „ cium non tribuitur l. *invito*. ff. de R. J. „ requiritur enim ejus acceptatio l. *abſen-* „ *ti*. ff. de Donation. tum quia quilibet „ ſuo juri renuntiare poteſt. cap. *ſi diligen-* „ *ti*. *de for. compet.* ac proinde poteſt rem

„ vi

„ vi Juramenti ſibi debitam alteri remitte-
„ re & condonare. Nec obſtat Religio
„ juramenti; Reſpondet enim, iſtud neu-
„ tiquam obſtare præmiſſæ conditioni; ſi-
„ quidem juramentum in favorem homi-
„ nis factum Deus non aliter acceptat, ni-
„ ſi in ordine ad hominem, in cujus uti-
„ litatem cedit; alioquin enim Juramen-
„ tum homini factum, poſſet ipſi ob va-
„ rios reſpectus ſeu circumſtantias, quan-
„ doque præjudicare: unde ſi homini eſt
„ ſatisfactum, etiam Deo ac debitæ ipſius
„ reverentiæ ſatisfactum eſſe cenſetur. „ Ita ille. ex quo ſic infero. In omni Juramento involvitur tacita conditio: niſi alter juri ſuo renuntiaverit, adeoque non acceptaverit: ergo etiam ſubintelligitur hæc conditio: ſi alter non ſit incapax juris acceptandi. Conſequenter quando homo acceptare non poteſt; neque Deus acceptaſſe cenſetur. Atqui Juramentum, dolo aut metu extortum, alter acceptare non poteſt, propter ipſam injuriam metus & doli, ex quo ſibi Jus quærere non poteſt; & quia ipſa acceptatione peccaret: quæ autem inhoneſta ſunt, in jure impoſſibilia habentur. l. 15. ff. *de cond. inſtitutionum.* Ergo neque Deus &c.

OBJIC. I. Eſt Regula recepta inter Theologos & Canoniſtas, fundata in cap. 28. *de Jurejur.* & cap. 2. *de Pactis* in 6. *Omne Juramentum, quod non cedit in diſpen-* 735

dium æternæ ſalutis, vel præjudicium tertii, ſervandum eſſe. Atqui Juramentum, quod ex parte jurantis nihil inhoneſtum involvit, etiamſi aliqua turpitudo ex parte alterius, cui juratum fuit, ſe teneat, non cedit in diſpendium æternæ ſalutis, aut præjudicium tertii, ut ſupponitur. Ergo ſervandum eſt, conſequenter obligationem Religionis producit.

Resp. Diſting. *maj.* Juramentum *validum. Conc. maj.* Jure naturæ *irritum. Neg.* Item: Juramentum *libere* emiſſum. *Trans.* Dolo aut metu extortum. *Neg.* Loquitur enim Pontifex de Juramentis *ſponte, ſine vi & dolo præſtitis. Diſting.* adhuc *maj.* quod non cedit in præjudicium tertii, nec *directe*, nec *indirecte*, nec in præjudicium Reipublicæ. *Trans.* Quod cedit in præjudicium tertii ſaltem *indirecte*, & in detrimentum Reipublicæ. Nego *maj.* Equidem ſupponitur, tali Juramento coacto nulli *privato directe* inferri præjudicium; infertur tamen Reipublicæ, & ſic alteri cuivis *indirecte*, ſi tale Juramentum, injuſte extortum, obligationem Religionis producat; quia ſic injuſti exactores poſſent frequenter homines, maxime conſcientioſos aut religioſos, ad juramenta injuſte adſtringere, & eorum fortunas expilare. Cumque non ſemper ſit occaſio denuntiandi aut petendi relaxationem juramenti; hæc ipſa Juramentorum extorſio in præ-

præjudicium boni communis cedit. Dein non eſt adeo univerſale hoc, quod jactatur, Canoniſtarum principium. Quamvis enim in caſu cap. 25. verbo : *alioquin ſi poſt hujuscemodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod eſt prorſus abſurdum &c.* Jurans licite & ſine præjudicio tertii juramentum ſervare potuiſſet; eoquod non ſolum *licitum*, cap. 14. XXXII. Q. I. ſed etiam *meritorium* ſit. cap. 20. *de ſponſalibus.* publicas mulieres, ſeu, meretrices ducere; non tamen tenebatur. Alius caſus eſt in eodem cap. 25. Verſu : *cum ſcriptura* &c. ubi hoc principium pariter non ſervatur. Item in caſu cap. 29. §. 1.

Objic. II. De Juramentis etiam metu 736
extortis conſultus Pontifex cap. 8. & 15. *de jurejur.* reſpondit: non eſſe tutum quemlibet contra ſuum juramentum venire; ideoque tutius eſſe illud ſervare, vel petere diſpenſationem. *Ergo* &c.

Resp. I. Retorq. Etiamſi Pontifex cap. 16. *de ſponſalibus* dicat, tutius eſſe, ut ille, qui ſponſalia juravit, ſi mutato animo velit ingredi Religionem, Juramentum ſervet, & contracto, non autem conſummato matrimonio, Religionem ingrediatur; Salmanticenses tamen, aliique hic contrarii defendunt, etiam non impleto juramento talem licite Religionem ingredi.

Resp. II. *Disting. Tutius* est servare juramentum vel petere relaxationem. *Conc. Probabilius* est, talem obligari ad servandum juramentum. *Nego.* ait enim Pontifex. cit. cap. 15. *Ceterum ut agatur* CONSULTIUS, *& auferatur materia dejerandi, non eis ita expresse dicatur; ut Juramenta non servent* (ne videlicet quisque ex prætextu metus etiam levioris a juramenti obligatione se eximat) *sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.* Forent autem, si perjurium committerent.

737 Objic. III. Ideo contractus dolo aut metu initi jure naturæ nulli sunt, ex dictis; quia ex parte alterius non adest capacitas juris sibi quærendi. Atqui inde solum probatur, quod ex tali contractu non oriatur obligatio Justitiæ: non autem inde concludi potest, quod neque oriatur obligatio Religionis, utpote quæ ex eo nascitur, quod tale Juramentum, cum non vergat in dispendium æternæ salutis, nec in præjudicium tertii cedat, licite servari possit, utpote a Deo acceptatum. Nam etsi contractus usurarius jure naturæ nullus sit, cum ex parte usurarii non adsit capacitas juris sibi quærendi; si tamen Juramento firmatus fuerit, *jurans NB. Domino tenetur reddere juramentum*, ut dicitur cap. 6. *de Jurejur.* Ergo ex tali Juramento oritur obligatio Religionis.

Resp.

Resp. Contractus iſti non ideo tantum nulli ſunt, quia adeſt incapacitas juris quærendi; ſed etiam ideo, quia in contractu metu extorto deeſt *libertas conſenſus*: ubi vero dolus cauſam dedit, conſenſus eſt tantum *conditionatus*. Ita etiam in Juramento. Ad cap. 6. dico, illud loqui de juramento *ſponte*, absque vi vel dolo, præſtito.

Objic. IV. Cap. 3. *de his, quæ vi &c.* 738
Proponitur caſus, ubi quidam electus in plebanum, ad *terrorem laicorum* renuntiavit electioni: ad quod reſpondit Pontifex: „ quod renuntiatio facta ad terrorem laicorum, (niſi forte juramento vel fide „ interpoſita ſit confirmata) non impedit, „ quo minus is, qui renuntiavit Eccleſiæ, „ ad cujus Regimen prius erat electus, „ præficiatur eidem. „ Ubi ſupponitur, quod renuntiatio metu facta Juramento firmetur.

Resp. I. Hinc probari nimium; ſequeretur enim contra Adverſarios, Juramentum metu extortum ne quidem *relaxari* a ſuperiore, nec contra metum concedi debere reſtitutionem in integrum; cum textus hujus relaxationis & reſtitutionis nullam mentionem faciat, de qua tamen cap. immediate præcedens expreſſe loquitur: quod omnino legendum eſt.

Resp.

Resp. II. Si iſta renuntiatio, ad terrorem laicorum facta, juramento firmata fuerit, tunc ad concordandos textus textibus, ſupponendum eſt, Juramentum poſt metum ceſſantem fuiſſe additum, & *ſine vi & dolo ſponte præſtitum.* Tale enim Juramentum contractus, alias nullos, firmat ex N. 710. ſeq. Imo ex ipſo Capitulo apparet, renuntiationem metu extortam non valuiſſe; quia illa non obſtante, renuntians præfici potuit Eccleſiæ renuntiatæ.

Resp. III. Forte metus in illo caſu non fuit *gravis*, cadens in virum conſtantem, ſed tantum reverentialis, ſeu ex reſpectu extortus, erga Laicos potentes: quod inde colligi poteſt; quia in cap. dicitur: *ad terrorem laicorum*: quod non ſemper importat *violentiam* aliquam; ſicut in ſacra Regula noſtra ait S. P. Benedictus LIII. 19. *Divitum* terror *ipſe ſibi exigit honorem.* Quis vero dicat, S. P. loqui de violentia divitum?

739 Objc. V. Cap. 4. *de his, quæ vi.* Refertur caſus, quo aliquis Eccleſiam Canonice adeptam & poſſeſſam *graviſſimo metu Regis, quod eam reſignaret, jurare coactus*, reſignaverit. Reſpondet Pontifex: ſi eundem conſtiterit, per talem metum fuiſſe coactum ad reſignationem, qui potuerit, & debuerit cadere in virum conſtantem,

non

non obſtante Juramento prædicto, *quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur*, præfata Eccleſia ei reſtituatur. Ergo vi Juramenti, graviſſimo metu extorti, ſaltem ad reſignationem beneficii fuerat obligatus. Ergo Juramentum metu extortum obligationem ſaltem Religionis inducit.

Resp. Pontificem tantum velle, *tutius* hoc eſſe, non autem *probabilius*, ut dictum eſt ſupra. N. 736.

Objic. VI. Cap. 2. *de Jurejur.* Epiſco- 740
pus a juramento abſolvitur, quia *nefandiſſima coactione juravit.* Atqui non debuiſſet *abſolvi*, ſi non adfuiſſet obligatio Religionis. *Ergo.*

Resp. Diſting. Fuit abſolutus, pro meliori eſſe. *Conc.* Ex neceſſitate. *Neg.* Nam juramentum illud fuiſſe nullum, patet cum ex ſummario capituli (quod, ut in tranſitu dicam, non debet confundi cum *Rubrica*) tum ex ipſo contextu: *ipſum Epiſcopum nullius juramenti vinculis ſuper hoc potuiſſe conſtringi.* Igitur cap. potius meæ ſententiæ favet.

Objic. VII. Si ejusmodi Juramenta non 741
pariunt obligationem; tunc Jurans aut licite mentitur, aut ſaltem utitur reſtrictione pure mentali: utrumque abſurdum eſt. *Ergo.*

Resp.

Resp. Nec mendacium, nec restrictio pure mentalis committitur, sed Juramentum implicite conditionatum est: si Deus illud acceptet: si alteri potest jus nasci ex tali juramento: si Ecclesia agnoverit me obligari &c.

CAPUT VIII.

De Contractibus Usurariis.

Non mihi, ut jam præmonui, animus est, per omnes contractus *in specie* vagari, quod Jurisconsulti, & Morales Theologi amplissime præstant, sed de nonnullis saltem pertractare, qui & conscientiam propius attingunt, & pluribus controversiis substant. Sunt autem præsertim usurarii. Quare §. I. de usura, & contractibus connexis: §. II. de societate, cambio & censu, potiora pertractabo.

§. I.

De Usura.

742 Mutuum, quo quasi ex meo tuum fit, spectari potest vel pro re ipsa, quæ mutuo datur, vel pro contractu mutui, quo convenit inter duos de re aliqua mutuo tradenda. Definitur, quod sit contractus, quo res numero, pondere vel men-

menſura conſtans traditur eo animo, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione reddendi ſimilem in ſpecie & bonitate poſt lapſum temporis. Quando mutuans ſupra ſortem principalem aliquod lucrum a Mutuario percipit, tunc vocatur *uſura*, vel *fœnus*. Cum autem aut licite, aut illicite hoc fieri queat, hinc & duplex datur uſura: *honeſta*, & *prohibita*, ſeu turpis. Sicut autem mutuum ſumi poteſt pro re mutuata, vel pro contractu mutui; ita etiam uſura vel pro ipſo lucro, vel pro contractu, vi cujus ultra ſortem aliquid percipitur. Aliæ ſunt uſuræ *compenſatoriæ*, quæ nihil ſunt aliud, quam æſtimatio ejus, quod intereſt, ratione damni illati, vel lucri ceſſantis. Aliæ ſunt *punitoriæ*, quæ in pœnam tardæ ſolutionis, ſeu ob moram, a debitore præſtari debent. Has licitas eſſe, conveniunt Auctores; quia non percipitur lucrum ex ipſo mutuo, ſed alio titulo, lucri ceſſantis, damni emergentis, cum nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum. Aliæ ſunt *lucratoriæ*. Et hæc uſura definitur, quod ſit contractus mutui, quo aliquod lucrum ſupra ſortem principalem percipitur præciſe ex vi mutui. Intelligitur autem per lucrum omnis & ſola res temporalis pretio æſtimabilis. Hinc qui mutuum dat, ut alterius ſibi amicitiam conciliet, uſuram non committit; quia amicitia non eſt pretio æſtimabilis. Hæc uſura vel eſt *realis*, quando deducitur in pactum expreſ-

expreſſum, vel implicitum: vel *mentalis*; quando quis ea intentione mutuat, ut ſupra ſortem percipiat lucrum absque alio titulo. Alia eſt *aperta*, quando in expreſſum pactum deducta eſt, & ſtatim dignoſcitur. Alia *palliata*; quæ ſub ſpecie aut involucro alterius contractus exercetur: v. g. ſi res apud alterum deponatur, cum licentia eadem utendi, ſed pro rei depoſitæ uſu aliquid exigatur. Hic primo indagatur, an, & quo jure ſit prohibita uſura *lucratoria*, & an ſtatuto Reipublicæ poſſit fieri licita? varias dein ſpecies uſuræ palliatæ recenſebo, & de obligationibus uſurarii dicam.

743 RESOLUTIO I. Uſura mere lucratoria, per ſe loquendo, omni jure prohibita eſt. *Contra Judæos*, qui uſuram exigere ab omnibus, maxime Chriſtianis, exceptis tantum ſuis fratribus, licitum arbitrantur. *Contra Græcos Schismaticos*, qui ex quibusdam Imperatorum legibus uſuras tolerantibus aut moderantibus, illas utiles & licitas propugnant. *Contra* CALVINUM, qui in eo ſolum uſuras damnat, ſi a pauperibus, aut etiam a divitibus, ſed nimiæ, exigantur. CALVINO maxime adſtipulatur Carolus MOLINAEUS Calvinianus, in tract. de uſuris.

744 PROB. I. Ex V. T. Deut. XXIII. 19. *Non fænerabis fratri ad uſuram pecuniam, nec*

fru-

fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: fratri autem tuo quidquid indiget, absque uſura commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris poſſidendam. Ad quæ verba ait Ambroſius lib. de Tobia. cap. XIV. „ Plerique refugientes præcepta legis, cum „ dederint pecuniam negotiatoribus, non „ ex pecunia uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum tanquam uſurarum emolu- „ menta percipiunt. Fraus iſta & circum- „ ſcriptio legis eſt, non cuſtodia. Et pu- „ tas te pie facere, quia a negotiatore „ velut munus ſuſcipis? . . . Quodcunque „ ſorti accedit, uſura eſt: quod velis ei „ nomen imponas, uſura eſt. Si licitum „ eſt: cur refugis nomen? ſi illicitum „ eſt: cur incrementum requiris? „ vid. etiam Levit. XXV. 36. Pſal. XIV. Verſ. ult. Pſal. LV. 10. 12. Ezech. XVIII.

Prob. II. Ex novo Teſtam. Luc. VI. ait 745
Christus: *ſi mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Videtur Chriſtus hoc loco, & Math. V. v. 42. ſeq. Corrigere errorem Judæorum, qui ſibi falſo perſuadebant, præceptum dilectionis

ſe tantum extendere ad amicos, non etiam ad inimicos, & prohibitionem uſuræ ſpectare tantum fratres, non etiam extraneos, quos pro inimicis habebant, & odio perſequebantur, ſicut & nunc faciunt. Hoc autem correxit Chriſtus, ut patet clarius evolventi citata capitula. Sicut ergo præceptum eſt, diligere inimicos, iisque benefacere, ſeu in neceſſitate ſuccurrere; ita pariter præceptum eſt, ut cum mutuum datur, gratis detur, absque lucro. Utrumque enim præceptum Chriſtus injunxit, & obligationem mutuandi, ex præcepto dilectionis deduxit. Porro in his Chriſti verbis: *mutuum date, nihil inde ſperantes*, contineri præceptum, conveniunt Patres, & tota retro antiquitas.

746 Prob. III. Ex Jure Canon. cap. 2. diſt. 47. & tot. tit. *de uſuris*: maxime cap. 3. & 4. Ubi uſurarum prohibitio ad Jus divinum refertur. vid. etiam Clem. un. §. ult. eodem. Ubi: *ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, ut hæreticum puniendum decernit.*

747 Prob. IV. Ex Jure Civili. l. 17. §. 3. ff. *de uſuris.* „ Uſuræ non propter lucrum „ petentium, ſed propter moram non ſol- „ ventium, infliguntur. „ Vid. Novel 83. Leonis Imp. Ubi ad jus divinum prohibitio uſuræ refertur, ceterum ob bonum commune permittitur. Prob.

Prob. V. Ex Jure Naturali; Huic enim 748
contrarium est, agere contra æqualitatem justitiæ commutativæ, in contractu observandam. Atqui per usuram agitur contra hanc æqualitatem; quia sic absque omni titulo, & sine jure, plus petitur vel accipitur, quam res data valeat: ergo. 2. Qui absque titulo, adeoque sine jure in re vel ad rem, aliquid ab altero indebitum petit, vel accipit, contra jus naturæ agit, & ad restitutionem obligatur. Atqui hoc contingit in usuris mere lucratoriis; supponitur enim, non adesse titulum lucri cessantis, damni emergentis. Ipse autem contractus mutui non est titulus justus aliquid exigendi ultra sortem; nam vi hujus contractus solum datur obligatio restituendi *tantundem*, ut servetur æqualitas dati & accepti. *Ergo* &c.

Objic. I. Judæis a Deo permissæ erant 749
usuræ respectu extraneorum, & solum prohibitæ respectu fratrum: quæ autem contra jus naturæ sunt, a Deo permitti non possunt. Ergo usuræ non sunt contra jus naturæ. *Maj. prob.* Deuteron. XXIII. 19. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram; sed alieno. Ergo* &c.

Resp. Aut lex illa fuit solum *permissiva*, seu tolerantia, & immunitas a pœna, non a culpa: quemadmodum libellus repudii tolerabatur apud illos, & nunc quibus-

dam in locis tolerantur lupanaria ad evitanda mala majora: vel Deus, ut supremus bonorum omnium Dominus Judæis tribuit jus in bona alienigenorum, quos etiam justo bello occidere, terris & bonis eorum poterant exuere: ut S. Ambrosius lib. *de Tobia* cap. XIV. observat: „ quis „ tunc alienigena, nisi Amalec, nisi Amor„ rhæus, nisi hostis ? . . . Ergo ubi jus „ belli, ibi etiam jus usuræ. „ Contra vi legis naturæ, maxime Christianæ, quisque proximus debet haberi pro fratre, contra quem usuram exercere etiam lex Deuteron. iniquum reputat.

750 Objic. II. Christus sub parabola seduli Patrisfamilias arguit servum ignavum, quod talentum, id est, pecuniam, non exposuerit ad usuras Math. XXV. & Luc. XIX. Ergo non sunt illicitæ: secus earum neglectum Christus exprobrare non potuisset.

Resp. Scopus Christi in parabola fuit; ut quemadmodum negotiatores lucrum ex sua pecunia quærere solent, quod absque titulo non intendebat tunc approbare, ita etiam homo in bonis a Deo acceptis semper studeat proficere. In parabolis enim non id spectandum est, quod dicitur, sed scopus & finis, qui inde desumitur. Argumentatur Christus a minori ad majus, a pravo exemplo ad bonum finem.

Objic.

Objic. III. Jure civili usuræ probantur. 751
Nam l. 13. §. un. ff. *de usur.* negotiorum gestor obligatur ad usuras, quando pecuniam otiosam fœnori non exposuit, quod tamen Dominus pecuniæ facere solitus erat. Imo l. 26. §. I. Cod. *eod.* usurarum quantitas approbatur. *Ergo* &c.

Resp. Textus intelligendus est, quando Dominus pecuniæ solebat cum ea negociari, & justo titulo adquirere lucrum. Alter textus tantum usurarum excessum restringit, & ad moderationem reducit.

Objic. IV. Carere pecunia mutuata, ejus- 752
que dominio, quod in mutuatarium transfertur, est aliquid pretio æstimabile. Atqui pro re pretio æstimabili quidquam exigere, non est Juri naturæ contrarium. *Ergo* &c.

Resp. Nego *maj.* quando pecunia est otiosa, & nullus alius concurrit titulus. Damnata enim fuit propos. 41. ab Innocentio XI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* In rebus enim usu consumtibilibus, quo refertur etiam pecunia, ubi usus non distinguitur a dominio, totum rei pretium consistit in usu. Cum autem pecunia sit aliquid sterile, nec per se fructi-

 ficet,

ficet, &, si fructificet, debitori ceu Domino fructificet propter industriam personalem, ejusque absentia creditori non præjudicet; hinc nullum adest jus, aliquid exigendi præter rei mutuatæ restitutionem: nisi alius concurrat titulus.

753 Objic. V. Contrahentes mutua voluntate a natura contractus recedere, &, quas voluerint, contractibus conditiones apponere possunt, cap. 85. de R. J. in 6. & l. 23. ff. eod. Ergo mutuans a mutuatario stipulare sibi potest usuras, nec nisi sub hac conditione concedere mutuum.

Resp. Cum debitor non nisi necessitate adactus in usuras consentiat; hinc iste consensus non est omnino *liber* & voluntarius: secus enim usuræ etiam immodicæ palliari & excusari possent. Quia autem supponitur, nullum intervenire titulum justum; ideo creditor jus non habet, contra naturam contractus debitorem adigendi, ut in usuras solvendas consentiat, in quas non consentiret, si alter gratis mutuare vellet, quod etiam debet, in hypothesi, quod mutuum dare velit, ex præcepto Christi. Aliud est, si debitor libere velit aliquid donare.

754 Objic. VI. Mutuatarius licite usuras solvit: ergo mutuans etiam licite percipit & exigit.

Resp.

Resp. Nec debitori licet, offerendo uſuras alterum ad peccatum ſolicitare. Si autem neceſſitate adactus, quando nemo vult gratis mutuare, uſuras ſpondet & ſolvit, ex parte ſua licite facit; quia vel redimit vexam iniquam, vel donat gratis, ac ſe privat rei ſuæ dominio, quod licite facit: etſi alter jus non habeat, hoc ipſum a debitore extorquendi, eoquod gratis mutuare deberet.

Objic. VII. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 755
78. a. 1. ad 6. „ Uſus principalis pecu„ niæ eſt diſtractio pecuniæ in commu„ tationes: unde non licet ejus uſum ven„ dere cum hoc quod aliquis velit ejus „ reſtitutionem quod mutuo dedit. Scien„ dum tamen . . . quod poteſt aliquis eſſe „ ſecundarius uſus pecuniæ argenteæ; pu„ ta ſi quis concederet pecuniam ſigna„ tam ad oſtentationem, vel ad ponen„ dum loco pignoris: & talem uſum pe„ cuniæ licite homo vendere poteſt. „ Ergo &c.

Resp. Loquitur S. Thomas de pecunia, non mutuata, ſed locata. In hoc autem contractu aliquid exigi poteſt; quia dominium & periculum rei eſt penes locatorem, non conductorem. Cum contra dominium pecuniæ mutuatæ, ejusque periculum, ſit penes debitorem.

756 OBJIC. VIII. In locatione & conductione licite plus restituitur, quam accipitur; conductor enim non solum rem conductam debet salvam & integram restituere, sed etiam solvere mercedem. Ergo licebit etiam in mutuo.

RESP. *Per se* loquendo; & si Domini nihil interesset, non liceret aliquid recipere ultra rem conductam. Quia autem ordinarie Domini seu locantis interest, & plerumque in rem locatam expensas facere debet, ejusque periculum sustineat; hinc subintrat titulus honestus, qui non est in mutuo, *ordinarie* saltem.

757 Ex hactenus dictis patet, iniquum esse, ex vi ipsius mutui aliquid supra sortem recipere, licite autem id fieri, dum concurrit justus titulus: hinc agendum, qui & quot sint ejusmodi tituli? & *primo* quidem justus titulus non est ipse *labor* in numerando pecuniam; hic enim est labor connexus cum omni mutuo, & ubique reperitur. Ergo leges lucrum ex mutuo prohibentes, etiam ex ipso labore numerandi percipiendum, prohibere voluerunt: secus sibi forent contrariæ & inefficaces.

758 II. Neque *carentia pecuniæ* titulus est; quia hæc item necessario cum mutuo connexa, eique intrinseca est. Et aliunde suppo-

ponitur pecuniam eſſe otioſam. Neque etiam illa recreatio videndi pecuniam, qua creditor ſe privat, pretio æſtimabilis eſt, ut volebat CARAMUEL; cum ſit potius peccaminoſus ad Mammonam iniquitatis affectus. *Ubi theſaurus, ibi Cor.*

III. Juſtus etiam titulus non eſt *obliga-* 759
tio ſortem non repetendi usque ad certum tempus; quia & hoc eſt de intrinſeca ratione mutui, ut debitor pecunia mutuata poſſit uti ad ſuum finem & neceſſitatem: ſecus eidem nihil eſt proviſum, ſi omni momento reſtituere deberet. Hinc damnata eſt ab ALEXANDRO VII. prop. 45. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem recipere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem usque ad certum tempus.* Cumque creditor debeat gratis mutuare ad ſublevandam alterius inopiam, ſatis ipſi proviſum eſt per hoc, quod periculum pecuniæ tamdiu ſit penes debitorem: niſi forte fuerit conventum de uſura *punitoria* ob moram culpabilem debitoris; quia ſic debitor peccaſſet contra juſtitiam, tempore præfinito non reſtituendo, nec ſervaret æqualitatem: &, ſi interea damnum creditori emergat, ſubintrant uſuræ *compenſatoriæ*, ſeu, reſtitutio ejus quod intereſt. In ejusmodi tamen pœna fraus uſuraria abeſſe, & debitor vere in culpa eſſe debet; nam ſi adeſſet moralis impotentia reſtituendi, creditor rationabiliter non

possset esse invitus : & pœna debet esse moderata & proportionata culpæ ac rei mutuatæ.

760 IV. *Debitum gratitudinis* non est titulus honestus. Ideo damnata fuit ista propositio 43. ab INNOCENTIO XI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Quia gratitudo debet esse *liberalis*, & ad nihil *determinatum* obligare. Hic autem nec *liberalis*, nec *indeterminata* esset obligatio, sed in pactum deducta ad aliquod certum, ut supponitur. Insuper mutuum debet esse *gratuitum*: *nihil inde sperantes.*

761 V. Titulus *divitiarum in debitore* non præbet jus ab eo lucrum exigendi; Justitia enim commutativa non respicit Personas, sed æqualitatem rei. Atqui contra æqualitatem est, si plus absque titulo restituatur, quam quod fuerat acceptum, ex num. 748. vid. etiam ea, quæ P. ANTOINE ex BENEDICTI XIV. lib. de Synodo Diœcesana contra quorundam adducit sententiam, usuram a divitibus petere licitum esse propugnantium.

762 VI. *Periculum sortis intrinsecum* & omni mutuo commune non est titulus percipiendi lucri: cujusmodi est illud generale periculum, quod res mutuata fortuito ca-

su

ſu perire poſſit: vel periculum inopiæ, v. g. quando mutuatarius eſt pauper, nec pignus ad fidejuſſorem dare poteſt; hic eſt enim finis mutui, ut tali inopiæ ex charitate, adeoque gratis ſuccurratur, ne eorum egeſtas magis prematur & opprimatur. Quando ergo proximus inops in tali eſt egeſtate conſtitutus, tunc ex præcepto charitatis tenetur aliquis aut eleemoſynam dare petenti, aut mutuare gratis ſolvere promittenti. Suppoſito autem mutuo creditor ſequi debet naturam mutui: & vi mutui, atque vi periculi, in hoc caſu per ſe eidem connexi, ſupra ſortem nihil poteſt exigere, quod patet ex hactenus dictis.

Datur autem & aliud periculum, quod vocatur *particulare*, & mutuo *extrinſecum*, utpote non ſemper connexum & ab eo ſeparabile: v. g. quando mutua datur pecunia homini, ex cujus culpa, infidelitate, injuſtitia, prodigalitate, aut commercio in mari procelloſo, prudenter prævidetur periculum amittendæ ſortis. Igitur reſtat dicendum, an periculum ſortis *extrinſecum*, *lucrum ceſſans*, & *damnum emergens*, conſtituant legitimos titulos aliquid ultra ſortem ex mutuo percipiendi absque labe uſuraria? 763

RESOLUTIO II. Periculum ſortis *extrinſecum*, lucrum ceſſans, & damnum emergens, 764

gens, ſunt tituli ab uſuraria pravitate excuſantes.

Prob. I. pars. S. Congregationi *de propaganda fide* a Miſſionariis propoſitum fuit, in Regno Sinarum lege ſtatutum eſſe, ut in mutuo triginta pro centum ſolvantur, absque reſpectu lucri ceſſantis & damni emergentis. Quærebatur, utrum hoc liceat? ex ratione dubitandi; quia in recuperanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet quod qui accipit mutuum, fugiat, vel quod tardet in ſolvendo, vel quod neceſſarium ſit coram judice repetere, vel propter alia hujusmodi. Reſponſum S. Congregationis ab Innocentio X. confirmatum hoc erat. „ Ratione mutui, im„ mediate & præciſe, nihil eſſe exigen„ dum ultra ſortem principalem. Si vero „ aliquid recipiant ratione periculi proba„ biliter imminentis, prout in caſu, non „ eſſe inquietandos, dummodo habeatur ra„ tio probabilitatis periculi, & *qualitatis* „ ejusdem, ac ſervata proportione inter „ periculum, & id quod accipitur. „ Ergo idem eſt de alio periculo *extrinſeco.*

765 Prob. II. Uſura tunc committitur, quando aliquid ſupra ſortem *ex vi ipſius mutui* exigitur: atqui in hoc caſu non *vi ipſius mutui*, ſed ratione *periculi*, a mutuo ſeparabilis, & pretio æſtimabilis, exigitur. Ergo non committitur uſura.

Prob.

Prob. III. Propter periculum probabile recipiendæ ſortis licet carius vendere, ut docet S. Thomas, ſeu author opuſc. 37. *de uſura* cap. VII. Ergo etiam licet in tali caſu mutuare cum ſtipulatione auctuarii ſupra ſortem, ob idem periculum. 766

Prob. IV. Periculum probabile extrinſecum fundat ſimul periculum damni emergentis, quod eſt juſtus titulus. Ergo. 767

Prob. V. Creditor pro ſecuritate ſuæ ſortis proſpicere ſibi poteſt de pignore vel fidejuſſoribus. Ergo etiam pro ſecuritate, ſeu, propter periculum probabile, quod ſubit amittendæ ſortis defectu cautionis, poterit aliquid ſupra ſortem ſtipulari. 768

Ut autem hoc caſu auctuarium licite percipiatur, requiritur. 1. Ut periculum ſit vere *probabile*, non fictum, aut palliatum. 2. Ut debitor conſentiat. 3. Ut ei ſit liberum ſortis ſecuritatem præſtare per pignus, aut fidejuſſorem. 4. Ut auctuarium commenſuretur periculo, quanti hoc judicio prudentis æſtimatur. 769

Prob. II. pars. *Lucrum ceſſans* dicitur, quando creditori ſua pecunia interea fructificaſſet, utpote applicanda in emptionem cenſus, fundi frugiferi, aut in negotiationem, niſi eam debitori mutuaſſet. Atqui hoc lucrum, aut lucri ſpes, eſt pretio æſti- 770

æſtimabilis, quo ille non debet privari, qui alteri præſtat obſequium; quia vetat æquitas, *ne quis diſpendium patiatur*, *unde videtur præmium meruiſſe* cap. 2. *de fidejuſſoribus*. Dein, in hoc caſu non ex *vi mutui* oritur auctuarium, ſed *ex pecuniæ*, ad fructificandum jam deſtinatæ, majori *valore*, qui eſt titulus honeſtus, mutuo extrinſecus: & ſolum efficit juſtam compenſationem ejus, quod intereſt pecuniam non fuiſſe mutuatam.

771 PROB. III. pars. Damnum tunc dicitur emergere, quando quis in rebus ſuis patitur detrimentum eo ipſo, quod careat pecunia mutuata: v. g. ſi eam jam deſtinaverat refectioni ædium, quæ interea fiunt deteriores aut collabuntur, unde in earum refectionem aut reædificationem majoribus indiget ſumptibus, quam facere debuiſſet, ſi pecuniam non mutuaſſet. Atqui nemo debet alteri præſtare beneficium cum ſuo proprio damno & detrimento. Ergo poteſt hoc damnum compenſare per ſtipulatum auctuarium ſupra ſortem.

772 Ad juſtitiam autem utriusque tituli requiritur 1. ut lucrum illud ceſſet, aut damnum emergat *vere* ex ratione mutui, non aliunde, aut ex culpa mutuantis propria. Hinc ſi pecunia manſiſſet otioſa, aut illa ad refectionem ædium non indigebat, utpote eo non deſtinata &c. committetur uſu-

uſura. 2. Ut damnum ſit *certum*, non fictum: & lucrum quoque ſit veroſimiliter, aut certo, & juſte percipiendum, & auctuarium ſtipulatum non extendatur ultra proportionem, quæ eſt inter ſpem probabilem lucri, & auctuarii; quia hic ſemper attendi debet æqualitas. 3. Ut mutuatarius prævie moneatur de lucro ceſſante, aut damno emergente; quia ſecus forte mutuum accipere nollet, ſed de alio creditore ſibi proſpiceret. 4. Ut lucri ceſſantis compenſatio non *ſtatim* exigatur, ſeu, mox ab initio a ſumma mutuata detrahatur; ſecus enim qui centum daret, & ſtatim quinque detraheret, revera non niſi 95. daret, & tamen centum poſtea repeteret. Nam mutuatarius illos 95. non poteſt cum tanto emolumento applicare, quantum omnes 100. nummos. Hanc tamen conditionem aliqui negant; quia forte nihil admodum intereſt mutuatarii, an illos 5. ſtatim, an poſt annum ſolvat: quod deſumendum eſt ex circumſtantiis.

Objic. contra I. partem. Cap. *naviganti*. 773
de uſuris. ait Pontifex: „ Naviganti vel
„ eunti ad nundinas certam mutuans pe-
„ cuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſci-
„ pit in ſe periculum, recepturus aliquid
„ ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus. „
Ergo.

Resp.

Resp. Juxta Gonzalez, Barbosam, & alios, mendum est in cit. cap. & ita legendum: *usurarius* non *est censendus*: quod colligitur ex contextu; subdit enim Pontifex: *Ille quoque* non *est usurarius*. Atqui particula, *quoque*, est conjunctiva; secus debuisset dicere: ille *econtra*, ille *tamen* &c. si in primo casu affirmasset, in altero negasset; ut exigit modus loquendi.

774 Objic. II. Si propter periculum sortis licet exigere auctuarium; licebit etiam aliquid exigere propter periculum ipsius auctuarii: & sic in infinitum. Hoc est absurdum & iniquum. Ergo &c.

Resp. Nego *sequel.* Quia primo auctuario jam compensatur periculum sortis; cum enim ordinarie non statim primo anno sors pereat; ad finem hujus percipiet creditor v. g. 5. pro centum &c. & ita porro. Et ita saltem minuitur sortis periculum, damnumque efficitur levius. Interea autem etiam debitor ex sorte principali potest facere lucrum ad solvendam summam.

775 Objic. III. Exactio auctuarii non est medium sufficiens tollendi periculum sortis, sed illud potius auget. Ut enim creditor non est securus de recipienda sorte; sic neque securus est de recipiendo auctuario. *Ergo* &c.

Resp.

Resp. *Diſting.* Non eſt medium ad tollendum periculum *futurum*. Conc. Ad tollendum *præſens*, conſiſtens in eo, quod pecunia in manu creditoris *ſecura*, committatur manui *periculoſæ* debitoris, ſicque efficiatur minoris valoris juxta æſtimationem periculi extrinſeci. *Nego*. Quod autem hoc periculum non augeatur, patet ex Reſp. immediate præcedente.

Succedit alia quæſtio, magna animorum 776
contentione utrinque agitata, an uſuræ moderatæ, v. g. quinque pro 100 lege atque ſtatuto Reipublicæ non permitti ſolum atque impune tolerari, ſed & licitæ fieri poſſint, etiamſi in particulari caſu nullus adſit verus titulus, nec damnum emergens, nec periculum ſortis, nec mora debitoris, nec lucrum ceſſans. E. g. Vir opulentus, neque negotiationi deditus, otioſas pecunias mutuas tradit Monaſterio ſatis quidem fundato, ſed modo pecuniis paratis indigenti ad præſtandas contributiones bellicas, aut reſtauranda ædificia ſiniſtro caſu deſtructa, quo quidem in caſu nullus prædictorum titulorum adeſſe ſupponitur. In hac tanti momenti quæſtione, quæ & conſcientias maxime attingit, malim utriusque partis fundamenta recenſere, quam ſententiam præcipitare.

Argumenta Affirmantium.

777 Argumentum I. Reipublicæ vi juris alti, quod habet in bona civium, competit poteſtas, ut de iisdem, etiam cum diſpendio privati ſubditi diſponere, illorumque ſaltem ex parte dominium in alios transferre valeat, quando id exigit neceſſitas, vel magna boni publici utilitas. Atqui hæc exigit, ut hoc præſertim tempore, quando refrigeſcente inter Chriſtianos charitate vix aliquis eſt, qui gratis mutuare velit, moderatæ ſtatuantur uſuræ, earumque dominium in creditores transferatur. Ergo Respublica dominium uſurarum transferre poteſt: hoc autem per legem translato uſuræ licite percipiuntur. *Maj. prob.* Reipublicæ negari non debet poteſtas, juſtas leges ferendi. Atqui lex, quæ fertur ad exigentiam & utilitatem boni publici, juſta eſt; cum ſit ordinatio rectæ rationis in bonum commune ab eo, qui curam gerit communitatis, promulgata: & ejusmodi eſt lex, ſtatuens uſuras moderatas, earumque dominium creditoribus tribuens. *Ergo. Minor* principalis *prob.* Utilitas & neceſſitas boni publici exigit. I. Ut innumeris, & fere quotidianis litibus præcaveatur. II. Ut dominiorum incertitudo a medio tollatur. III. Ut conſcientiæ, præſertim timoratæ, ab innumeris ſcrupulis liberentur. IV. Ut mutuarum pecuniarum facilitas univerſæ

Rei-

Reipublicæ proficua obtineatur. V. Ut multæ miserabiles Personæ, Ecclesiæ, integræ etiam communitates piæ ac Religiosæ, quæ pecunias suas aliter frugiferas reddere non possunt, honeste sustentare se valeant. Atqui singula hæc commoda obtinentur per statutum seu legem Reipublicæ usuras moderatas adprobantem. *Ergo. Maj.* videtur certa; ex eadem enim boni publici ratione, cum jure gentium, tum lege positiva adprobata fuit præscriptio.

Min. prob. per partes. I. Si usuræ abs- 778
que titulis ordinariis, num. 764. recensitis, semper sunt illicitæ; tunc innumeræ oriuntur lites. Creditor enim plerumque prætendet, in casu mutui honestum aliquem titulum intercessisse: negabit Creditor.

II. Quoniam vero Judex secundum sta- 779
tuta localia, secundum allegata & probata, sententiam ferre debet; ideo debitorem plerumque ad solvendas usuras, vel in pactum deductas, vel publica lege generaliter taxatas, condemnabit. Quodsi autem lex ista foret iniqua, tunc eo ipso ingens oriretur dominiorum incertitudo; Creditor enim innixus sententiæ Judicis, legi publicæ & universali, existimabit se esse Dominum usuræ, seu lucri percepti: ex opposito debitor sibi persuadebit, se

indebitum ſolviſſe, & pro temporis opportunitate tacita utetur compenſatione. Quid autem inde aliud ſperandum, quam mutua diffidentia, confuſio, & incertitudo dominiorum?

780 III. Inde neceſſario innumeri ſequuntur ſcrupuli. Cum enim in caſu particulari difficulter dignoſci valeat, an adſit titulus honeſtus; ideo timorata creditoris conſcientia frequenter dubitabit, an licite uſuras perceperit, aut ad earum reſtitutionem obligetur. Dubitabit etiam debitor, an eas præſtare teneatur, aut indebite ſolutas tacita ſaltem compenſatione condicere, ſeu repetere poſſit.

781 IV. Niſi ſtatuto Reipublicæ, abſente licet omni alio titulo, licitæ efficiantur uſuræ moderatæ; tunc rari omnino erunt, qui gratis mutuare volent; plerique enim res ſuas, etiam otioſas, retinere malunt, quam alterius fidei ſine ulla ſpe emolumenti concredere. Suppoſita autem hac mutuas pecunias accipiendi raritate & difficultate, plurima impeditur Reipublicæ utilitas: languent, aut deſtruuntur commercia, ille Reipublicæ nervus: plurimi cives fortuitis caſibus damnificati, pecuniarum defectu vix unquam ad priorem fortunam reſurgere poterunt, quam tamen ope pecuniæ, & accedente perſonali induſtria fructificante, facile recuperaſſent, aut for-

forte pinguiorem effeciſſent. Inde vero ulterius ſequitur, ejusmodi cives pecuniis deſtitutos, conſueta alias Reipublicæ onera amplius portare non poſſe, ſed illa potius adgravare, & mendicorum augere numerum, quibus modo eleemoſynæ vix ſufficere videntur.

V. Multæ Perſonæ miſerabiles, Pupilli, 782
Minores, Viduæ, integræ etiam communitates Religioſæ, quæ forte manuum labore ſe ſuſtentare non valent, aut quibus negotiandi, aliave ratione pecunias, ſuſtentationi unice neceſſarias, frugiferas efficiendi vel non ſuppetit occaſio, vel deeſt facultas, lege v. g. amortizationis adempta, vel deficit voluntas, quippe ſacris occupationibus, aut piis exercitationibus magis affecta: intra pauculos annos nummos ſuos abſument, ſine prudenti ſpe ulterioris honeſtæ ſuſtentationis, ſi ex ſuis, quibus unice nutriuntur pecuniis, nullum lucrum licite percipere valent: quibus tamen, graviſſimis certis incommodis per legem uſuras adprobantem præcavetur. *Ergo.*

Reſpondent negantes. Transmiſſa *Majore.* 783
Neg. min. Non enim iſta lex probans uſuras cedit in bonum publicum, quod debet eſſe *commune* omnibus civibus; hæc enim ſolum favet divitibus, maxime autem præjudicat egenis, qui hac lege maxime

 oppri-

opprimuntur. Dein ſi ratio boni publici hanc legem exigeret, tunc iſtam exigentiam etiam Veteres legislatores, agnoviſſent, præſertim ſupremus omnium legislator Deus, cui ab æterno perſpectæ ſunt omnium temporum circumſtantiæ; nec uſuras mere lucratorias totiès, & tam ſevere reprobaſſent. Ad *prob. maj. diſt.* Reipublicæ negari non debet poteſtas juſtas leges ferendi, pro bono *communi*, & in materia ſibi competente. *Conc.* Pro bono unius ſolum partis, & in materia ſibi non competente. *Nego.* Jam autem lex probans uſuras non eſt pro bono *communi*, quia ſolis divitibus, non etiam egenis patrocinatur, & uſuræ Jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico prohibitæ, non pertinent ad materiam legislatoris Humani & Politici, nec poteſt inferior in lege ſuperioris diſpenſare. Ad paritatem e præſcriptione deſumtam inferius reſpondebitur.

784 Ad *primam prob. min.* RESPOND. Iſtud *litigiorum* incommodum utique & Primi Legislatores præviderunt, nec ei tamen per uſuras mederi voluerunt. Imo occurri eidem aliis modis poteſt, vel denegando debitori actionem pro foro externo, ſicut non permittitur, poſtquam ſententia tranſiit in rem judicatam, nec olim dabatur ex pactis nudis: vel regulando tribunalia ad exactam normam Juſtitiæ, ſubprimendo verſutias & tergiverſationes Advoca-

vocatorum, aliorumque, qui e litigantium crumena pinguescere solent: vel arbitrio boni Viri: aut denique lege charitatis immoderatum illum affectum, *meum* & *tuum* supprimendo &c.

Resp. ad II. Dominiorum incertitudini 785
satis præcavetur per præscriptionem, quæ etiam hic locum habere potest. Quando enim creditor bona fide existimat, titulum honestum intervenisse, tunc saltem legitime inchoat præscriptionem, qua in ipsum transfertur dominium lucri percepti.

Resp. ad III. Quando saltem adest titu- 786
lus existimatus, qualis vel ad ipsam præscriptionem requiritur, tunc bonæ fidei creditor conscientiam suam tranquillam reddere poterit illo communi principio: *Melior est conditio possidentis.* Debitor autem conscientiæ creditoris permittere potest, ut ipse rerum omnium arbitro Deo rationem reddat lucri, juste, an inique percepti.

Resp. ad IV. Dolendum quidem est, 787
Christianorum tantopere charitatem refrixisse, ut illius Christi, *mutuum date, nihil inde sperantes*, penitus obliti videantur: non ideo tamen lex charitatis penitus extinguenda est. Quibusdam enim egenis succurrendum est eleemosynis, præ-

ſertim quando in extrema neceſſitate verſantur: aliis liberali mutuo, mercedem non a debitore inope, ſed a ditiſſimo bonorum remuneratore Deo, exſpectando. Mutuarum pecuniarum facilitas introduci poſſet per alia media licita, v. g. montes pietatis, contractus ſocietatis, ærarium publicum, aliave, ſagaci politicorum ingenio, & pro Chriſtianorum zelo invenienda.

788 Resp. ad V. Non eſt conveniens, inquit Clar. P. Gufl tractatu *de uſuris.* n. 115. Eccleſias cum aliorum damno diteſcere. & omnis honeſtatis domicilium turpia lucra ſectari. Qui Eccleſias olim ſine uſuris conſervavit, & deinceps eas conſervabit ſine illarum ſubſidio. Pupillis quoque & Viduis præſtat ſortem ſuam Deo, qui curam eorum præcipuam geret, committere, quam cum damno proximi ſibi ſubſidium quærere. Poſſunt autem ab his Perſonis annui cenſus emi, aut fundi frugiferi, aut iniri contractus ſocietatis, & inde honeſtum lucrum adquiri.

789 Argumentum II. Ex iiſdem, aut fere ſimilibus rationibus Reſpublica licite introduxit legem præſcriptionis, qua dominium rei ab uno cive in alium transfertur: ergo etiam uſuras efficere licitas, earumque dominium in mutuantem transferre poteſt, propter eandem boni publici

ci exigentiam; eoquod ſolida inter utramque legem differentia perſpici nequeat.

RESPONDENT negantes. *Neg. conſeq.* Diſparitas eſt. I. Quia præſcriptio cum bona fide Jure divino non prohibita, imo Jure Eccleſiaſtico adprobata eſt. Econtra uſura, ſeu lucrum ſine cauſa perceptum, omni jure damnata eſt. II. Lex præſcriptionis eſt pro bono communi, quia æque favet parvis & magnis; cum & dives contra pauperem, & egenus contra locupletem præſcribere valeat. Lex autem probans uſuras in ſolorum divitum favorem, & in pauperum detrimentum cederet. Ita P. Reiffenſtuel ad tit. *de uſuris.* n. 48. ſeq.

ARGUMENTUM III. Lex, quæ in genera- 790
li præſumtione fundatur, juſta eſt etiam pro foro interno, licet in caſu particulari fallat, ut eſt communiſſima Jurisconſultorum Regula. Atqui lex moderatas uſuras adprobans, fundatur in generali præſumtione, quod mutuatarius credita ſibi pecunia facile ſibi lucrum adquirat, v. g. negotiando, vel alia induſtria perſonali, & ex hoc ipſo lucro uſuras perſolvat. Ergo lex uſuras moderatas adprobans, quamvis in caſu particulari forte fallat, nec adſit ille titulus præſumtus, licite tamen obſervatur.

RESPOND. Negantes. Non minus certa est altera Regula, quod *præsumtio debeat cedere veritati.* Quando ergo in casu particulari titulus ille præsumtus non intercessit, & debitor ex pecunia credita nullum lucrum percepit, tunc subintrat *veritas*, quod creditor ex re aliena & cum damno proximi ditescere nequeat. Sic in exemplo, etiamsi adsit præsumtio Juris, sententiam, quæ transiit in rem judicatam, juste latam fuisse; quando tamen victori constat eam materialiter falsam fuisse, eadem tuto uti non licet. Sic & ille, qui certe novit impedimentum occultum dirimens, quod pro foro externo probare non potest, etiam per censuras ad reddendum debitum conjugale compelli non potest ad fornicandum, etiamsi præsumatur, sententiam fuisse justam. cap. 44. *de sentent. excommun.* Et ita in aliis casibus.

791 ARGUMENTUM IV. In Imperio Romano-Germanico ejusmodi lex publica, usuras moderatas adprobans defacto existit, postquam in recessibus Imperii de anno 1500. 530. 548. 570. 573. 600. 654. usuræ quincunces, seu 5. pro 100. adprobatæ sunt, sine mentione alterius tituli, ob solam præsumtionem alicujus tituli. Sicut ergo in præscriptione immemoriali ob præsumtum titulum etiam pro foro conscientiæ transfertur dominium, & etiamsi post com-

completam præſcriptionem adpareat, titulum nullum in caſu particulari adfuiſſe, res tamen præſcripta ſecure retinetur; ita etiam dicendum de uſuris, quarum dominium ob præſumtum titulum transfertur in creditorem; cum utrobique eadem ratio boni publici, nempe certitudo dominiorum urgere videatur.

Resp. Negantes. Per receſſus Imperii non omnino *adprobantur* uſuræ mere lucratoriæ, ſed ſolum *permittuntur*, & ſtatuitur modus, ne plus quam 5. pro 100. perſolvantur. Vel ſi moderatæ adprobantur, tunc intelligendum eſt de uſuris *compenſatoriis*, quando titulus, qui præſumitur, interceſſit. In hac ipſa enim præſumptione fundatur Receſſus Spirenſis de anno 1600. ubi hæc habentur. „ Quantum jam ad præſumptionem, quod creditor intra hoc tempus pecuniam ſuam negotiationi exponere, & licito modo ad minimum quinque pro centum obtinere poſſit. „ Quando ergo præſumtio fallit & pecuniæ apud creditorem otioſæ manſiſſent, & debitor nihil inde lucratus fuit, tunc debet cedere veritati.

Argumentum V. In Germania, & alibi 792
etiam, communis proborum etiam hominum, imo & Religioſarum ſocietatum, juſti ac æqui amantium praxis eſt, ut otioſas pecunias ſine ullo titulo adparente ali-

alicui v. g. Monasterio satis fundato, pecunias tradant mutuas, quincunces inde percipiant, istoque lucro, ceu unico fundo, sustentare se soleant. Atqui nimis inhumanum videtur, communem istum agendi modum Personarum justitiam colentium reprobare, talesque mutuantes continui & gravissimi peccati, in quo juxta Adversarios versarentur, arguere, omnemque salutis viam iisdem præcludere; cum tamen istam consuetudinem lex civilis positiva adprobet, & Legislator Ecclesiasticus probe sciens nullo modo contradicat. Ergo &c.

Resp. Negantes cum R. P. Reiffenstuel, ex isto argumento non sequi, quod omnes ejusmodi creditores in periculo salutis versentur. Multi enim ex illis vel habent justum titulum: vel habent intentionem emendi censum annuum ex utraque parte redimibilem, id est, jus percipiendi annuatim quinque ex rebus alterius pro pretio centum florenorum: vel celebrandi *tacitum aut expressum* contractum societatis. Vel aliquos illorum excusat ignorantia invincibilis cum bona fide. Ceterum si omnis justus titulus, simulque ignorantia invincibilis & bona fides abest, plerique Doctores communissime credunt, omnes, sive multi, sive pauci sint, in statu peccati mortalis continuo versari, qui pro sorte principali seu summa capitali 100. florenorum exigunt usuram, seu *interesse*, ut vocant quinque florenorum. Ar-

Argumenta Negantium.

Argumentum I. Quod Jure Naturæ, Divino & Ecclesiastico prohibitum est, id lege humana licitum fieri nequit. Atqui usuræ mere *lucratoriæ*, & sine honesto titulo perceptæ omni Jure prohibitæ sunt ex num. 743. *Ergo.* 793

Respondent Affirmantes. *Dist. maj.* Quod Jure naturæ &c. *absolute*, & pro omni casu prohibitum est. *Conc.* Quod ordinarie quidem est, non tamen pro omni *hypothesi*, ubi Respublica vi Potestatis suæ eminentis dominium lucri in mutuantem transfert. *Neg.* Quemadmodum enim Deus vi supremi sui Dominii efficere potuit, ut Hebræi licite exercerent usuras erga extraneos, spoliarent Ægyptios &c. rerum illarum in Judæos transferendo dominium: licet ceteroquin nec ipsemet Jus naturæ *absolutum*, in conformitate cum Dei perfectionibus fundatum, immutare valeat; ita etiam Respublica vi eminentis sui Juris in bona civium, & ob rationem boni publici, lucrum pecuniæ mutuatæ in mutuantem transferre, & sua lege publica justum, licitumque titulum percipiendi efficere potest. Isto autem supposito titulo, lucrum jam non est usura proprie dicta, sed modus adquirendi lege probatus. Potest etiam retorqueri in præscriptionem. Eodem enim Jure N. & D. interdictum est, ne

quis

quis rem alienam invito Domino animo possidendi retineat: ergo nec ipsa præscriptio lege positiva introduci potuit. Quod tamen falsum est.

794 ARGUMENTUM II. Quamvis Reipublicæ competat Jus altum in bona civium, efficere tamen nequit, ut liceat furari; quia hoc est contra æquitatem naturalem. Ergo neque usuras licitas reddere potest; quia pariter æquitati naturali repugnant.

RESP. Affirmantes. Non potest quidem Respublica efficere, ut liceat furari, quamdiu furtum manet furtum; quia nulla ratio boni publici potest exigere, ut permittantur furta: prout tamen exigit, ut probentur usuræ moderatæ. Potest tamen lege efficere, exigente necessitate vel utilitate Reipublicæ, ut furtum non sit furtum, quando transfert dominium de uno in alium, ut contingit in præscriptione: qua absente, rei alienæ possessio verissimum esset furtum.

795 ARGUMENTUM III. Clem. un. *de usuris.* Reprobantur omnia statuta, quibus usurarum exercitium permittitur: imo sub excommunicationis pœna tanquam hæretici tractari præcipiuntur, qui usuras existimant licitas esse. Sicut ergo Respublica nihil potest statuere in materia hæresis, ita neque in materia usuraria.

RESP.

Resp. Affirmantes. Textum intelligendum eſſe de uſuris *exceſſivis*, & charitati adverſis: non autem de *moderatis*. Neque enim Eccleſia poteſt, aut vult, altum Reipublicæ *Jus* turbare, & rationem boni publici intervertere.

Argumentum IV. Cap. IV. *de uſuris.* 796
dicitur: „ cum uſurarium crimen utriusque teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper „ hoc diſpenſationem aliquam non poſſe „ fieri. „ Ergo ſicut nequit diſpenſare Pontifex; ita multo minus Respublica crimen uſuræ licitum reddere poteſt.

Resp. Affirmantes. Eodem modo, nempe quamdiu uſura eſt crimen. Suppoſito autem ſtatuto ac lege, jam non eſt crimen. Sicut enim dum mutuatarius ſponte ac liberaliter ſe ad uſuras obligat, licite percipiuntur, ob titulum donationis; ita etiam dum Respublica transfert dominium lucri in mutuantem, adeſt titulus, legis: cui cives & ſubditi ſe conformare debent.

Argumentum V. Respublica nequit im- 797
mutare naturam rerum: atqui hoc fieret, uſuras efficiendo licitas; nam contra naturam eſt, ut res ſecundum ſe ſterilis, qualis eſt pecunia, fructificet, ſeu, ut ait Aristoteles II. Polit. 7. Maxime præter naturam eſt hic adquirendi modus, ut

in

in fœnore nummus nummum pariat. *Ergo.*

Resp. Affirmantes. Quamvis pecunia *secundum se*, physice spectata sterilis sit, nec fructificet ut fundus & animalia; civiliter tamen, seu, in æstimatione morali fructifera est; quatenus accedente industria, aut dispositione legis, lucrum inde provenire potest. Hinc etiam in pecunia potest constitui *quasi usus fructus.* Et ex ipsis hominum commerciis patet, nihil fere ad lucrum faciendum aptius esse pecunia.

798 Argumentum VI. Notum est & universale, quod præsumptio debeat cedere veritati. Atqui lex Imperii, probans usuras moderatas, tantum innititur præsumptioni, quod subsit titulus honestus. Ergo quando titulus nullus adest, subintrat veritas, prohibens usuras mere lucratorias.

Resp. Affirmantes. *Disting. maj.* Præsumptio *particularis*, seu hominis, debet cedere veritati. *Conc.* Præsumptio *generalis. Neg.* Ut patet in omnibus legibus humanis, in præsumptione universali fundatis. *Disting. min.* Lex humana fundatur in præsumptione *particulari. Neg. Generali. Conc.* Præsumptio enim *generalis* est, quod pecunia mutuata propter industriam hominum fructificare possit. Præsumptio quoque *generalis* est, in omni fere mutuo sub-

ſubeſſe titulum honeſtum. Dein non in ſola præſumptione, ſed in ratione boni publici fundatur lex, uſuras moderatas approbans.

Argumentum VII. Quamvis adſit præ- 799
ſumptio, allegata & probata in judicio eſſe vera, & Judex debeat ferre ſententiam propter præſumptam allegatorum veritatem publicam; ſi tamen in caſu particulari ſciat certo, illa eſſe falſa; non poteſt condemnare innocentem, ex n. 140. ſeq. Ergo a pari, quamvis *ordinarie* in mutuo præſumatur adeſſe titulus, ſi tamen a parte rei non ſubſit, uſura illicite percipitur, quia pro eo caſu lex eam non approbavit.

Resp. Affirmantes. In illo caſu eſſe ſolam præſumptionem *particularem*. Ceterum ideo Judex non poteſt condemnare innocentem; quia *ei* non poteſt probari nocens; cum propter privatam ſcientiam *fides* ei fieri nequeat. Ulterior *diſp.* eſt; quia nec judici, nec Reipublicæ competit poteſtas in vitam innocentis. Econtra Reipublicæ competit Jus altum in bona civium, vi cujus lucrum in mutuantem, etiam cum diſpendio mutuatarii, & ſine ullo titulo in particulari transferre poteſt.

Argumentum VIII. Quamvis ſit praxis 800
communis Clericorum, de bonis etiam

Ecclesiasticis ad causas profanas testandi, eamque consuetudinem sciens Ecclesia non reprobet, illicita tamen est, ex n. 236. Ergo etiam praxis usuraria, quamvis Pontifex eam toleret.

RESP. Affirmantes. *Neg. ant.* Non enim est consuetudo communis, nec ulla lege probata est quorumdam praxis, sicuti tamen usuræ moderatæ lege publica fuerunt approbatæ. Ceterum consuetudinem, si quæ foret, testandi ad causas profanas, Ecclesia solum tolerat, non positive approbat; quia pro foro externo non facile potest dignosci, an Clericus ex bonis Ecclesiasticis, an vero ex bonis patrimonialibus, ad causas profanas testatus fuerit. Usuras autem moderatas lex publica positive adprobavit.

801 ARGUMENTUM IX. Quamvis lex, tribuens vim rei judicatæ, etiam pro foro conscientiæ fundetur in præsumptione generali, sententiam fuisse justam; si tamen victor agnoscat rem sibi non deberi, eam in conscientia retinere non potest. Ergo a pari.

RESP. Affirmantes. *Neg. conf.* Disparitas est. Intentio enim & finis legis, tribuentis vim rei judicatæ, non fuit, ut transferatur dominium in Victorem, sed solum, ut amputentur lites: qui finis sufficienter

obti-

obtinetur, quando poſt rem judicatam denegatur actio, ſententiam impugnare volenti. Econtra finis & intentio legis, probantis uſuram moderatam, fuit, tollere incertitudinem dominiorum, & procurare utilitatem boni publici: qui finis non obtineretur, ſi uſuræ, lege poſitiva adprobatæ, pro foro interno illicitæ forent.

Reſtat adhuc dicendum de variis pactis 802
uſurariis & palliatis. Contingit aliquando, quod creditori a mutuatario pro ſecuritate pecuniæ tradatur pignus. Quando adjicitur pactum, ut creditor re oppignorata uti, ejusque fructus percipere valeat, donec ſolutione mutui pignus redimatur; tunc adpellatur PACTUM ANTICHRESTICUM, & quæritur, an juſtum ſit, vel uſurarium? De Jure enim creditor re *mobili* in pignus dato uti non poteſt, ſecus furtum committit. l. 54. ff. *de furtis*. Quando autem res immobilis oppignorata fuit, fructus, ne pereant, percipere poteſt. l. 1. 2. 3. Cod. *de pignorat. actione*. Quos tamen, ſi exſtent, reſtituere, aut conſumtos in compenſationem ſortis imputare debet, ut tantum detrahatur de ſumma principali, quanti valent fructus percepti: deductis tamen expenſis, in perceptionem fructuum neceſſario factis; quia illas etiam mutuatarius facere debuiſſet.

803 Resolutio III. Pactum antichresticum, quando usus, aut fructus pignoris non imputatur in compensationem sortis, sed cedit lucro mutuantis, *ordinarie* est usurarium. *Communis.*

Prob. Ex cap. I. II. & VIII. *de usuris.* Ratio est; quia hic aliquid accipitur vi mutui supra sortem, absque omni titulo, ut supponitur: & ipse usus, vel fructus pignoris, habet rationem lucri, seu auctarii; præcipue cum per traditionem pignoris amoveatur omne periculum sortis.

804 Dictum est *ordinarie.* Sicut enim secundum nonnullos, statuto Reipublicæ licite percipi potest usura moderata, seu, ut vocatur, *interesse*; ita loco pecuniæ in eadem moderatione licita reddi potest perceptio fructus, æquivalens lucro, seu, usuræ statuto taxatæ. Excipitur etiam 1. fundus, qui loco *dotis* in pignus datur. cap. 16. *de usuris.* Nam hoc casu fructus fundi a marito percipi possunt pro sustentandis oneribus matrimonii, quia dote carere debuit, quæ eum in finem datur. Excipitur 2. *feudum* (quod etiam extenditur ad emphytheusin) in pignus debiti Domino directo datum; cum hoc casu accipiat fructus rei suæ, sicut perciperet, si in feudum vel empytheusin non dedisset: dummodo Feudatarius vel Empytheuta

ta a præſtando ſervitio perſonali, vel annuo canone, interea ſit liber. vid. cap. I. *de feudis.*

Resolutio IV. Pactum *de retrovendendo*, 805
ſi fiat debito cum modo ac juſto cum pretio, uſurarium non videtur.

Explicatur & probatur. Equidem non raro contingit, ut ad palliandas uſuras pro contractu mutui, in quo ſolo proprie committi ſolet uſura, celebretur alius contractus: v. g. ut creditor pecuniam mutuam petenti, rem aliquam vendat cum pacto, ut emptor eandem venditori vel ſtatim, vel poſt tempus, minori pretio retrovendere cogatur. Tunc enim certo committitur uſura palliata, quia æquivalenter exercetur mutuum, & ſupra ſortem principalem absque titulo percipitur lucrum. Si autem pactum retrovenditionis ita concipiatur, ut ſive certo, ſive incerto tempore, oblato a venditore rei pretio emptor eam teneatur reddere, tunc videtur abeſſe fraus uſuraria; cum & leges civiles talia pacta probent l. 2. Cod. *de pactis inter emptorem & venditorem compoſitis*, & ipſum quoque jus divinum Levit. XXV.

Videtur quidem obſtare cap. V. *de empt.* 805
& vendit.

Resp. Ibi non intervenisse justum pretium, sed vix dimidio æquivalens.

807 Nec obest cap. 4. *de pignore.*

Resp. Pontifex judicavit, non intervenisse *veram* venditionem, sed tantum *simulatam*, & potius pignus, adeoque pactum *antichresticum*. Inter venditionem autem & pignus, hæc est disparitas; quod in pignore periculum ejus maneat penes debitorem, utpote Dominum, ad quem fructus & usus pertinere debet: in venditione autem dominium, licet revocabile, & periculum, sit penes emptorem; hinc etiam jus habeat percipiendi fructus.

808 Resolutio V. Contractus Mohatræ est usurarius & illicitus.

Explicatur. Iste contractus sic celebrari solet ad palliandam usuram. Petit aliquis mutuos centum florenos a mercatore, qui tamen nolens mutuare pecuniam, vendit illi merces credito, sed majore supra mercium valorem pretio, eo pacto, ut postquam emptor easdem merces alteri vendiderit, hic eas offerat Mercatori dicto, qui eas minore pretio redimit. Hunc contractum esse illicitum & usuram palliatam, patet ex propos. 40. ab Innocentio XI. damnata hujus tenoris: *Contractus Mohatræ licitus est, etiam respectu* *ejus-*

ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. Ratio est; quia hic intercedit solum emptio venditio *ficta*, & ultra sortem absque titulo plus exigitur.

Resolutio VI. Pactum *legis commissoriæ* 809
est illicitum & usurarium. *Communis.*

Explicatur & probatur. Hoc Pacto creditor cum dibitore convenit, ut, si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, pignus, etiam plus valens pecunia credita, pleno jure cedat creditori. Ratio manifesta est; quia aliquid accipitur ultra sortem ex vi mutui, absque omni titulo, ut supponitur. Deberet enim pignus vendi, &, quod sortem excedit, debitori restitui.

Resolutio VII. Anatocismus, seu, ille 810
contractus, quo ex ipsis usuris non persolutis computatur novum capitale, & inde petuntur usuræ usurarum, Jure civili prohibitus est.

Prob. Lege 28. Cod. *de usuris* statuitur.
„ Ut nullo modo usuræ usurarum a debi-
„ toribus exigantur &c. quapropter hac
„ apertissima lege definimus, nullo modo
„ licere cuiquam usuras præteriti tempo-
„ ris, vel futuri, in sortem redigere; &
„ earum iterum usuras stipulari. „

811 Dixi: de *Jure civili*, quod haud dubie loquitur de usuris proprie talibus, absque ullo titulo percipiendis aut immoderatis. Quod si sermo sit de usuris, quas creditor *licite* percipit ob honestum titulum lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum extrinsecum sortis, aut propter ipsam legem usuras moderatas probantem, non videtur anatocismus iste esse illicitus. Sicut enim licite percipit usuras quot annis solvendas, sic easdem denuo in unam sortem principalem computare, &, cui voluerit, mutuum dare potest pro novo lucro: consequenter quando debitor primus eas usuras non solvit, jam adest titulus, ut supponitur, justus lucri cessantis, aut damni emergentis; & ideo usuræ usurarum *licitarum* non videntur esse illicitæ. Testatur quoque R. P. Reiffenstuel, se practicari vidisse a viris etiam conscientiosis, quod dum Empytheutæ longo tempore Dominis directis annuum non solverant canonem, eundem insimul computarint in novam aliquam sortem principalem, exigendo exinde novum interesse. Hinc etiam dubitat, an citata lex sit ubique recepta. Puto tamen, attendendas esse circumstantias, ne nimium opprimantur pauperes debitores, atque solvendo reddantur impares, aut ad incitas & hastas redigantur; maxime si creditor fuerit dives.

Resolutio VIII. Montes Pietatis cum debitis circumſtantiis ſunt honeſti & liciti. 812

Explicatur. Sub nomine *Montium Pietatis* intelliguntur publica conſtituta Æraria, e quibus præſtita cautione pignoris mutuum pauperibus indigentibus gratis præbetur, ne a fœneratoribus, maxime Judæis, nimium premantur. Cum vero ad hujusmodi Pietatis Montes rite adminiſtrandos & conſervandos, quidam ſint neceſſarii Miniſtri, qui gratis ſua officia obire nolunt, & ex ipſa caſſa talis ærarii ſolaria recipiunt; hinc, ne maſſa principalis brevi deficiat, & in neceſſarium officialium uſum exhauriatur, proviſum fuit, ut a Mutuatariis annuatim modicum reſpective intereſſe præſtetur. v. g. 3. aut 4. pro centum. Quodſi intra tempus præfixum debitum a mutuatario non ſolvitur, pignus deſtrahitur, detractaque ſumma debita & ſtatuto auctario, reſiduum debitoribus reſtituitur.

Sunt tamen quidam Pietatis Montes in 813
non nullis locis ex meris eleemoſynis annuatim colligendis erecti, unde pauperibus indigentibus, maxime loci civibus, absque ullo intereſſe, ſeu, auctario, certa quædam pecuniæ quantitas mutua datur. Talis eſt Friſingæ apud ſic dictam Congregationem, ſeu fœdus charitatis, ubi

fundus ſuſtentatur ex annuis oblationibus ſociorum. Et de hujusmodi Montis pietate atque honeſtate nullus eſt ambigendi locus. In ceteris autem, qui Belgici vocantur, & ex pecuniis ad cenſum locatis eriguntur, ſi adſint conditiones ſequentes, liciti ſunt. 1. Ut non dentur mutuæ pecuniæ, niſi pauperibus. 2. Non niſi ad certum tempus v. g. ad annum pro neceſſitate. 3. Ut Miniſtris tradatur pignus cum onere diſtrahendi in defectum ſolutionis, & reſiduum ſupra ſummam capitalem reſtituendi. Ceterum quod etiam auctarium ad Miniſtrorum ſuſtentationem, & fundi conſervationem, non obſtante pignore, licite exigatur:

814 Prob. I. Ejusmodi montes pietatis ſunt approbati in Concilio Lateranensi V. ſub Leone X. Seſſ. X. Bulla, *cum inter nonnullos*.

II. Tridentinum Concil. Seſſ. XXII. de Reform. cap. VIII. eos etiam piis locis adnumerat, quæ ſubjaceant viſitationi Epiſcoporum.

III. Auctarium illud non percipitur vi ipſius mutui, ſed ex titulo honeſto ſuſtentationis officialium; cum dignus ſit operarius mercede ſua. Debent enim ſemper eſſe parati ad mutuandum, recipiendum, & conſervandum pignus, conficiendos

dos libros rationum &c. Insuper & conservari debet summa capitalis, reficiendæ ædes &c.

Superest, ut pauca *de Restitutione*, & 815
Pœnis usurariorum dicam. Et primo quidem ex usura mere lucratoria, absque ullo titulo percepta, si fuerit *realis*, obligationem restitutionis oriri, etiamsi usuræ non extent, facile colligitur; adest enim Radix *injustæ acceptionis*: estque hæc obligatio *naturalis*, non tantum ex lege *Christiana* proveniens. Hinc etiam Judæos tenet. cap. 22. *de usur.* & hæredes; cum in omnia jura realia defuncti activa & passiva succedant. cap. 9. eod. Idem dicendum de cooperatoribus, ex regulis generalibus Restitutionis.

Usurarius *mentalis*, seu, qui absque pa- 816
cto explicito ea mente mutuum dedit, ut usuras absque titulo honesto reciperet, si actu a debitore eas accepit, qui existimavit mutuum non aliter quam sub usuris sibi fuisse concessum, ad restitutionem æque obligatur; quia est vera usura absque titulo percepta: hinc adest radix *injustæ acceptionis.* cap. 10. *de usuris.* In utroque casu restitutio facienda est Mutuatariis, si supersint, aut eorum hæredibus, aut, his etiam deficientibus, causis piis. cap. 5. *§. super his. de usuris.*

POE-

817 Poenæ in usurarios statutæ sunt sequentes. 1. Depositio & privatio ab officio, *ferendæ sententiæ*, si usurarius fuerit Clericus, aut saltem suspensio. 2. Excommunicatio, si fuerit Laicus. Et quidem hodie, *ipso facto.* cap. 1. *de usuris.* in 6. 3. Oblationes usurariorum in Ecclesia rejiciuntur, easque accipientes ab ipsis, ab officio suspensi puniuntur ab Episcopis. 4. Usurarii privantur sepultura Ecclesiastica. 5. Usurariorum manifestorum testamenta & ultimæ voluntates sunt irritæ: nisi ante mortem restituerint. De quibus omnibus videantur Canonistæ.

§. II.

De contractu societatis, cambio & censu.

818 Contractus *societatis* est aliquorum conventio contribuendi ad commune lucrum & damnum, secundum proportionem rerum contributarum. Debet autem ista conventio esse honesta, seu, licita Negotiatio. Contribui vero potest ad commune lucrum variis modis: ita, ut vel uterque pecuniam conferat, & industriam, aut alteruter: vel, ut unus conferat animalia, v. g. equos, alter naves, tertius suam operam. Porro contractum hujusmodi esse licitum, facile inter omnes convenit, modo fiat cum debitis conditionibus: &

qui-

quidem 1. ut ſit *honeſta* negotiatio, prout dixi. 2. Ut ſinguli ſocii aliquid aptum conferant ad faciendum lucrum. 3. Ut ſecundum proportionem rei contributæ fiat diſtributio lucri inter ſocios: quo maxime ſervit *Regula trium*, Arithmeticis & Mercatoribus familiaris: ſecus nulla foret æqualitas. 4. Ut impenſæ, damnum, & periculum, ſint communia, ut habetur l. 67. ff. *pro ſocio.* Qui enim ſentit commodum lucri, ſentire etiam debet onus periculi, vel damni. Hinc ſi pecunia collata, vel animal pereat absque culpa lata & levi ſocii; perit conferenti, utpote qui rei illius retinuit dominium: res autem Domino ſuo perit. 5. Denique, ut ſocietas ineatur ad certum tempus, ante quod non liceat repetere contributum; id enim exigit finis ſocietatis.

Dubitatur, an contractus *trinus* ſit lici- 819
tus. Fit autem hoc modo. Confert aliquis pecuniam in ſocietatem, ſed eo pacto, ut ipſi ſua ſors, ſeu ſumma capitalis maneat ſalva & integra, cum certo quodam lucro, ſed minore eo, quod probabiliter ex negotiatione ſperari poterat. Hic interveniunt tres contractus. *Primus* eſt ſocietatis, quo confertur pecunia in ſocietatem.

Secundus eſt pactum aſſecurationis ſortis, pro qua cedit ſocio partem lucri ſpe-

rati.

rati. E. g. Pro collatis centum florenis speratur lucrum 10. florenorum: qui sibi sortem assecurari paciscitur, cedit socio spem lucri decem, & petit tantum quinque pro centum.

Tertius est venditio lucri majoris sperati *incerti* pro lucro minore *certo*. Hunc contractum fore illicitum, si ineatur cum tali, v. g. paupere, qui prævidetur non posse pecunia collata negotiari, & lucrum quærere, constat; quia, sic foret solum ficta societas, & vera usura. Igitur quando initur cum Negotiatoribus, quæritur an liceat?

820 RESOLUTIO I. Contractus societatis triplex cum assecuratione sortis, videtur illicitus.

Dixi: *videtur*; nondum enim contraria sententia damnata est, ut fatetur BENEDICTUS XIV. lib. de Synodo Diœcesana lib. X. 7. N. E.

PROB. I. Ex constitutione SIXTI V. *Detestabilis*. Ubi in terminis damnantur illi contractus & Pacta, quibus cavetur, ut in singulos annos aut menses durante societate certa lucri quantitas ad socium perveniat, & nihilominus sors principalis integra reddi debeat, quamvis casu fortuito perierit. Verba ipsa extant apud P. AN-

Antoine. Atqui hoc omnino contingit in contractu trino. Ergo &c.

Prob. II. Ille contractus est vere usurarius, ubi ultra sortem aliquid accipitur absque justo titulo. Atqui in contractu societatis *trino* aliquid accipitur ultra sortem sine titulo honesto, sed præcise vi mutui. *Ergo. Min. prob.* In contractu trino non aliter quam in mutuo dominium pecuniæ transfertur in socium negotiatorem; quia illi perit, si casu fortuito pereat, sicut perit Mutuatario. Quod autem non adsit titulus honestus, *prob.* Nam non foret alius, quam titulus *societatis*: atqui hic destruitur per Pactum assecurationis sortis; est enim de natura societatis, ut damnum & lucrum sit commune, nam ut dicitur l. 67. ff. *pro socio. Cum societas contrahitur, tam lucri quam damni communio initur.* 821

Prob. III. Est contra æquitatem, & æqualitatem, ut quis absque omni ratione accipiat lucrum, ut contingit in contractu trino; totum enim jus lucrandi ex pecunia collata absque labore & opera, consistit in periculo sortis ad Negotiationem collatæ. Atqui hoc periculum tollitur per pactum assecurationis. Ergo nulla adest ratio aut titulus lucri. 822

Objic.

823 Objic. I. Si contractus trinus esset illicitus, tunc ideo; quia degeneraret in mutuum: atqui hoc non fit. *Ergo. Min. prob.* In mutuo essentialiter transfertur dominium in Mutuatarium: contra in societate non transfertur dominium in socium; non enim de pecunia disponere potest, sed eam tantum ad negotiationem expendere debet.

Resp. Nego *min.* & ejus probationem. Quando enim semel conventum fuit de assecuratione sortis, tunc dantis nihil interest, quacunque demum ratione de pecunia, quam in individuo restituere non tenetur, disponat. Hinc vere transfertur in eum dominium, quia pecunia ipsi periret: res autem perit Domino. Si autem hoc pactum expresse apponeretur in contractu societatis trino, ut pecuniam *solum* applicet ad negotiationem, cum assecuratione sortis, tunc foret injustum, & nimis onerosum.

824 Objic. II. Quamvis sit de natura societatis, ut commune sit lucrum & periculum, potest tamen vi alterius pacti hoc periculum redimi per compensationem, seu cessionem partis lucri. *Ergo. Ant. prob.* Quamvis sit de natura depositi, commodati, ut periculum sit penes rei Dominum, Pacto tamen pro mercede fieri potest, ut alter totum periculum sustineat.

Resp.

Resp. Nego *ant.* Nam iſta periculi communio de natura & eſſentia ſocietatis eſt, ſicut eſſentiale eſt depoſito, ut res depoſita ſervetur. Diſparitas vero inter reliquos contractus eſt; quia aſſecuratio non eſt *contra*, ſed *præter* naturam illorum: contra abſentia periculi eſt contra naturam ſocietatis.

Objic. III. L. 29. ff. *pro ſocio.* dicitur. 825
Ita coiri ſocietatem poſſe, ut nullius partem damni alter ſentiat, lucrum vero commune ſit. Ergo &c.

Resp. Lex citata loquitur de ſocio, qui tantum operas ſuas contribuit; ita ut, ſi illæ tanti valeant in æſtimatione morali, quanti alterius pecunia collata, non debeat ille pecuniæ periculum ac damnum ſubire; quia ſecus plus de damno quam de lucro participaret; ſentiret enim damnum ſuæ induſtriæ, & partis pecuniæ, quod eſt contra æqualitatem & proportionem.

Objic. IV. In contractu Societatis Trino 826
commoda æquivalent incommodis, & periculum ſortis compenſatur per majus lucrum ſperatum. Ergo nihil eſt contra æquitatem & æqualitatem.

Resp. Nego, quod æquivaleant incommoda commodis; nam ille, cujus ſors ca-

pitalis aſſecuratur, nullum omnino ſubit periculum, & ſentit certum commodum lucri, quamvis ſperato minoris. Jam vero inter lucrum minus certum, & majus incertum, non eſt æqualitas. Dein cum lucrum majus ſperatum fundetur in ſocietate, quæ per aſſecurationem ſortis deſtruitur; hinc pro remiſſione lucri majoris ſperati nihil poteſt exigi, ſed debet periculum & lucrum eſſe commune.

827 Objic. V. Tres contractus ſeorſim & cum diverſis perſonis liciti ſunt. Ergo etiam cum eadem.

Resp. Nego *conſ.* Diſparitas eſt; quia alia pacta cum alio non ſocio facta, non impediunt, quo minus ſubſiſtat inter ſocios vera ſocietas. E. g. Ut Pater animet filium ad negotiationem cum ſociis, ille aſſecurat filio ſuam pecuniam contributam. Hic reſpectu ſocietatis per accidens eſt, quod extraneus huic filio ſortem aſſecuret, & in ſe periculum ſuſcipiat. Contra quando unus ſociorum ſortem aſſecurare debet, tunc evertitur natura ſocietatis; quia tollitur æqualitas & communio periculi, quod unus ſociorum ſolus ferre deberet, & alter lucrum certum ſupra ſortem absque omni titulo acciperet.

828 Loco pecuniarum in ſocietatem dari poſſunt animalia, tuncque definitur contra-

ctus,

ctus, quod ſit duorum vel plurium conventio, qua aliqui certum animalium numerum in ſocietatem conferunt, alii ea cuſtodiunt, paſcunt, ut ex fructibus lucrum percipiatur. Huncque contractum eſſe licitum, modo adſint debitæ conditiones, vix eſt dubium; quia ſicut ex pecunia, ita multo magis ex animalibus fructus & lucrum, qui eſt finis ſocietatis, percipi poteſt. Requiritur autem 1. ut, ſi animalia absque culpa lata & levi villici, ſeu, cuſtodis & Paſtoris pereant, non ipſi, ſed tradenti pereant, qui eorum retinuit dominium. Neceſſe autem erit, ut villicus, ſeu, cuſtos probet, animalia caſu fortuito, v. g. per lupum aut fures, aut luem absque ſua culpa periiſſe. Quisque enim exceptionem ſuam probare debet. l. 22. ff. *de probat.* 2. Ut villicus, ſeu accipiens animalia, diligenter curet, paſcat, cuſtodiat &c. & accuratam lucri rationem reddat; ſola enim ipſius induſtria juſtum efficit lucri ex re non ſua percipiendi titulum. 3. Ut in lucri diſtributione ſervetur æqualitas, ſeu proportio reſpectu capitalis & operarum, ut pro hujus vel illius majori vel minori ratione lucrum commenſuretur, quod fieri debet ope *Regulæ Trium*: ſi qua iſtorum conditio deficiat, ſocietatis contractus erit illicitus. E. g. Titius dat Petro oves ducentas & vaccas viginti poſt factam animalium æſtimationem, ſub his conditionibus; ut ſin-

gulis mensibus certa lactis, casei, aut lanæ quantitas sibi a Petro reddatur. 2. Ut exacto contractus tempore vel pretium, quo animalia fuerunt æstimata, vel alia ejusdem valoris animalia restituantur. 3. Ut interim a Petro curentur, pascantur, custodiantur. Illicitus est contractus; quia Petrus debet sustinere totum rei periculum. Hinc iste contractus vel est *mutuum*; & tunc est certo usura: vel *venditio*; tunc venditor ultra æstimationem nihil percipere potest.

Quodsi Petrus assecuret capitale, ei autem cedatur a Titio major lucri futuri pars; tunc a parte rei erit contractus triplex, quem supra rejeci.

829 Cambium est permutatio pecuniæ cum pecunia. Qui dat pecuniam, dicitur *Campsor*, Nummularius, Bancarius. Qui recipit, *Campsarius*; est ergo contractus, quo pecunia permutatur cum lucro Campsoris. Aliud est *siccum*, seu, *fictum*, quando pecunia vere non permutatur, sed permutari fingitur: v. g. quando datur pecunia recipienda a Campsore in eodem loco & eadem moneta, quamvis literis fingatur reddenda alibi. Aliud est *reale*, ubi vere permutatur pecunia præsens cum præsenti, vel præsens cum distanti. Hoc iterum vel est *manuale*, quo præsens pecunia de manu ad manus permutatur pro

alia præſenti, v. g. Moneta Boica pro Auſtriaca. Vel eſt *locale*, quod eſt cambium per literas, ubi datur pecunia præſens pro alia in loco diſtanti recipienda. v. g. Do Campſori Ratisbonæ 100. aureos, ut eundem valorem recipiam Romæ moneta Italica. *Temporale* illud dicitur cambium, quod ad certum diem conſtituitur, & poſtea aliquid ſupra exigatur. v. g. Hodie dantur centum aurei poſt tres menſes reſtituendi, cum duobus aureis ſupra integram ſummam: quod Cambium Lugdunenſe & Francofurtenſe appellari ſolet, eoquod in illis locis exerceri ſoleat.

Resolutio II. Cambium *reale*, *per ſe* lo- 830
quendo cum debitis conditionibus, licitum eſt: *ſiccum* vero & *temporale*, iniquum eſt.

Prob. I. Pars. Cambium *reale* per ſe loquendo utile eſt Reipublicæ, nihilque iniquitatis involvit. Ergo eſt licitum. *Ant. prob.* Utile eſt & neceſſarium, ut quisque ad manum habeat pecuniæ ſortem, qua hic & nunc indiget. Sic alius indiget pecunia minuta, alius majore: hic Aurea, ille Argentea: hic Auſtriaca, vel Gallica, pro negotiatione vel peregrinatione in iis Regionibus inſtituenda, quam facere nequit, ſine moneta ibi currente; aut qui longum inſtituit iter, nec ſecure ſuas pecunias ob metum latronum, aut earum

pondus secum portare potest; huic maxime commodum est, ut pecunias in ipso termino vel locis, per quæ transit, accipiat. Atqui hæc commoda efficiuntur Cambio. Ergo est utile Reipublicæ. Quod vero nihil contineat iniquitatis, ostenditur. Siquid subesset mali, tunc illud, quod vi Cambii supra sortem aliquid accipiatur. Atqui hoc non est iniquum; nam auctarium istud percipitur justo titulo impensarum, laboris, sine quibus Campsor diversi generis monetas colligere nequit, ut singulis satisfaciat Campsariis: debet habere correspondentes, ministros, domum aliaque. Sicut ergo ob eandem rationem liciti sunt montes Pietatis; ita quoque ista cambia realia.

831 PROB. II. pars. Cambium *siccum*, seu, *fictum* esse illicitum. Hic est verum lucrum ex mutuo, absque ullo honesto titulo. Neque enim istæ ambages aliunde, quam ad palliandam usuram sunt excogitatæ. Ad hoc cambium *fictum* revocari etiam potest aliud, quod vocant *obliquum*, quod pluribus explicat, atque reprobat BENEDICTUS XIV. apud P. ANTOINE hic.

832 PROB. III. pars. In Cambio *temporali* pecunia hodie datur cum obligatione, eandem reddendi v. g. post tres menses cum auctario: atqui hoc auctarium Lugduni v. g. majus aut minus exigitur, prout

pecu-

pecunia plus aut minus valuit per tres elapſos menſes, qui intercedunt inter ſingulas Nundinas : Quodſi poſt temporis intervallum non ſolvatur promiſſionis valor ; renovatur promiſſio, & auctarium, quod jam debitum eſſe ſupponitur, capitali additur, & ita ſolvi debet uſura uſuræ. Atqui hæc omnia ſapiunt iniquitatem veræ uſuræ. Primo enim auctarium exigitur ſolum ob carentiam pecuniæ, & dilationem ſolutionis ; & quo longior eſt mora, eo majus exigitur auctarium, quod eſt iniquum, ut patet ex dictis de uſura. 2. Nequidem Negotiatoribus permiſſæ ſunt uſuræ uſurarum, niſi verus accedat titulus, qualis hic deeſſe ſupponitur. 3. Ideo in cambio licitum eſt aliquid recipere ſupra ſortem, quia diverſi ſubintrant tituli. Atqui hi deſunt in cambio Lugdunenſi ; quia ibi non dantur litteræ Cambii pro aliis Regionibus. Ergo &c.

Objic. contra I. Partem. Centum floreni 833
in auro, non plus valent quam centum floreni in argento, vel moneta ærea. Ergo eſt contra æqualitatem, in earum permutatione aliquid ſupperadditum exigere.

Resp. *Diſting.* Non valent plus *materialiter*, & in ſe. *Conc.* In æſtimatione morali, ratione impenſarum, quas facere debet Campſor in colligendis diverſæ ſortis monetis. *Neg.* Sic enim ſumptus vel induſtria eſt pretio æſtimabilis.

 Objic.

834 Objic. II. Pecunia, quæ eſt utilior Campſario, non ideo eſt carior, ſeu majoris valoris. Ergo &c.

Resp. Campſor non vendit utilitatem, quæ ſe tenet ex parte emptoris, ſed ex parte rei venditæ, & quam ſine magnis impenſis procurare non poterat, quas ille pati non debet.

835 Objic. III. Quandoque Cambium cedit in utilitatem Campſoris: ergo ſaltem tunc nihil recipere poteſt ſupra ſortem.

Resp. Nego *conſ*. Plerumque enim longe utilius eſt Campſori, pecunias habere hic, quam alibi: & ipſa utilitas eſt fructus laboris, induſtriæ, ſeu, artis, & fortunæ Campſoris.

836 Quamquam vero hoc cambium *reale* licitum ſit, & Laicis permiſſum; ſpecialiter tamen interdictum eſt Clericis per omnes illos Canones, qui eosdem a Negotiatione, omnique ſæculi cura ſtudioſe arcent, quos recenſet Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. X. cap. 6. N. E. legatur Can. 1. XIV. 4. cap. 6. *ne Clerici vel Monachi*. Clement. I. *de vita & honeſtate Clericorum*.

837 Sunt tamen, qui opinentur, Clericos facile poſſe ſtatutas a ſacris Canonibus evadere

dere pœnas, ſi cambia *activa*, aliasve quæſtuoſas Negotiationes non per ſemet, ſed per interpoſitam Perſonam exerceant; eoquod hac ratione non abſtrahantur a Divinis, aut curis ſæcularibus diſtrahantur, quæ fuit unica ratio, negotiationem illis prohibendi. Hos vero refutat idem ſanctiſſimus Auctor; tum quia juxta reg. 72. Juris in 6. Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum: tum quia falſum eſt, Clericos, per interpoſitam Perſonam negotiationi vacantes, curis ſæcularibus non implicari; experientia quippe docemur, illos continuo anxios & ſolicitos eſſe de lucro, quod ex data alteri pecunia ſunt reportaturi, plenosque timoris, ne a ſocio decipiantur. Quapropter idem Pontifex anno 1741. edita conſtitutione XIII. declaravit, nullam negotiationem, alias Clericis prohibitam, poſſe ab iisdem ſub alieni nominis velamine exerceri, eique etiam per alios operam dantes, obnoxios fecit pœnis, quæ a ſacris Canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ ſunt contra Clericos negotiatores.

Obſtare quidem videtur Can. 18. Concil. Eliberitani, ubi dicitur: „ Epi- 838
„ ſcopi, Presbyteri & Diaconi de locis
„ ſuis negotiandi cauſa non diſcedant, ne
„ circumeuntes Provincias, quæſtuoſas nun-
„ dinas ſectentur. Sane ad victum ſibi con-
„ quirendum, aut filium, aut libertum,

 „ aut

„ aut mercenarium, aut amicum, aut „ quemlibet mittant; & si voluerint *nego-* „ *tiari, intra Provinciam negotientur.* „

Resp. Canon loquitur de honestissima negotiatione tunc temporis usitata, qua Clerici artificio, aut proprio labore victum sibi atque pauperibus comparabant. Nam ex ipsa sæculi illius historia Ecclesiastica & disciplina constat, SS. Canones omnem quæstuosam ac turpem negotiationem, aut nundinationem in Clericis nequaquam tolerasse.

839 Inde tamen inferri minime debet, omnem omnino negotiationem, aut cambium *passivum*, Clericis aut Religiosis interdicta esse. Sic enim labore manuum suarum atque in sudore vultus victum sibi parabant S. Paulus Act. XX. 34. II. Thessalon. III. 8. pluresque antiquiores Episcopi, maxime autem Monachi: quod non tantum ex vitis Patrum, sed ex nostra S. Regula cap. 48. cap. 57. abunde constat. Præterea Concilium Carthaginense IV. Can. 52. statuit: Clericos victum & vestitum sibi artificio vel agricultura absque officii sui detrimento parare. Hinc possunt quoque res, aut artefacta sua, ad propriam sustentationem non necessaria, vendere aut permutare, servata tamen Regula a S. P. N. præscripta, *ut semper vilius quam a sæcularibus detur, ut in omnibus glorificetur Deus.*

Deus. Videatur ſæpe dictus S. Author loc. citato. Ubi hæc præclare exponit, & etiam FLEURY de moribus Chriſtianorum cap. 52.

840 CENSUS, germanice, Zins, tripliciter ſumitur. 1. Pro jure certam exigendi annuam Penſionem. 2. Pro hac ipſa Penſione. 3. Pro contractu, quo emitur aut venditur jus hujus percipiendæ Penſionis. Primo modo ſumtus definitur cenſus, quod ſit jus percipiendi annuam penſionem ex re vel perſona alterius utili vel frugifera. Qui annuam penſionem præſtare debet, dicitur *cenſuarius*, aut venditor, utpote qui vendidit jus exigendi penſionem. Ille vero, cui debetur annua penſio, dicitur emptor & *cenſualiſta*, utpote qui jus illud ſua pecunia emit. Ipſa penſio vocatur annuus *Canon*, vel *reditus*, quia quot annis redit.

841 Cenſus alius eſt *reſervativus*, qui eſt jus, ſeu, facultas percipiendi certam penſionem, quam quis ſibi reſervat ex re utili & fructifera, cujus dominium utile & directum in alium tranſtulit. Hinc differt ab *Empytheuſi*, in qua ſolum dominium utile, non autem directum in empytheutam pro annuo canone transfertur. Porro hunc cenſum eſſe licitum, inde colligitur; quia ſicut unicuique liberum eſt rem ſuam alteri tradere, vel non tradere; ita etiam poteſt eam tradere cum conditione, an-

nuæ

nuæ præſtandæ penſionis. Fecit hoc ipſum JOSEPH in Ægypto Gen. XLVII. quando tempore ſterilitatis Ægyptiorum bona in Pharaonis dominium pro frumento translata, poſtea iisdem reſtituit, reſervata regi annua præſtanda penſione.

842 Alius eſt cenſus *conſignativus*, qui eſt jus percipiendi annuam penſionem ex re vel Perſona alterius conſtituto pretio. Seu eſt Jus dato pretio ab alterá Perſona emptum, ut ab eadem annuam Penſionem recipiat, juxta ſtatuta locorum. Quia vero hoc jus fundatur vel ſuper re, vel ſuper Perſona, vel utroque; hinc cenſus alius eſt *realis*, qui conſtituitur ſuper re fructifera, ut eſt prædium, ager, vinea &c. Eſtque *ordinarie* perpetuus; quia rem ipſam a quocunque poſſeſſam afficit. Alius eſt *Perſonalis*, qui conſtituitur immediate ſuper ipſam Perſonam, quæ in ſe aut etiam hæredes recepit obligationem, ex ſuo labore manuum & induſtria cenſualiſtæ *præſtandi* annuam penſionem. Quando ſuper utraque fundatur, tunc dicitur *mixtus*. PENSIO autem poteſt præſtari vel in pecunia, vel in fructibus. v. g. Frumento, fœtu animalium &c. quoad durationem cenſus alius eſt *temporalis*, nempe ad certum tempus, v. g. 20. annos: vel *Vitalitius*, ad dies vitæ cenſuarii, vel alterius hominis conſtitutus: aut *perpetuus*, qui per ſe nunquam exſpirat. Alius eſt *redimibi-*

mibilis, qui vel ad nutum censuarii vel censualistæ, vel utriusque redimi, seu, ab obligatione præstandæ annuæ pensionis censuarius liberari potest, quando autem redimi non potest, vocatur *irredimibilis*. An, & qui ex istis censibus liciti aut prohibiti sint, disceptatur.

Resolutio III. Census *consignativus realis*, est licitus. *Communis*. 843

Prob. I. Istos census approbarunt, Martinus V. extravagan. 1. *de emptione & venditione*, inter communes. Callistus III. extravag. 2. ibidem. & S. Pius V. constit. *cum onus*. 1568. edita. Ratio est. Sicut enim quis emere potest rei alicujus usumfructum remanente dominio *directo* penes venditorem, ita potest emere jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, eorumque loco venditor se obligare potest ad solvendam emptori singulis annis certam pecuniæ summam, illorum fructuum æstimationi respondentem: atqui nihil aliud fit in contractu census *realis*. Ergo.

Prob. II. In hoc censu nulla est inæqualitas. Ergo est licitus. *Ant. prob.* Tota inæqualitas consisteret in hoc, quod emptor census certam singulis annis recipiendo pensionem, post lapsum temporis plus recipiat, quam dedit. Atqui in hoc non 844

est

eſt inæqualitas ; nam cui emit fundum fructiferum , etiam poſt aliquot annos ſuum recuperat pretium , & ſummam data majorem : nulla tamen in hoc eſt inæqualitas , aut quidpiam inhoneſti , & quidem ex hac ratione ; quia juxta communem hominum ſenſum ſumma per plures partes diviſa , & nonniſi ſucceſſive recipienda , ſicque variis incommodis & periculis obnoxia , tanti non valet , nec æſtimatur , quanti iſtarum partium collectio ſimul poſſeſſa valet , utpote , quæ iisdem incommodis non eſt obnoxia , & ad quodlibet lucri aut negotiationis genus longe eſt aptior.

845 Requiritur tamen ad cenſus *realis* Juſtitiam , 1. ut conſtituatur in re frugifera. 2. Ut vendatur & ematur juſto pretio , 3. ut ſi res cenſui ſubjecta ex toto , vel pro parte , abſque culpa cenſuarii pereat , aut in perpetuum reddatur ſterilis , etiam cenſus ipſe pro parte vel toto , juxta proportionem extinguatur. In Bulla Pii V. requiruntur adhuc aliæ conditiones , quæ tamen non ubique ſervantur.

846 Objic. I. Emptio *cenſus realis* , non eſt vera emptio , ſed *mutuum* ſaltem *virtuale* ; nam in effectu idem eſt , emere pro 100. florenis jus annuæ penſionis 5. florenorum , ac mutuare 100. ſub uſura 5. florenorum , annuatim ſolvenda ; cum utro-

utrobique ſumma capitalis ſalva maneat. Ergo.

Resp. Nego *ant.* Nam cenſus differt a mutuo 1. in cenſu emitur jus annuæ penſionis: in mutuo, quod gratis præſtandum eſt, nullum jus emitur. 2. In mutuo Mutuatarius poſt tempus finitum ſummam in ſpecie reſtituere debet. Contra in cenſu, ſaltem perpetuo, tantum reddit annuam Penſionem, non ſummam. 3. In mutuo principalis eſt obligatio ad reddendam ſortem, acceſſoria ad uſuram: in cenſu autem principalis eſt obligatio ad annuam penſionem, nulla ordinarie ad ſortem reſtituendam. 4. In mutuo *ordinarie* nullus adeſt titulus juſtus recipiendi lucri ſupra ſortem: in cenſu adeſt titulus emptionis, quo quis adquiſivit jus annuæ penſionis. 5. In mutuo dominium pecuniæ mutuatæ penes debitorem eſt; hinc ipſi fructificat ſua induſtria, non creditori: contra in cenſu penes emptorem eſt jus annuæ penſionis emptione adquiſitum.

Objic. II. Pecunia non habet rationem 847
mercis, ſed pretii: ergo emi non poteſt.

Resp. Non emitur pecunia, ſed jus percipiendi pecuniam annuam. Illud autem jus a pecunia diſtinguitur, ſicut jus

trans-

transeundi per agrum, vel decimandi, distinguitur a transitu, & decimis.

848 Objic. III. Non potest vendi, quod nondum existit. Atqui jus ad pensionem, dum venditur, nondum existit, sed ipsa emptione - venditione primum constituitur. *Ergo* &c.

Resp. *Disting.* Quod nondum existit, nec *formaliter*, nec *virtualiter*. *Conc.* Quod non quidem formaliter, sed tamen jam existit virtualiter. *Neg.* Secus nunquam posset vendi servitus, v. g. transeundi per fundum alienum, quæ ipsa venditione constituitur. Ut enim res aliqua vel jus vendi possit, sat est, ut venditor jus ad eam habeat, illudque in emptorem transferat.

849 Resolutio IV. Census etiam *personalis*, est licitus, iis in locis, ubi citata constitutio Pii V. qua prohibetur, non est recepta, sicuti recepta non est in Gallia, Belgio, & Germania, ut affirmant authores a Benedicto XIV. lib. X. de Synodo. cap. V. n. 5. Nov. Edit.

Prob. I. Licitus est census *realis*, quia res potest fructificare. Ergo etiam licitus est census *personalis*; quia etiam Persona suo labore & industria potest fructificare. Atqui in censu personali emitur jus percipiendi Pensionem e fructibus Personæ cen-

censuariæ, industria & labore partis. Ergo est licitus.

Prob. II. Potest quis gratis alteri con- 850
cedere jus annuæ pensionis super suam personam: ergo etiam potest vendere, quia est pretio æstimabile.

Prob. III. Hæc consuetudo census per- 851
sonalis viget passim in Gallia & Belgio etiam apud pios & eruditos, ut testantur Auctores. *Ergo* &c.

Prob. IV. Testatur Toletus, Nicolaum 852
V. anno 1450. hunc contractum census personalis approbasse ad petitionem Alphonsi Arragoniæ Regis. *Ergo* &c.

Est tamen observandum ex citato loco 853
Benedicti XIV. quod quamvis hac de opinione nulla prolata hactenus fuerit ab Apostolica sede sententia, Episcopus tamen in Diœcesibus, in quibus recepta non est Pii V. constitutio, serio fideles monere possit & hortari, ut a censibus personalibus abstineant; eoquod etiam sola spectata eorundem indole, usuræ periculo & suspicione non vacent.

Objic. In omni emptione requiruntur 854
duo, merx, & pretium. Atqui in censu personali habetur quidem pretium, scilicet pecunia, sed non merx; hæc enim

vel esset venditoris Persona, vel Pecunia. Atqui nec Persona hominis liberi, nec Pecunia emi potest. *Ergo* &c.

Resp. Merx est jus percipiendi annuam pensionem ex labore & industria illius Personæ, quod ita distinguitur ab ipsa pensione, scilicet pecunia, sicut Jus transitus distinguitur ab ipso transitu.

855 Resolutio V. Census *perpetuus*, seu *irredimibilis*, jure naturæ licitus est.

Prob. I. Licitus est contractus emptionis-venditionis, ubi in perpetuum alienatur dominium, a venditore nunquam recuperandum. Ergo etiam licitus est census irredimibilis, ubi ita emitur jus percipiendi annuam pensionem, ut venditor census illud jus nunquam retrahere queat.

856 Prob. II. In hoc censu habentur omnia, ad honestum atque validum contractum necessaria; nempe Personæ ad contrahendum habiles, res vendibilis, justum pretium, ut supponitur: neque adest ulla inæqualitas, ut patet ex num. 844.

857 Prob. III. Potest in perpetuum vendi jus decimarum, saltem laicalium: ergo & alia pensio perpetua.

Objic.

Objic. In censu *irredimibili* plus grava- 858
tur censuarius, quam in contractu mutui Mutuatarius: ergo est injustus. *Ant. prob.* Mutuatarius per solutionem capitalis liberare se potest: at censuarius in censu perpetuo nunquam se liberare potest ab obligatione præstandi annuam pensionem.

Resp. Nego *ant.* In mutuo enim majus gravamen in eo consistit, quod præter sortem integram etiam usuras ex re sua absque omni titulo præstare debeat: contra in censu perpetuo nec restituenda est summa, seu sors, & pretium; pensio autem annua præstatur ob jus Censualistæ ex emptione competens. Si enim iniquitas consisteret in *irredimibilitate*, tunc omnis venditio, cui non foret annexum *pactum de retrovendendo*, esset injusta; nunquam enim venditori redibit jus percipiendi fructus rei venditæ. Atqui hoc falsum est juxta omnes. *Ergo.*

Resolutio VI. Census ex parte vendi- 859
toris redimibilis est licitus, non autem ille, qui est redimibilis ad nutum emptoris.

Prob. I. Pars. Ejusmodi census nihil est aliud, quam contractus venditionis, cum pacto retrovendendi, seu, ita venditur jus Pensionis annuæ percipiendæ, ut quandocunque venditori placuerit, pretium restituere, se

que ab obligatione præstandi pensionem liberare possit. Atqui venditio cum pacto retrovendendi licita est. Ergo & census ex parte venditoris redimibilis.

860 Prob. II. Pars. Iste census videtur mutuum *implicitum* & usura palliata. Nam in hoc censu emptor dat pecuniam sub conditione, seu pacto, ut quandocunque libuerit, aut certo tempore, recipiat totam summam cum superaddito lucro, quod nihil aliud est, quam mutuare pecuniam sub pallio conditionis, ut loco usuræ percipiat annuam pensionem.

Quod reliquas contractuum species attinet, de iis fuse agunt Jurisconsulti, & Morales Theologi.

CAPUT IX.

De virtute Religionis.

861 Cum inter partes Justitiæ potentiales numeretur Religio, eoquod hominem referat ad alterum, nimirum debitum cultum Deo exhibendum, hinc ut promissis fiat satis, quædam de hac virtute pro complemento tractatus subjungere, e re visum fuit. Sunt equidem plures Religionis actus, ut *Devotio,* seu prompta Deo serviendi voluntas, cum fervore animi conjuncta:

Ora-

Oratio, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Juramentum*, *Votum*, *Sanctificatio Sabbati*, ſeu, obſervatio feſtorum &c. de quibus tamen omnibus inpræſentiarum agere non licet, ne in nimiam molem tomulus iſte excreſcat. Quare ſequentia ſolum pertractabo. 1. De Religione ſecundum ſe ſpectata: 2. de oratione. 3. De horis Canonicis.

§. I.

De virtute Religionis in ſe ſpectata.

RELIGIO ſumi poteſt pro ipſa ſocietate 862
hominum, Deum certo cultu colentium. Hinc illa vel vera eſt, uti Catholica, vel falſa & ſuperſtitioſa, ut ſunt omnes aliæ Sectæ. Hic autem ſumitur pro virtute, quæ circa Dei cultum verſatur, & definitur, quod ſit *virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum honorem & cultum Deo debitum, tanquam ſupremo rerum omnium Domino.* Cultus tria complectitur; 1. *cultum* in ſpecie, qui eſt honor cum ſubmiſſione, ſeu, teſtimonium excellentiæ alienæ, & propriæ ſubmiſſionis: 2. *honorem*, qui eſt ſignificatio æſtimationis de alterius excellentia conceptæ. Atque ita honor latius patet, quam cultus; ille enim ſeparari poteſt a ſubjectione, quam hic involvit. Hinc dici poteſt, quod Deus ſuos ſanctos honoret, ſeu æſtimet, non autem

proprie quod eos *colat*. 3. *Gloriam*, quæ eſt clara cum laude notitia, ſeu juxta AUGUSTINUM, frequens de aliquo fama cum laude. Hinc Eccleſia adeo frequenter uſurpat hymnos glorificationis, ſeu ut Græci appellant, Doxologia, quemadmodum ille: *Gloria Patri* &c. *Gloria in Excelſis* &c. Proprie loquendo glorificatio ſoli Deo debetur, juxta illud PAULI 1. Tim. I. 17. *Soli Deo honor & gloria.* Et in Pſalmo 113. 9. *Non nobis Domine non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam.* Quamquam vero Religio tribuat Deo cultum *debitum*, non eſt tamen hoc debitum ſtricte ſumendum pro rigoroſo *debito*, quod ſpectat ad *Juſtitiam*, ſed pro *cultu*, qui Deo convenit: ut patet in Voto, quod quidem ſoli Deo fieri poteſt, libere tamen absque præcepto emittitur. Sunt tamen alii actus Deo ſtricte debiti: ut *adoratio*, ſeu, cultus, qui vocatur *latriæ*. Hic inquiritur de objecto Religionis, & an ſit virtus *moralis*, vel *theologica*, & an præſtantior ceteris?

863 RESOLUTIO I. Objectum *materiale* Religionis ſunt actus honeſti, quibus Deo debitus honor exhiberi poteſt. Objectum *cui*, eſt Deus. Objectum *formale*, eſt ipſa honeſtas, quæ relucet in cultu Deo exhibito, prout excellentiæ divinæ & noſtræ ſubmiſſionis ſignum eſt.

PROB.

Prob. I. Pars. Actus, circa quos virtus verſatur, conſtituunt ejus objectum *materiale*, ut notum eſt. Atqui Religio verſatur circa actus honeſtos, quibus Deo cultus debitus & conveniens exhibetur: uti ſunt actus illi Num. 861. enumerati. Hinc etiam patet *Pars altera.* Nam actus illi Deo exhibentur. Equidem etiam ſanctis aliquis defertur honor, qui cultus *duliæ*, aut reſpectu B. V. Mariæ propter ſingulares excellentias *hyperduliæ* appellatur. Iſte cultus, ſi pro termino habeat intrinſecam aliquam ſancti perfectionem, v. g. eminentem charitatem, qua Deum dilexerat, proprie eſt cultus *duliæ*, a Religione diſtinctus utpote a reſpectu ad excellentiam divinam abſtractus. Quodſi vero ſanctis defertur honor & cultus propter ipſius Dei extrinſecam excellentiam, quæ in ſanctis relucet, adeoque ut Deus ſit ultimus terminus cultus ſanctorum, tunc actus proprie Religionis erit: atque ita Deus & Sancti eadem virtute Religionis coli poſſunt.

Prob. III. Pars. Objectum enim *formale* 864
virtutis eſt illa ſpecialis ratio, *ſub qua* objectum materiale attingitur. Atqui hæc eſt illa honeſtas in exhibendo cultu Deo debito; ad actus enim Religionis exercendos movetur homo per hoc, quia dignum, juſtum, honeſtum & conveniens eſt, divinæ excellentiæ exhibere honorem, no-

ſtramque teſtificari ſubjectionem & dependentiam.

865 Resolutio II. Religio non eſt virtus *Theologica*, ſed *Moralis*, ceteris tamen præſtantior. *Communis*.

Prob. I. Pars. Virtutes Theologicæ non niſi tres ſunt, ex effato S. Pauli I. Corinth. XIII. *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc.* Atqui Religio ad neutram harum pertinet; non enim innititur Veracitati divinæ, ut fides: nec ejus Potentiæ & Fidelitati, ſicut ſpes: nec ejus Bonitati abſolutæ & reſpectivæ quemadmodum charitas, ut ex dictis conſtat. *Ergo* &c.

866 Prob. II. Pars. Virtus Theologica pro objecto *formali immediate* habere debet Deum ipſum, ſeu, aliquam ejus perfectionem. Atqui Religio pro objecto formali immediate non habet ipſum Deum, ſed cultum Deo debitum, & honeſtatem in hoc cultu relucentem. *Ergo*.

867 Prob. III. Pars. Eo virtus aliqua eſt præſtantior, quo propius Deum attingit: atqui Religio præ ceteris virtutibus moralibus Deum propius attingit, quia excellentia eſt ſaltem *finis cui*, & objectum indirectum. *Ergo* &c.

Objic.

Objic. I. Religio habet idem officium cum virtutibus Theologicis. Ergo eſt virtus theologica. *Ant. prob.* Officium virtutum theologicarum, præcipue charitatis, eſt, colendi Deum; ut enim Augustinus ait in Enchirid. cap. 2. *Fide, ſpe & charitate colitur a nobis Deus.* 868

Resp. Nego *ant.* Officium enim v. g. fidei, non eſt colere Deum, ſed credere propter divinam veracitatem. Et ita de reliquis. Ad textum S. Augustini dico eum vocabulum cultus ſumere ſenſu quodam latiore, pro omni actu virtutis ad Deum relato, & qui nos Deo conjungit: non autem in ſenſu proprio. Dici etiam poteſt, quod v. g. per fidem Deus colatur *cauſaliter*, quatenus nos inſtruit de excellentia Dei, cui exinde Religio debitum cultum decernit & exhibet. Aut etiam, quod actus virtutum Theologicarum *imperentur* a Religione, non autem ab ea *eliciantur*.

Objic. II. Religio habet pro objecto immediate ipſam Dei excellentiam, propter quam ei cultus defertur. Ergo eſt Theologica. 869

Resp. *Diſting.* Habet pro objecto *cui* ipſam excellentiam Dei. *Conc.* Pro objecto *quod*, uti virtutes theologicæ. *Neg.* Religio enim non immediate inclinat in Deum

ipſum, ſed in aliquid Deo exhibendum, nempe in ipſos actus, ſeu, teſtificationem noſtræ æſtimationis de Dei excellentia conceptæ.

870 Objic. III. Actus Religionis, oratio, laus, adoratio, immediate Deum ipſum attingunt. Ergo & ipſa Religio, conſequenter eſt Theologica.

Resp. *Diſting.* Attingunt Deum immediate, tanquam actus *imperati. Conc. Eliciti.* Nego. Hi enim ſunt ſequentes. 1. Simplex complacentia circa cultum divinum. 2. Efficax ejus intentio. 3. Spes ejus futuri. 4. Gaudium de eo præſente. Atqui nullus ex his immediate attingit Deum ipſum.

§. II.

De Oratione.

871 Oratio nihil eſt aliud, quam petitio rerum decentium a Deo; ſolus quippe Deus proprie orandus eſt, a quo, ceu Patre luminum, deſcendit omne bonum. Sancti *proprie* non orantur, ſed invocantur, ut quod noſtra poſſibilitas non obtinet, eorum nobis interceſſione donetur. Peti autem debent res decentes, ſeu, quæ decent tam Deum ipſum, quam nos. Dividitur in *mentalem* & *vocalem*. De utraque

que ait Paulus : *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Oratio *mentalis* eſt elevatio mentis in Deum, & hæc debet eſſe anima orationis vocalis. Dividitur in *Meditationem*, & *contemplationem.* Prior eſt, pia alicujus veritatis inveſtigatio, ſeu, conſideratio, ad concipiendum devotionis fervorem, qui conſiſtit in fuga mali, & proſecutione boni. *Contemplatio* dicitur mentis in Deum ſuſpenſæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia prægustans. Oratio *vocalis* eſt, quando locutioni, ſeu, elevationi mentis vox corporalis ſupperadditur. Eſt vel *publica*, quando fit a publico Miniſtro nomine Eccleſiæ pro ſalute populi : ita oratio Sacerdotis in Miſſa eſt publica, & recitatio horarum Canonicarum. Alia eſt *privata*, quæ fit a perſona particulari, ut tali. Hic dicam 1. de orationis neceſſitate. 2. De ſubjecto orationis activo. 3. De objecto, ad quod oratio dirigitur. 4. De materia orationis. 5. De ſubjecto paſſivo, ſeu, pro quibus orandum ſit.

Circa orationis neceſſitatem in extremos 872
errores prolapſi fuerunt hæretici diverſi. Messaliani, dicti *Euchitæ*, ſeu *Precatores*, totam ſalutis vim & efficaciam Precibus & orationibus tribuebant, abuſi illo Chriſti effato : *oportet ſemper orare & non deficere* : hinc non fide in Chriſtum, non Sacramentis, non bonis operibus ex gratia factis,

factis, sed solis precibus diu noctuque continuatis salutem se consecuturos sperabant. Econtra PELAGIANI, gratiæ Christi necessitatem e medio tollentes, saltem ex consequenti etiam orationis necessitatem impugnare videbantur. BEGUARDI & BEGUINÆ, quorum errores recensentur in Clementina *ad nostram* III. *de hæret.* fueruntque proscripti a Concilio VIENNENSI, inter alia asserebant, quod homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum possit adquirere, ut reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeat. Et quia jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui & rationi subjecta, ut homo possit libere corpori concedere, quidquid placet. Hunc errorem cum pluribus aliis, qui extant inter propositiones ejus damnatas, innovavit Michael de MOLINOS, non confundendus cum Ludovico MOLINA S. J. Ceterum dantur etiam hodie in Belgio BEGUINÆ, honestæ fœminæ, quæ alicujus probati instituti habitum portant & vitam piam ducunt, sive in privatis sive communibus ædibus degentes, quæ etiam *Tertiariæ* & *Bizochæ* appellantur, quæ nihil habent commune, cum illis veterum Beguardorum erroribus. WICLEFISTÆ id omne de bonis operibus interpretabantur, quæcunque in scripturis legun-

leguntur de orationis neceſſitate, ut adeo juxta illos *orare* nil aliud ſit, quam bene operari. Contra hos ſtatuitur

Resolutio I. Oratio in genere omni 873
adulto tam perfecto, quam imperfecto neceſſitate præcepti Domini, & medii ordinarii neceſſaria eſt.

Prob. I. pars. Verba Chriſti præceptum inſinuant ad omnes homines directum: ergo oratio omnibus tam imperfectis, quam perfectis ex præcepto Chriſti neceſſaria eſt. *Ant. prob.* Luc. XVIII. 1. *Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* II. Oratio Dominica præcepta eſt omnibus; dixit enim Christus Math. VI. 9. *Sic ergo vos orabitis. Pater noſter* &c. Luc. XI. 9. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* Paulus I. Theſſal. V. 17. *Sine intermiſſione orate.* quod quidem non ita intelligendum eſt, quaſi hoc præceptum omni momento urgeat, ſed quod frequenter & per certa intervalla horarum ac temporum, maxime vero tempore urgentis tentationis, obliget, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur, ut ait Augustinus Epiſt. 130.

Prob. II. pars. Illud eſt neceſſarium ne- 874
ceſſitate medii *ordinarii* (non abſolute) ſine

ſine quo *ordinarie* finis obtineri nequit. Atqui ſine oratione ordinarie finis obtineri nequit. Ergo oratio eſt neceſſaria neceſſitate medii ordinarii. *Min. prob.* Finis hominis eſt per victoriam tentationum & per bona opera conſequi ſuam æternam ſalutem: atqui hæc omnia *ordinarie* obtinere nequit ſine oratione. Quamvis enim Deus quandoque extraordinarie, ſed raro, conſerat homini gratias, ſine quibus nec victoria nec ſalus obtineri poteſt, non præmiſſa oratione; id tamen non præſtat *ordinarie*, ſeu, ut ait Augustinus, *vult orari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.* Sic juxta eundem S. P. Perſeverantiæ donum tantopere neceſſarium non niſi orantibus conceditur. „ Conſtat, inquit „ lib. de *dono Perſever.* cap. XVI. alia „ Deum dare etiam non orantibus, ſicut „ initium fidei; alia non niſi orantibus „ præparaſſe, ſicut usque in finem per„ ſeverantiam. „

875 Prob. II. Neceſſarium eſt a tentationibus præſervari, aut ingruente tentatione promptum habere auxilium divinæ gratiæ ad eam ſuperandam. Atqui ad gratiam obtinendam neceſſaria eſt oratio ex Christi effato, tum in oratione Dominica, tum alibi Math. XXVI. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Hinc etiam Jacob. cap. IV. *Non habetis propter quod*, ſeu, quia, *non poſtulatis. Petitis &*

non

non accipitis, *eoquod male petatis*. Cum vero etiam perfecti a tentationum graviorum insultibus immunes haud sint, hinc iis non minus necessaria est oratio; ut enim ait COELESTINUS I. Epist. ad Episcopos Galliæ. „ In omnibus actis causisque, „ cogitationibus, motibus, adjutor, & „ protector orandus est; superbum est „ enim, ut quidquam sibi humana natura „ præsumat. „

Quamquam vero definiri non possit *certum* tempus, quo orationis præceptum obligat, id tamen ex nunc dictis colligitur, eam debere esse frequentem. ex n. 873. Triplex enim est causa orandi. 1. Ut mundemur a peccatis, & a lapsu præservemur. 2. Ut justificati ulterius proficiamus in charitate; quia non progredi est retrogredi. 3. Ut in accepta Justitia ad finem usque perseveremus. Atqui hæ causæ frequentissime occurrunt inter continua habendi pericula, tentationum frequentiam, carnis nostræ imbecillitatem, hostium multitudinem, astutiam &c. Determinate autem hoc orationis præceptum urget 1. diebus festivis, quibus Deus religiose colendus est, quod sine oratione fieri vix potest. 2. Quando assistimus Missæ sacrificio, suscipimus, vel administramus Sacramenta, quod digne sine oratione fieri nequit. 3. Quando quis debet adniti ad contritionem perfectam, seu justifi-

ſtificationem, intra vel extra ſacramentum; temerarium enim foret, id ſine prævia oratione a Deo ſperare, qui non niſi petentibus ſua dona promiſit. 4. Dum quis verſatur in periculo mortis. 5. In gravi tentatione, maxime illa, quæ non ſuperatur niſi *oratione & jejunio.* 6. Quando proximus in tali eſt neceſſitate conſtitutus, in qua poſſit & debeat precibus noſtris juvari; eſt enim præceptum orandi pro invicem ut ſalvemur. Facile occurrere poſſunt aliæ circumſtantiæ, in quibus oratio neceſſaria, atque adeo præcepta erit.

877 Resolutio II. Aliqua *Meditatio* omnibus hominibus neceſſaria eſt, maxime autem Clericis & Religioſis.

Prob. I. Meditatio ſumpta ſecundum ſe, eſt inveſtigatio eorum, quæ ad ſalutem conducunt: atqui hæc eſt omnibus hominibus neceſſaria: *ergo. Min. prob.* Neceſſe eſt, ut omnes homines ſerio ſtudeant adquirere æternam ſalutem, ad quam a Deo creati & ordinati ſunt. Ergo debent adhibere media ad hunc finem opportuna: ergo debent inveſtigare illa media, quæ ad hunc finem conducunt, quod eſt ipſum meditari. Hoc ipſum patet ex ſacra ſcriptura & Chriſtianorum bonorum praxi: Eccli. III. 22. dicitur: *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Jerem. XII. *Deſola-*

ſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.

Prob. II. Neceſſaria eſt oratio, ex di- 878
ctis. Atqui orationem præcedere debet inveſtigatio eorum, quæ a Deo petenda ſunt pro conſequenda ſalute: & hæc inveſtigatio eſt ipſa meditatio. *Ergo.* Cum vero Clerici & Religioſi pluribus titulis ad perfectionem Chriſtianam tendendi contraxerint obligationem, hinc etiam arctiore obligatione ſtringuntur, ut in lege Domini meditentur die ac nocte, media inveſtigent, pericula & laqueos ab Adverſario diabolo in via perfectionis poſitos prævidere ſtudeant, & avertere. Quod autem attinet circumſtantias particulares Meditationis v. g. locum, ſitum corporis, temporis diuturnitatem, horam, methodum &c. per ſe loquendo nulla eſt determinata pro ſingulis neceſſitas, ut facile patet: modo meditationis ſtudium quoad ſubſtantiam obſervetur.

Agendum nunc de ſubjecto orationis 879
activo. Certum eſt, quod Deus non poſſit orare, utpote qui nullius rei indiget, nec ſit, qui ei aliquid conferre poſſit. Equidem dicitur, ſpiritum Sanctum pro nobis *poſtulare gemitibus inennarrabilibus*: ſed hoc intelligendum eſt *cauſaliter*, quia nos poſtulare aut gemere facit. Hinc ait Paulus Rom. VIII. *In quo clamamus Abba,*

 Pa-

Pater : & nemo poteſt dicere Jeſus Chriſtus, niſi in ſpiritu Sancto. De Angelis, & hominibus beatis, Deum clare videntibus, pro nobis orantibus dictum fuit tract. *de Incarnatione.* Damnati nec pro ſe, nec pro aliis utiliter petere poſſunt; cum ſint deſtituti omni gratia actuali & ſupernaturali, ſine qua oratio utilis & impetratoria non eſt; non tamen obſtat, quin aliquid petere poſſint. Quod conſtat de petitione dæmonum, qua rogabant Chriſtum, ne ipſos detruderet in infernum, ſed permitteret in porcos irruere. Sic dæmon petivit a Deo, ut poſſet tentare Jobum. Dives Luc. XVI. petiit ab Abrahamo (ſi tamen hiſtoria & non potius parabola ſit) ut vel unica guttula reſtingueret ejus ſitim, & mitteret aliquem ad ſuos fratres, ne & ipſi veniant ad hunc locum tormentorum. Sed quid dicendum de animabus in purgatorio detentis, an & ipſæ pro ſe, aut amicis viventibus orare queant? de juſtis enim viventibus, & in ſtatu merendi conſtitutis, non eſt dubium.

880 Resolutio III. Animæ in purgatorio tam pro nobis, quam pro ſe ipſis utiliter orare poſſunt; quamquam hæc oratio non ſit meritoria, ſed ſolum impetratoria.

Prob. I. Pars. Nihil videtur obſtare, quo minus orare queant iſtæ animæ, quam ſola

ſola ſtatus viæ carentia. Atqui hæc non obſtat: ergo poſſunt orare. *Maj.* patet; ſunt enim animæ juſtæ, Dei amicæ, multis bonis indigent. Sicut ergo juſtus in terra orare & impetrare poteſt pro ſe & aliis; ita animæ purgantes. *Min. prob.* Si ad utilitatem orationis requireretur ſtatus viæ, tunc neque Sancti in cœlo, nec CHRISTUS comprehenſor, orare & impetrare poſſent. Atqui hoc falſum eſt juxta Catholicos, ut docetur in tract. *de Incarnat. Ergo.*

PROB. II. pars. Ad meritum, non autem 881
ad impetrationem, requiritur ſtatus viæ, ut ſuppono ex tract. *de merito.* An autem Animæ iſtæ in particulari pro aliis actu orent, videtur pendere a libera Dei voluntate, utrum iſtis animabus velit conſervare memoriam & reminiſcentiam ſuorum in hac terra degentium amicorum, aut iis ſpeciali revelatione manifeſtare ſuorum neceſſitates. Forte enim dolores, quas ſentiunt, naturaliter impediunt, quo minus ad aliud, quam ad ipſos dolores, & deſiderium videndi Deum, reflectere poſſint.

Succedit alia quæſtio, an etiam pecca- 882
tores utiliter orare poſſint & debeant? docuit enim QUESNELLUS prop. 59. Orationem impiorum novum eſſe peccatum, & quod Deus illis concedit, eſſe novum in eos judicium.

883 Resolutio IV. Impii & peccatoris oratio rite facta, non eſt peccatum, ſed utilis & impetratoria. Contra *Quesnellum*.

Prob. I. pars. Deus actum peccaminoſum præcipere aut conſulere non poteſt. Atqui præcipit & conſulit peccatoribus orationem: ergo oratio peccatoris non eſt peccatum. *Maj.* conſtat ex principio ſanctitatis Dei, cui repugnat præcipere aut conſulere malum. *Min. prob.* Oratio Dominica præcepta eſt *omnibus* hominibus, etiam peccatoribus, abs diſcrimine, gravium an levium criminum rei ſint. Imo proprie loquendo non niſi peccatores pro ſe dicere poſſunt: *dimitte nobis debita noſtra*, ſeu gravia fuerint, ſeu levia, id eſt, omnia. 2. Deus in S. ſcriptura ſæpiſſime hortatur peccatores ad pœnitentiam, & converſionem ad Deum, quæ etiam jure naturæ & neceſſitate medii neceſſaria eſt. Atqui pœnitere & ad Deum converti, involvit petitionem veniæ, quæ eſt propriiſſima oratio. Ergo & præcepta, & neceſſaria eſt peccatoris oratio.

884 Prob. II. pars. 1. Utilis fuit oratio Davidis, Regis Manaſſis, & Publicani, quando petebat: *propitius eſto mihi peccatori*, ut infinita alia exempla, in S. ſcriptura occurrentia, prætermittam. 2. Si nullum peccatoris opus eſſet utile, ſed potius novum peccatum, tunc tali homini nullum

ſuper-

superesset remedium resipiscendi & ad Deum per pœnitentiam se convertendi; quia utique per novum peccatum fieri non potest conversio & justificatio. Atqui sequela est absurdissima & divinæ misericordiæ atque justitiæ contraria. Ergo. 3. Peccator & impius non est incapax gratiæ actualis supernaturalis, & multo magis actum moraliter naturaliter bonum exercere valet. Atqui actus naturaliter bonus, aut omnino ex gratia actuali factus, quamquam non sit meritorius defectu gratiæ sanctificantis, non tamen est peccatum, ut dictum est Tom. VI. de gratia actuali, sed potius utilis & impetratorius. *Ergo.* 4. Est aliquod genus dæmoniorum, seu species peccati, quod ex CHRISTI effato Marc. IX. 28. *non ejicitur nisi in oratione & jejunio*: sicut ergo eleemosyna & jejunia peccatoris compuncto corde instituta, Deo grata sunt & impetratoria, ut patet in Ninivitis, Nabuchodonosore, Manasse, & tot aliis, ita etiam ejus oratio rite facta.

OBJIC. I. Scriptum est Prov. XXVIII. 9. 885
Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Ergo.

2. Ibid. cap. XV. 8. *Victimæ impiorum abominabiles.* Ergo.

3. Psal. LXV. 18. *Iniquitatem si aspexero in corde meo, non exaudiet Dominus.*

4. Psalm. CVIII. dicitur. *Oratio ejus* (peccatoris) *fiat in peccatum.*

5. Joan. IX. 31. *Scimus, quia Deus peccatores non audit.* Ergo.

6. S. Augustinus in Psalm. CVIII. „ Oratio, quæ non fit per Christum, non „ solum non potest delere peccatum, sed „ etiam ipsa fit peccatum. „ Atqui oratio peccatoris non fit per Christum. *Ergo.*

7. S. Hilarius in Psalm. LIV. „ Ubi operatio iniquitatis extabit, illic despicitur „ oratio deprecantis. „

8. Ambrosius lib. II. De Cain & Abel. cap. 9. Avertit se Deus a precibus impiorum.

Resp. Ad omnes textus, eos intelligendos esse de oratione non rite, nec cum debitis conditionibus, sed cum affectu peccati facta. Sæpe ergo contingit, orationem peccatoris esse pecaminosam, quando vel non orat quem debet orare, vel non orat pro re bona, vel non orat per unicum Mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua, quæ superbe se habere præsumit: vel denique non

orat

orat cum ſpe aut fide, aut aliis neceſſariiſque bonæ orationis dotibus, verba ſunt Bellarmini in Pſalm. CVIII. Textus ex Joanne deſumptus, eſt cæci, nondum ſatis inſtructi: vel non audit Deus peccatores in ordine ad patranda miracula, pro falſa Religione comprobanda. Ad ceteros ſufficit generalis reſponſio; nam & ſcriptura & Patres commendant orationem peccatoris rite factam.

Dixi ſupra, *proprie* ſolum Deum oran- 886
dum eſſe; quia *gratiam & gloriam dabit Dominus*: Sanctos invocandos ut interceſſores, de quo etiam agitur tract. de Incarnatione & cultu Sanctorum. Certum etiam eſt, homines viventes orari poſſe, ut conſtat ex Paulo I. Teſſ. V. *Fratres, orate pro nobis*. II. Teſſal. III. *De cetero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & glorificetur*, imo in hoc conſiſtit ex parte *Sanctorum communio*. Et hanc orationem & invocationem viventium neque Lutherani negant, etſi Sanctorum invocationem & interceſſionem abominentur. Quæſtio alia eſt, an etiam orari, ſeu, invocari poſſint Animæ in purgatorio gementes?

Resolutio V. Orari, ſeu, invocari 887
etiam poſſunt animæ in Purgatorio commorantes.

PROB. I. Si orari non possent, tunc maxime ideo, quia nostrarum orationum non haberent notitiam. Atqui hæc ratio nulla est; potest enim congruenter dici, quod eorum vel nostri Angeli Custodes hanc ad eas notitiam deferant, aut saltem, quod orent in communi pro suis amicis, illis præsertim, qui sua suffragia & pia opera iisdem applicant: quemadmodum JEREMIAS Propheta nondum intuitive Deum videns, pro civitate Jerusalem & populo suo orabat, ut dicitur II. Machab. XVII. *Hic est qui multum orat pro populo & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei.*

888 PROB. II. Refert S. GREGORIUS Magnus lib. IV. Dialog. cap. 40. Animas PASCHASII & SEVERINI adhuc in Purgatorio commorantes, miracula in terris edidisse. Ergo probabile, illas ad eorum invocationem tale iis auxilium impetrasse.

889 PROB. III. Animæ istæ pro nobis utiliter, quamvis non meritorie orare possunt ex n. 880. Ergo etiam invocari seu orari possunt.

890 OBJIC. I. Animæ, quæ Deum intuitive non vident, non cognoscunt nostras invocationes. Ergo inutiliter invocantur.

RESP. *Trans. ant.* Nego *cons.* Etiamsi enim preces nostras non cognoscerent, adhuc

huc tamen pro nobis ſaltem in communi orare poſſent. Ceterum non ſola Dei viſio eſt medium, quo animæ in cognitionem noſtrarum precum venire poſſunt, ſed etiam alia ſuperſunt, v. g. ſpecialis Dei revelatio, aut facta per Angelos Cuſtodes manifeſtatio.

Objic. II. Iſtæ animæ non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis, ut ait D. Thomas 2. 2. Q. LXXXIII. a. 11. ad 3. *Ergo.* 891

Resp. Etiam juſti viventes ſunt in eo ſtatu, ut oretur pro eis: quo tamen non obſtante adhuc utiliter invocantur, ut orent pro nobis. S. Thomas hoc tantum vult, quod *communiter* ſoleamus potius orare pro eis, quam eas invocare: non autem quod eas orare non poſſimus.

Objic. III. In Miſſa Defunctorum nulla poteſt addi collecta pro vivis, ut ſignificetur, vivos a mortuis juvari non poſſe, ut ait Durandus in Rationali. *Ergo.* 892

Resp. Nulla eſt illa ratio Durandi. Ideo enim omittitur in Miſſis Defunctorum oratio pro vivis, ut efficacius oremus pro Animabus patientibus, & mortis meditationem nobis vivacius imprimamus.

893 Objic. IV. Animæ illæ non possunt mereri. Ergo nec impetrare.

Resp. Retorqueo. Nec Sancti in cœlo regnantes mereri possunt, & tamen utiliter invocantur. Est ergo illorum & horum oratio simpliciter impetratoria, non meritoria.

894 De Materia, seu objecto, orationis. Peti a Deo nec potest, nec debet, nisi quod bonum est; quia aliud nec dare potest nec vult, nisi bonum. Sunt autem bona duplicis generis: alia quibus bene, & male uti, seu abuti possumus: ut bona quævis terrena, Divitiæ, honores, scientiæ. Alia quibus abuti non possumus, ut sunt virtutes infusæ, æterna beatitudo, donum perseverantiæ &c. Molinos & Fénelonius docuerunt, nihil esse a Deo determinate petendum, sed in hac indifferentia sancta, qua nos plenarie committimus divinæ voluntati, sitam esse nostram perfectionem.

895 Resolutio VI. Bona, quibus quoquomodo abuti possumus, non *absolute*, sed *conditionate*: illa autem, quibus abuti non possumus, *determinate* a Deo petenda sunt.

Prob. I. Pars. Nihil a Deo *absolute* & *determinate* petendum est, nisi quod nobis conducit ad ultimum finem; quia ad hunc omnia

omnia referenda ſunt. Ergo quia contingere poteſt, ut bona, quibus abuti poſſumus, ad ultimum finem nobis non conducant, ſed potius noceant, nosque eo avertant: hinc non abſolute petenda ſunt, ſed conditionate*, ſi nempe Deus prævideat, nos iis bene uſuros. A contrario, mala, quæ non ſunt intrinſece talia, & quibus bene uti poſſumus, ut ſunt Dolores, Paupertas, contemptus, a Deo quoque conditionate peti poſſunt, ut a nobis avertantur, ſi nocitura Deus prævideat.

PROB. II. Pars. Sancti homines veteris 896
& Novi teſtamenti ejusmodi bona a Deo in oratione determinate poſtularunt. Sic David, Pſalm. XVI. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* CHRISTUS ipſe quædam determinate poſtulanda eſſe voluit in oratione Dominica: ut *adveniat regnum tuum*: remiſſionem peccatorum, præſervationem a tentatione, cui prævidet Deus, nos ſuccubituros: liberationem a malo, culpæ & Pœnæ æternæ.

PROB. II. Abſolute peti poteſt & debet 897
divinum Beneplacitum; hoc enim fine creati ſumus, ut Deo placere ſtudeamus. Atqui bona, quibus abuti non poſſumus, ſunt divini Beneplaciti; certe enim actus virtutum Deo placent, quibus debitum ei cultum & ſervitium exhibemus. Ergo

go illa bona absolute peti possunt & debent.

898 Objic. contra II. Partem. Id a Deo *absolute* peti non potest, quod non omnibus absolute promisit: atqui bona, quibus abuti possumus, omnia non omnibus *absolute* promisit. *Ergo* &c. *Min. prob.* Æternam beatitudinem, & donum perseverantiæ, non omnibus, sed solis Prædestinatis dare promisit: ergo cum nemo sciat, se prædestinatum esse, non potest illa bona petere absolute, sed sub conditione, si e numero sit prædestinatorum.

Resp. *Dist. maj.* Quod nec voluntate *antecedente*, nec *consequente* promissum est. *Conc.* Quod quidem non voluntate *consequente*, sed tamen *antecedente* promissum est. *Nego.* Quamvis ergo voluntate *consequente* solis Prædestinatis promissum sit donum perseverantiæ & beatitudo *æterna*, quia tamen fides docet, Christum mortuum esse pro omnibus, omnes ad æternam beatitudinem elevasse, & Media sufficientia præparasse; hinc cum æternam beatitudinem sperare omnes possimus & debeamus, eam etiam petere *absolute* possumus & debemus. Ideo monet Petrus Epist. II. cap. I. *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.* Præsumptione

ne enim peccaret, qui absque oratione bona illa a Deo ſperaret: Deſperatione autem, qui crederet, ea ſibi etiam petenti non fore conferenda. Utraque evitanda eſt, quia in ſpiritum Sanctum offendit.

Objic. II. Perfectio Chriſtiana conſiſtit 899
in puritate charitatis *deſintereſſatæ*, ut non ſit *mercenaria*, ad proprium bonum ipſius æternæ beatitudinis non reſpiciat, ſed unice ad bonitatem Dei abſolutam. Hinc Moyses etiam de libro vitæ deleri voluit, & Paulus optabat anathema eſſe pro Fratribus, id eſt, æterna beatitudine privari. Ergo nec iſta quidem *abſolute* petenda eſt.

Resp. In quo conſiſtat perfectio charitatis, & quomodo Moyſes & Paulus exponendi ſint, dixi in Prælectionibus de virtutibus Theologicis, Tom. VII. P. II. n. 168. ubi relegenda ſunt.

Reſtat dicendum, pro quibus orandum ſit.

Resolutio VII. Pro viatoribus omnibus, 900
ſive juſti ſint, ſive peccatores, ſive amici, ſive inimici, ſive fideles, ſive infideles, orandum eſt, ita ut nullus ab oratione *privata* poſitive poſſit excludi.

Prob.

PROB. I. Præceptum charitatis nos obligat, ut proximum noſtrum diligamus, ſicut nos ipſos. Quemadmodum igitur ex charitate erga nos ipſos orare debemus a Deo, ut nobis obveniant bona ad ſalutem utilia, ita etiam pro proximo. Atqui Viator quisque, etiam peccator, infidelis, inimicus, noſter eſt proximus, ut fides docet. Ergo pro omnibus illis, ſaltem in communi, orandum eſt.

901 Dixi tamen: in oratione *privata* nullum in particulari poſſe poſitive excludi. In publicis enim orationibus poſitive excluduntur *Excommunicati*; quia non ſunt participes communionis Sanctorum: pro quibus tamen privatim orare poſſumus, ſaltem ad impetrandum illis ſpiritum pœnitentiæ & humilitatis, ut ad Eccleſiæ revertantur Communionem: quemadmodum Eccleſia publice in Paraſceve pro omnibus ejusmodi, etiam extra Eccleſiam poſitis, ſuas effundit preces; utique in memoriam Chriſti, qui in cruce pro ſuis inimicis Patrem oravit.

902 PROB. II. PAULUS I. Tim. II. ſcribit: *obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones,* NB. *pro omnibus hominibus, pro Regibus* (qui tunc omnes infideles, & plerique perſecutores erant) *& omnibus, qui in ſublimitate ſunt. . . . Hoc enim bonum &*

acce-

acceptum eſt coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. JACOBUS Epiſt. cap. V. 16. monet: *orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* CHRISTUS expreſſe voluit Math. V. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Denique ut SS. PP. advertunt, oratio Dominica ideo in numero plurali concepta eſt, ut ſciamus, neminem pro ſe tantum, ſed pro omnibus in communi orare debere. Hinc non dicimus: Pater *meus*, ſed *noſter*: Panem *noſtrum* da *nobis*, dimitte *nobis* debita *noſtra* &c. vid. etiam, quæ dixi in Diſſertatione *Anti-Huthiana*, pag. 39. ſeq.

OBJIC. I. Pro illis ſolum orandum eſt, 903
quibus oratio utilis futura eſt. Atqui pro multis utilem futuram orationem, ſperari non poteſt. *Ergo. Min. prob.* Peccatores indurati, excœcati, aut qui nihil unquam audierunt de Evangelio, qui in ſalutis deſperatione poſiti ſunt, prævidentur certo moraliter, quod eis noſtra oratio profutura non ſit. *Ergo.*

RESP. Cum nullus mortalium, citra ſpecialem revelationem, ſcire poſſit, conſilia Dei, nec ulli cognitus ſit reproborum ſtatus; ideo ſperare poteſt, omnibus viato-

ribus

ribus impetrari posse gratias, quibus ad seriam conversionem excitentur. Nam ut ait S. AUGUSTINUS Tractatu in Psalm. LIV. qui legitur in officio Matutino de Cœna Domini Lect. V. „ In eo, quod malus „ est quis, utrum usque in finem perse„ veraturus sit, ignoramus. Et plerum„ que cum tibi videris odisse inimicum, „ Fratrem odisti, & nescis. . . . Ipsorum „ (Dæmonum) tantum desperanda est „ correctio &c. „

904 OBJIC. II. Epist. I. Joan V. dicitur: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. Ergo.*

RESP. Illud *peccatum ad mortem* vel est desperatio & impœnitentia finalis; & pro hac inutilis est oratio, nisi eo fine, ut ab alio avertatur: aut sensus textus est: non prohibeo quidem, ut pro tali quis oret, sed nec promitto, utilem fore orationem, nempe, cum tam certa aut firma spe impetrationis, de qua sermo est versu præcedente.

905 OBJIC. III. Deus præcepit Jeremiæ cap. VII. 16. *Noli orare pro populo hoc.* Ergo.

RESP. Jeremias fuit prohibitus, ne oraret pro avertendis pœnis, quas Deus jam decreverat in populum rebellem.

OBJIC.

Objic. IV. Sancti adversus non nullos 906
magis imprecationes, quam orationes fuderunt. ut Psal. LXVIII. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Videatur etiam Psal. CVIII. qui vocatur *maledictionis.*

Resp. Citatis locis non tam leguntur imprecationes, quam prædictiones malorum futurorum.

Resolutio VIII. Neque pro Beatis in 907
cœlo, neque pro Damnatis orare licet. Hinc fictitia est liberatio Trajani Imperatoris, quæ precibus S. Gregorii Magni tribuitur.

Prob. I. Pars. Ex vulgato textu S. Augustini Serm. XVII. de verb. Apost. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Ratio est, quia si quid pro iis orandum foret, tunc esset impetratio augmenti gloriæ: atqui hæc, saltem quoad substantiam, amplius augeri nequit; commensuratur enim quantitati meritorum. Hinc sicut non augentur eorum merita, ita neque respondens illis gloria.

Dixi: *quoad substantiam*; cum enim *ac-* 908
cidentalis eorum gloria augeri possit; pro ejus augmento etiam orare licebit. Hanc sententiam refert Innocentius III. cap. *cum Marthæ.* de celebrat. Miss. nec refu-

tat. „ Plerique, ait, reputant indignum, „ Sanctorum gloriam usque ad judicium „ augmentari, & ideo Ecclesiam posse „ augmentum glorificationis eorum opta„ re. „ Ideo etiam dicitur in Missa: *ut illis proficiat ad honorem, nobis ad salutem.*

909 Prob. II. Pars. Pro quibus nullum bonum sperare licet, pro iis orari non potest. Atqui pro Damnatis nullum bonum sperari potest; cum enim sententia Dei absoluta immutabilis sit, nulla sperari potest ex inferno redemptio, nec pœnarum diminutio, utpote quæ æternæ sunt, ut ostendi in Prælect. de Deo Creatore Tom. II. P. I. Et quidem pœnas Dæmonum nunquam fore finiendas, contra Origenem definitum est: atqui eædem pœnæ æternæ decretæ sunt Reprobis damnatis, ut patet ex sententia Judicis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.*

910 Prob. II. Ex S. Gregorio M. lib. XXXIV. Moral cap. 16. „ Si quandoque finienda „ sunt supplicia Reproborum, quando„ que finienda sunt ergo & gaudia bea„ torum. Per semetipsum namque veritas „ dicit: *ibunt hi in supplicium æternum,* „ *justi autem in vitam æternam.* „

Prob.

Prob. III. Pars. Hanc fabulam refert 911
Joannes Diaconus lib. II. de vita S. Gregorii M. cap. 44. S. Gregorium per forum Trajani procedentem, judicii ejus, quo ex equo desiliens viduam fuerat consolatus, recordatum, ad S. Petri Basilicam pervenisse, ibique tamdiu super errore Clementissimi Principis deflevisse, quousque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse auditum: pro nullo ulterius pagano preces funderet. Alii dicunt, Trajanum illi viduæ, cui jus se dicturum post expeditionem bellicam pollicitus est, filium suum obsidem reliquisse; cum certo tamen constet, quod filium non habuerit. Alii ajunt, Gregorium conspecta statua ærea Trajani factum referente ad preces pro eo fundendas fuisse permotum: cum tamen vero simile haud sit, illam statuam superstitem fuisse, postquam Wandali sub Genserico urbem depopularunt, & in omne æs, ac plumbum quoque, studiose inquisierunt. Alii fatentur, Gregorium hac oratione peccasse, & propterea gravi capitis morbo, quoad vixit, fuisse punitum. Alii dicunt, ipsum divino instinctu fuisse motum, ut pro Trajano oraret. Quæ utique cum oratione peccaminosa conciliari non possunt. Alii fingunt, animam Trajani Gregorii precibus fuisse suscitatam & ab ipso baptizatam, statim in cœlum evolasse. Iterum alii ajunt, animam Trajani

jani quingentorum annorum ſpatio inter beatitudinem, & æternam damnationem fuiſſe ſuſpenſam. Atqui tam multiplex Auctorum in una eadem re diſſenſus, utique fabulam redolet; cum veritas ſibi ſemper conſtet. *Ergo.*

912 PROB. II. Nullus Auctor, Gregorio Synchronus, hujus hiſtoriolæ meminit, nec ipſe etiam Venerab. BEDA, Gregorii alias ſtudioſiſſimus. Neque etiam de judicio Trajani, quod Gregorium ad orandum permoviſſet, Auctores illi, qui Imperatoris vitam cum magnis elogiis deſcripſerunt, ut PLINIUS, qui ſcripſit Trajani Panegyricum, DIO, & XIPHILINUS, ÆLIANUS ſpartianus, AURELIUS Victor, JULIANUS apoſtata, aliquid commemorant, non omiſſuri tamen factum ſingulari commendatione dignum. Ergo corruit totius fabulæ fundamentum.

913 PROB. III. Nullo modo vero ſimile eſt, Gregorium voluiſſe orare pro Principe ethnico, flagitioſiſſimo, Chriſtianorum perſecutore atrociſſimo, Sodomita, omni Libidini dedito, & ad inferos certe damnato, cujusmodi fuit Trajanus, ipſorum paganorum Scriptorum teſtimonio; cum utique ſciverit, quod Deus preces Abrahæ non audiverit, pro Sodomitis viventibus deprecantis.

PROB.

Prob. IV. S. Gregorius ignorare non potuit, baptiſmum eſſe medium ſalutis neceſſarium, ut ſine eo aditus ad Regnum Cœlorum nemini patere queat. Atqui etiam neſcire non potuit, Trajanum absque baptiſmo *fluminis*, & *ſanguinis* deceſſiſſe: de baptiſmo autem *flaminis* ne temere quidem ſuſpicari potuit. Quomodo ergo fingi poteſt, illum orare voluiſſe pro infideli, non baptizato, ad inferos damnato? Trajani autem animam a mortuis ad vitam excitatam, atque ita baptizatam fuiſſe, adhuc abſurdiorem fabulam ſapit: niſi ſimul fingatur, etiam corpus ipſius reſurrexiſſe; cum Sacramenta non agant in animam, niſi mediante corpore, quod ceu ſigna ſenſibilia phyſice attingunt. 914

Prob. V. Cum Trajanus in peccato gravi defunctus, & merito damnatus fuerit, quæro, an ante liberationem pio & ſupernaturali doloris ac contritionis motu peccata expiaverit, an absque contritione prævia ipſi fuerint remiſſa peccata? Neutrum apte dicitur. Nam poſt ſtatum viæ finitum nullus ſupereſt pœnitentiæ locus. Sine pœnitentia nulla eſt venia: niſi forte per extrinſecam condonationem, quam Thomiſtæ repudiant. 915

Prob. VI. Nulla ratione probabile eſt, S. Gregorium id a Deo orare voluiſſe, 916

quod ſe impetraturum ſperare non potuit. Atqui liberationem Trajani ex inferno ſperare non potuit. Ergo &c. *Min. prob.* Qui cum tota Eccleſia credit, pœnas Damnatorum fine carere, liberationem Animæ damnatæ ſperare non poteſt. Atqui GREGORIUS cum tota Eccleſia credidit æternitatem pœnarum infernalium. &c. *Min. prob.* Sic enim ipſe ſcribit lib. XXXIV. Moral. cap. 16. poſt verba jam ſupra citata. „ Si igitur hoc verum non eſt, „ quod minatus eſt; neque illud verum „ eſt, quod promiſit. At inquiunt: ideo „ æternam pœnam peccantibus minatus „ eſt, ut eos a peccatorum perpetratione „ compeſceret: quia creaturæ ſuæ æter„ na ſupplicia *minari* debuit, non *inferre.* „ Quibus citius reſpondemus: ſi falſa mi„ natus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret; „ etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam „ provocaret &c. „ Vid. reliqua ibidem & lib. IV. Dial. cap. 44. Ubi pœnarum æternitatem ex inſtituto propugnat.

917 OBJIC. I. Authoritas JOANNIS Diaconi, hoc factum diſerte affirmantis, & propugnantis.

RESP. Joannes Diaconus trecentis annis Gregorio M. recentior, non ex authenticis Romani Archivii Inſtrumentis, ſed ex obſcuris quarumdam Eccleſiarum Angelicarum & Saxonicarum Documentis hanc fabu-

fabulam hausit, quam Romæ in dubium vocatam fuisse non obscure ipsemet insinuat his verbis: „ ob id vel maxime dubitari „ videtur, quod tantus Doctor nequaquam præsumeret pro Pagano prorsus „ orare, qui quarto dialogorum suorum „ libro docuerit, eandem causam esse, „ cur non oretur a sanctis in futuro judicio pro peccatoribus æterno igne „ damnatis, quæ nunc etiam causa est, „ ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis. „ Sed & ipse GREGORIUS M. huic fabulæ contraria scripsit lib. VI. Epist. XV. „ Nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet, „ quia descendens ad inferos Dominus, „ illos solummodo ab inferni claustris „ eripuit, quos viventes in carne per „ suam gratiam in fide & bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit: *cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, omnia, videlicet electa. Nam trahi a Deo post „ mortem non potuit, qui se a Deo male vivendo separavit. „

OBJIC. II. S. JOANNES Damascenus in 918
orat. de defunct. de liberatione Trajani loquens ait: „ quodque istud verum sit, „ atque ab omni calumnia alienum, oriens „ totus atque occidens testantur. Et „ hoc præstantius eo est, quod de Falco-

„ nilla refertur. Illa etenim præter Ido„ lorum cultum nihil aliud sceleris perpe„ trarat : hic contra plurimos Martyres „ crudelissima morte affecerat. „

Resp. I. Oratio illa non est S. Joannis Damasceni ; quia 1. contraria est ejus menti in aliis operibus manifestatæ. Scribit enim lib. II. de fide cap. 4. „ Illud etiam „ scire non alienum fuerit, quod homini„ bus mors est, hoc Angelis lapsum ex„ titisse. Post lapsum enim præclusa jam „ est illis omnis resipiscendi facultas, „ quemadmodum & hominibus, postquam „ ex hac vita migrarunt. „ 2. Quia iste Auctor supponit, pro damnatis posse offerri missæ sacrificia : quod nemo Damascenum credidisse sibi persuadebit. 3. Quia scribit : Philosophos Ethnicos, Christo ad inferos descendente, fuisse ex inferno liberatos. 4. Quia iterum scribit iste Auctor, neminem eorum, qui in Christum credunt, periturum esse, quod est falsum. 5. Id etiam a vero abest, *totum* orientem & occidentem testari liberationem Trajani. 6. Quia multa alia absona habet, & opera quorumdam Patrum citat, quæ nullibi extant.

Resp. II. Etiamsi hæc oratio esset S. Joannis Damasceni genuinus fœtus, dico, illum in quæstione facti eodem modo potuisse decipi, quo deceptus est Joannes Diaconus.

Objic.

Objic. III. In Euchologio Græcorum 919
habetur quædam oratio, ubi ſic legitur: „ quemadmodum Trajanum per intentam „ ſervi tui Gregorii *Dialogi* interceſſionem „ flagro ſolviſti, exaudi etiam nos te orantes non pro idolorum cultore, ſed pro „ fideli ſervo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit. „ Ergo.

Resp. Ex ſuppoſititia Damasceni oratione hæc fabula in Euchologium Græcorum irrepſiſſe potuit. Eccleſiæ autem Græcæ, quæ in graviores alios lapſa fuit errores, longe præferenda eſt Romana, tanquam omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, quæ nihil tale legit, ſed potius pſallit in officio defunctorum: *in inferno nulla eſt redemptio.* Porro ipſum Euchologium Græcorum a Goario editum, quædam fictitiæ liberationi e diametro contraria continet, ut in officio funereo Sacerdotis: *non eſt in inferis pœnitentia, nulla ibi relaxatio, nec ullus inferno eripitur. . . . Ibi infructuoſæ lachrimæ, & judicium absque miſericordia.*

Objic. IV. Hæc hiſtoria etiam revelata 920
fuit S. Birgittæ lib. IV. revelat. cap. 13. & S. Mechtildi lib. V. revel. cap. 6. Ergo.

Resp. Privatæ Revelationes non faciunt ſemper fidem, nequidem hiſtoricam, eoquod multis deceptionibus ſint obnoxiæ, niſi ab Eccleſia pro veris revelationibus agnoſcantur; cum enim Auguſtinus dixerit lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*: hinc multo minus contra Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem, quæ pœnas damnatorum æternas proponit credendas, privatis & contrariis Revelationibus fides eſt adhibenda.

Resp. II. Utraque revelatio inter ſe contraria eſt; nam revelatio Birgittana aſſerit, Trajani animam ex inferis ad ſublimem gradum fuiſſe evectam: Mechtildiana autem affirmat, nolle Deum ut ſciant homines, quid ſua liberalitate de anima Trajani ſtatuerit.

921 Objic. V. Eandem hiſtoriam refert & defendit S. Thomas in Supplemento Q. LXXIII. a. 5. ad 5.

Resp. S. Thomas poſitive non affirmat, animam Trajani precibus S. Gregorii M. ex inferno liberatam fuiſſe, ſed ſuppoſita veritate facti, quod ob putatitium Damaſcenum non dijudicat, tantum inquirit, quomodo hæc liberatio fieri potuerit: nimirum quod vel non fuerit finaliter damnatus,

natus, vel quod neque precibus S. Gregorii fuerit in perpetuum a pœna abſolutus, ſed ſuſpenſus usque ad Diem judicii. Si autem etiam poſitive affirmaret S. Thomas, nemo ſe utique vadem præſtabit, eum in quæſtionibus meri facti fuiſſe infallibilem, in quo Romanos Pontifices & Concilia falli poſſe, vix eſt, qui negare audeat. Cur ergo in hoc capite ab eo diſcedere piaculum exiſtimetur? homo fuit S. Thomas, qui humane etiam de ſe ipſo ſenſit, & ut alii ita ſentirent, pro ſua humilitate facillime paſſus eſt, & vel nunc in cælis, ubi exultat omnis invidia, permittet. Audiatur ipſe 2. 2. q. X. art. 12. „ Maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda, quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris. „ Atqui Eccleſiæ conſuetudo eſt, in officio defunctorum pronuntiandi: *quia in inferno nulla eſt redemptio.*

Objic. VI. Alii quoque Auctores graves 922
eidem hiſtoriæ fidem conciliant, ut S. Antoninus, Vincentius Bellovacenſis, Gerson, Tostatus, Ciaconius, Navarrus, de la Nuza. Ergo.

Resp.

Resp. Omnes isti Recentiores sunt, qui ex Apocryphis Testimoniis Pseudo-Damasceni & Joannis Diaconi, absque ulla crisi, seu, inquisitione in rei veritatem hanc fabulam descripserunt. Stant vero multo plures in contrarium, qui partim suo silentio, partim argumentis positivis eam impugnarunt, uti post coævos Baronius & Bellarminus, Possevinus, Dominicus Soto, critici Recentiores omnes. Legatur etiam Melchior Canus de loc. Theol. lib. XI. cap. II. S. Antoninus & Vincentius Bellovacensis sæpe fuerunt nimis creduli, & Regulis exactæ criticæ destituti. Hinc tot in eorum operibus fabellæ. Alii fuerunt concionatores, qui non raro in historiæ & critices principia delinquunt. Navarrus ex præjudicio & pruritu vindicandi Ciaconium hanc fabulam propugnavit. Tostatus & subdubitanter scripsit, & invicem pugnantia. Affirmat enim, Gregorium M. peccasse orando pro Trajano: & eum tamen oratione peccaminosa liberasse, quæ utique sibi invicem contradicunt.

923 Etsi vero nec pro Beatis, nec pro Damnatis orare liceat, datur tamen status medius animarum, qui dicitur Purgatorium, ubi animæ in gratia quidem & charitate defunctæ, sed necdum plene purgatæ, seu, quæ nondum pro pœnis temporalibus, post dimissa licet peccata residuis, divinæ Ju-

Juſtitiæ ſatisfecerunt in vita, tamdiu puniuntur, donec ſatis paſſæ fuerint.

An autem exiſtat talis locus medius, & animabus ibi contentis proſint fidelium orationes, hic inquirendum eſt. Non quæritur tamen hic de loco Purgatorii, an in hoc mundo & ſuper terram, v. g. in monte quodam ignivomo, vel ſubtus terram, vel in aëre caliginoſo, vel in ipſo Damnatorum Inferno, exiſtat; hæ enim quæſtiones fidem non concernunt, nec ex Traditionis fundamentis exacte definiri poſſunt.

Neque etiam quæritur, in quo Purgatorii pœna conſiſtat, an in vero igne ſenſibili & corporeo, an ſolum in caligine, mœrore & triſtitia ob retardatam beatitudinem: quæ Græcæ Eccleſiæ ſententia eſſe videtur. Neque etiam de duratione pœnarum diſceptare placet, utpote quæ ſoli Deo cognita eſt, qui delicta, & debitam iis pœnam intelligit. Singularis erat Dominici Soto ſententia, nullam animam ultra 10. annos in Purgatorio torqueri: quem tamen Theologorum nullus ſecutus eſt.

Itaque Purgatorium, & preces pro Ani- 924
mabus defunctorum oblatas primus impugnavit Aerius ſæculi IV. hæreticus, de quo ſcribit Epiphanius hæreſ. 75. & S.

Au-

AUGUSTINUS hæreſ. 53. Eundem errorem amplexi ſunt WALDENSES, APOSTOLICI, PETROBRUSIANI, LUTHERUS, atque CALVINUS. Sed & THOMAS quidam *Anglus* in opuſculo de medio animarum ſtatu aſſeruit, non alium eſſe purgatorium ignem, quam ultimæ mundi conflagrationis; Interea autem animas, quibus aliquid adhuc expiandum ſupereſt, tamdiu a Dei viſione arceri, dolere, & angi, donec ultimo illo conflagrationis igne purgentur. Contra hos ſtatuitur.

925 RESOLUTIO IX. Pro Animabus in Purgatorio preces a Fidelibus ad Deum utiliter emittuntur. *Eſt dogma Eccleſiæ Catholicæ.*

PROB. I. Non omne peccatum eſt *mortale*, ſed dantur ex natura ſua *venialia*, quibus non debetur pœna æterna, ſed temporalis, ut docetur tractatu de Peccatis: & in quolibet peccato duo ſpectanda ſunt, Reatus culpæ, & pœnæ. Quando remittitur Reatus culpæ, non ſemper remittitur omnis Reatus pœnæ temporalis, ut oſtendi Tom. XI. Prælect. *de Pœnitentia.* N. 234. Hinc pro iis pœnis reſiduis congrua Deo præſtanda eſt ſatisfactio, ut ibidem dictum eſt. Quoniam vero homo eam non ſemper exhibet in hac vita, conſequens eſt, ut eam præſtet in altera, quia nihil coinquinatum introibit in Regnum

gnum Cœlorum : & quia Juſtitia divina nihil remittit de ſuo Jure. Ergo in altera vita quidam ſupereſt locus & ſtatus, ubi expiandæ ſunt reſiduæ maculæ. Cum vero animæ illæ ſemetipſas amplius juvare non poſſint, Chriſtianorum viventium charitas iis ſuccurrit, Deum pro earum liberatione deprecatur, ſuaque opera ſatisfactoria per modum *Suffragii* Deo pro iis offert. Hinc fluit & exiſtentia Purgatorii, & utilitas precum, quæ pro animabus illis quotidie funduntur.

PROB. II. Ex S. Scriptura. II. Machabæo- 926
rum XII. „ Vir fortiſſimus Judas facta „ collatione 12. millia drachmas argenti „ miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans. . . . „ Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro „ defunctis exorare ut a peccatis ſolvantur. „ Nihil hoc textu manifeſtius eſſe poteſt ; cui tamen Proteſtantes opponunt, librum Machabæorum non eſſe Canonicum ; & hoc textu plus probari, quam velint Catholici ; ſequeretur enim, etiam pro damnatis poſſe offerri ſacrificia & preces : cum illi, de quibus Judas loquitur, idolorum cultores fuerint, eoquod ſub eorum tunicis reperta fuerunt quædam de donariis idolorum. Sed

927 Contra Primum. Machabaicos libros ab Ecclesia SS. Scripturarum canoni Jure adscriptos fuisse, ex Tractatu de Locis Theologicis hic supponere licebit. Quidquid autem in iisdem difficultatis quoad Chronologiam & Historiam occurrit, dissolutum legitur in Libro: *Auctoritas utriusque libri Machab. Canonico - Historica adserta, & Frœlichiani Annales Syriæ defensi adversus commentationem Historico - Criticam V. E. Gottlieb Wernsdorffii* ab Anonymo S. J. Sacerdote Viennæ Austriæ edito an. 1749. quo Lectorem ablego. Etsi autem liber iste non foret Canonicus, fide tamen historica moraliter certo inde nobis constat, quæ illo tempore Judæorum, tanquam populi vere fidelis, publica de Purgatorio existimatio fuerit, Traditione utique a Majoribus accepta: quod ad probandam Dogmatis existentiam sat esse videtur.

928 Contra II. Etiamsi, quod absit, Judas erraverit errorem particularem, existimans, in gravi peccato defunctos viventium precibus juvari posse; non erravit tamen in dogmate principali, aliquibus saltem defunctis suffragia vivorum prodesse. Dici autem potest, quod etiamsi illi defuncti polluti fuerint anathemate, ante obitum tamen pio contritionis motu a peccato purgari potuerint: vel quod qualitatem peccati ignoraverint, & leve existimaverint,

rint, quod erat grave: vel quod ſpolia, quæ capiebant, neſcierint eſſe donaria idolorum. &c.

Prob. III. Chriſtus Math. XII. 31. Dixit: 929
quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra ſpiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Ergo in futuro ſæculo quædam remittuntur peccata: ſecus non fuiſſet locutus modo humano, excipiendo unicum peccatum a remiſſione futuri ſæculi, ſi nullum omnino foret ibi remittendum. Atqui non remittuntur in futuro ſæculo peccata gravia, utpote quibus debetur inferni pœna æterna: neque remittuntur beatis, in quibus nihil eſt coinquinatum: ergo remittuntur Levia, aut pœna temporalis pro gravibus dimiſſis reſidua, iis animabus, quæ ſunt mediæ inter Beatos & Damnatos: conſequenter exiſtit Purgatorium. Atque ita hunc locum expoſuerunt S. Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 13. & 24. & lib. VI. Contra Julian. cap. 55. S. Gregorius M. lib. IV. Dialog. cap. 39. Eodem textu contra ſui temporis hæreticos, dictos Apostolicos, uſi fuerunt S. Bernardus, & Petrus Cluniacenſis.

Prob. IV. Eccleſia hactenus ſemper con- 930
ſuevit preces & ſacrificia Deo pro defunctis fidelibus offerre, ut conſtat ex

Auctore constitut. Apost. VIII. 12. apud Cotelerium PP. Apost. vol. 1. pag. 408. cap. 13. cap. 40. ubi ita legitur: „ Porro de iis qui in „ Christo requieverunt, postquam Diaco„ nus clara voce protulerit ea, quæ ora„ tio complectitur, adjiciet etiam hæc. „ cap. 41. *Oratio pro mortuis.* Pro fratri„ bus nostris, qui in Christo requieve„ runt, oremus, ut hominum amans Deus, „ qui animam defuncti suscepit, ei remit„ tat omne peccatum voluntarium ac non „ (perfecte) voluntarium, & propitius „ clemensque factus, collocet eum in re„ gione piorum. . . . Episcopus dicat; qui „ natura es immortalis. . . . non tanquam „ mortuorum, sed tanquam viventium es „ Deus; quia cunctorum animæ apud te „ vivunt, & spiritus Justorum in manu „ tua sunt, quos non tanget cruciatus „ (æternus) . . Ipse & nunc respice su„ per servum tuum hunc, quem selegisti, „ & assumpsisti in aliam sortem, & con„ dona ei, si quid volens aut invitus de„ liquit, atque Angelos ei exhibe placidos, „ atque colloca eum in sinu Patriarcha„ rum. . . ubi non est tristitia, dolor, „ gemitus, imo locus piorum sedatus &c. „ Eadem fere leguntur apud Auctorem sub nomine Dionysii Areopagitæ lib. de cœlesti hierarchia cap. 7. *de iis, quæ fiunt circa defunctos.* §. 4. „ Deinde accedens „ Antistes precem sacram super defuncto „ peragit: qua finita ipsemet Antistes eum

salu-

„ ſalutat. Rogat itaque precatione illa „ divinam bonitatem, ut defuncto pecca- „ ta omnia dimittat, quæ per humanam „ infirmitatem contracta ſunt, eumque „ in lucem ſanctam ac vivorum regionem „ transferat, & collocet in ſinu Abrahæ, „ Iſaac & Jacob, in loco a quo dolor „ & triſtitia gemitusque aufugiunt. „ In Vetuſtiſſimis quoque Liturgiis, quæ Apoſtolorum aut Patrum nomine circumferuntur, commemoratio legitur Defunctorum, qui Dyptichis erant inſerti. Ipſi ritus in Chriſtianorum ſepultura adhiberi ſoliti, cantica, Pſalmodia, eleemoſynæ, oblationes, preces pro illis factæ, de quibus frequenter teſtantur SS. PP. Hieronymus & Auguſtinus, inſinuant, medium quemdam animarum locum, precumque pro iis fuſarum utilitatem ab Eccleſia creditam fuiſſe.

Prob. V. In Symbolo Apoſtolico credi- 931
mus *deſcenſum Chriſti ad Inferos*, & liberationem Patrum e limbo, qui certe non erat locus damnatorum, unde nullus unquam liberatur. Imo teſtatur Apoſtolus Petrus Ep. I. cap. III. 18. ſeq. Chriſtum ſpiritibus, qui increduli fuerant in diebus Noë, prædicaſſe: quod utique de damnatis intelligi vix poteſt: ergo de animabus Juſtis in Purgatorio. Vid. quæ dixi Hiſtoria Theologiæ Chriſtianæ Sæc. I. pag. 77. ſeq. In eodem Symbolo profitemur

Sanctorum communionem. Itaque inter sanctos Ecclesiæ Militantis, purgantis, & Triumphantis datur quidam per charitatem nexus, & Ecclesia patiens utriusque alterius auxilio adjuvari potest.

932 PROB. VI. In Actis Sinceris SS. MM. Perpetuæ & Felicitatis apud RUINART pag. mihi 96. exstat insigne monumentum, unde certo constat, primos Christianos de medio isto Purgatorii loco, unde animæ ibi detentæ vivorum precibus liberari valeant, fuisse persuasos. Ita enim scribit S. PERPETUA de fratre suo Dinocrate. „ Post dies paucos diem universi oramus, „ subito media oratione profecta est mihi „ vox, & nominavi DINOCRATEM. . . . „ Et cognovi me statim dignam esse, & „ pro eo petere debere. Et cœpi pro „ ipso orationem, pro ipso facere multum, „ & ingemiscere ad Dominum. Continuo „ ipsa nocte ostensum est mihi hoc in „ oromate. Video Dinocratem euntem „ de loco tenebroso, ubi & complures „ erant, æstuantem & sitientem valde, „ sordido vultu, & colore pallido, & vulnus in facie ejus, quod cum moreretur habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis annorum septem, qui „ per infirmitatem facie cancerata male „ obiit, ita ut mors ejus odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram: & inter me & illum gran-

„ de

„ de erat diadema, (intervallum) ita ut „ uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde in ipso loco, ubi „ Dinocrates erat, piscina plena aqua, „ altiorem marginem habens quam erat „ statura pueri, & extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam „ quod & piscina illa aquam habebat, & „ tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, „ & cognovi fratrem meum laborare. „ Sed confidebam, profuturam orationem „ meam labori ejus, & orabam pro eo „ omnibus diebus, quousque transivimus „ in carcerem castrensem. . . . Die autem „ quo in nervo mansimus, ostensum est „ mihi hoc. Video locum illum, quem „ videram tenebrosum, esse lucidum; & „ Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem. Et ubi erat vulnus, video cicatricem; & piscinam illam quam retro videram, submisso margine usque ad umbilicum pueri; & aquam de ea trahebat sine cessatione, & „ super margine phiala erat plena aqua; „ & accessit Dinocrates & de ea bibere „ cœpit, quæ phiala non deficiebat. Et „ satiatus abscessit de aqua ludere more „ infantium gaudens. Et experrecta sum. „ Tunc intellexi translatum eum esse de „ pœna. „ De eodem Dinocrate legi meretur S. AUGUSTINUS lib. I. de Origine animæ cap. 10. & III. 9. Ubi ait, Dinocra-

 tem

tem propter peccata quædam poſt baptiſmum commiſſa tales pœnas pertuliſſe. Nam ſeptennis puer mentiri potuerat, vel aliud quidpiam ad Patris gentilis ſuaſionem contra Deum facere.

933 Prob. VII. Teſtimoniis SS. PP. Clemens Alexandrinus purgatorium ignem agnoſcit Stromat. VI. §. 14. pag. 794. Edition. Potteri, ut vel ipſe Doctiſſimus iſte Epiſcopus Oxonienſis fatetur loc. cit. not. 4. & 5. Sic autem loquitur Clemens: „ Non ergo fuerit aliquis fidelis qui in„ temperans eſt, ſed etſi e carne exierit, „ neceſſe eſt, ut vitia deponat, ut poſſit „ ad propriam pervenire manſionem. „ Clementis diſcipulus Origenes de eodem Purgatorio ſæpius loquitur lib. IV. contra Celſum n. 13. lib. V. n. 16. lib. VI. n. 26. Tom. I. nov. edit. Pariſ. quibus tamen in locis mentem ſuam haud adeo clare exponit, quia, ut ait l. VI. n. 26. „ Quæ hac de re dici poſſent, ea nec „ omnibus aperire convenit. . . Immo mi„ nime ratum eſſet harum rerum expli„ cationem committere literis, cum pleris„ que ſatis ſit ſcire, peccantes punitum „ iri. Ulterius progredi non utile fuerit: „ ideo quod ſunt, quos vix æterni ſup„ plicii metus continet, quin ſe totos ne„ quitiæ, malisque ex ea conſequentibus „ tradant. „ Legatur etiam homil. VI. in Exodum num. 4. pag. 148. Tom. II. &

ad

ad eundem locum Origeniana HUETII l. II. Q. XI. n. 2. ſeq. Ubi in Origenis mentem inquirit. Sed ut vel unum admetiar textum, hunc in modum loquitur homil. XXVIII. in Numeros ad cap. 34. n. 2. pag. 385. Tom. II. „ Ibi credo & civitates „ iſtæ erunt, quarum hic figura deſcri„ bitur, quas refugii nominat civitates, „ ad quas confugiunt non omnes homi„ cidæ, ſed qui ignoranter homicidium „ commiſerunt. Sunt enim fortaſſe aliqua „ peccata, quæ ſi propoſito ac volunta„ te committimus, homicidas nos faciunt: „ & ſunt alia, quæ ſi ignoranter admit„ timus, decernitur nobis, credo, & præ„ paratur ex præcepto Dei aliquis locus, „ ubi *ad certum tempus* habitare debeamus, „ ſi qui non voluntaria peccata commi„ ſimus: ſi tamen mundi inveniamur „ & alieni ab iis peccatis, quæ volunta„ te commiſſa ſunt. „ Quibus quidem in verbis & diſtinctio peccatorum gravium a venialibus, & pœna *temporalis* his decernenda, haud obſcure aſſeritur.

PROB. VIII. Illorum PP. Teſtimoniis 934 qui orationis pro fidelibus defunctis diſertis verbis meminerunt. TERTULLIANUS Volens probare, non ea ſolum quæ ſcripta, ſed & quæ tradita ſunt, pari Religione eſſe acceptanda, inter plurima, quæ non ſcripta ab omnibus obſervantur, etiam *oblationes pro defunctis*, tanquam a longiſſi-

mo tempore & ubique fieri ſolitas adducit lib. de Corona cap. 3. „ Ergo quæ-
„ ramus, inquit, an & Traditio niſi ſcripta
„ non debeat recipi ? Plane negabimus
„ recipiendam, ſi nulla exempla præjudi-
„ cent aliarum obſervationum, quas ſine
„ ullius ſcripturæ teſtimonio, ſolius Tra-
„ ditionis titulo, & exinde conſuetudinis
„ patrocinio vindicamus. Denique ut a
„ Baptiſmo ingrediar, aquam adituri, ibi-
„ dem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia
„ ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos
„ renuntiare diabolo, & pompæ, & An-
„ gelis ejus. Dehinc ter mergitamur,
„ amplius aliquid reſpondentes, quam Do-
„ minus in Evangelio determinavit. Inde
„ ſuſcepti lactis & mellis concordiam præ-
„ guſtamus, exque ea die, lavacro quo-
„ tidiano per totam hebdomadem abſtine-
„ mus. Euchariſtiæ Sacramentum & in
„ tempore victus, & omnibus mandatum
„ a Domino, etiam antelucanis *cœti-*
„ *bus*, nec de aliorum manu quam præ-
„ ſidentium ſumimus. Oblationes pro de-
„ functis, pro natalitiis (Martyrum)
„ annua die facimus, Die Dominico je-
„ junium nefas ducimus, vel de geniculis
„ adorare. Eadem immunitate a die Pa-
„ ſchæ in Pentecoſten usque gaudemus.
„ Calicis aut panis, etiam noſtri (non
„ conſecrati) aliquid decuti in terram
„ anxie patimur. Ad omnem progreſſum
„ atque promotum, ad omnem aditum &

„ exi-

„ exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad „ mensas, ad lumina, ad cubilia, ad se„ dilia, quacunque nos conversatio exer„ cet, frontem crucis signaculo terimus. „ Harum & aliarum ejusmodi disciplina„ rum si legem expostules scriptura„ rum, nullam invenies: Traditio tibi „ prætenditur auctrix, consuetudo con„ firmatrix, & fides observatrix. Ratio„ nem Traditioni, & consuetudini, & fi„ dei patrocinaturam aut ipse perspicies, „ aut ab aliquo qui perspexerit, disces. „ Interim nonnullam credes, cui debeatur „ obsequium. „ E quibus longiusculis licet verbis id saltem eruere velim, haud quaquam novitias esse Ecclesiæ nostræ Traditiones, ut Protestantes criminari solent, & sæculo III. quo floruit Tertullianus, jam antiquam fuisse consuetudinem pro defunctis offerendi. Idem lib. de Monogamia cap. 10. Viduam a secundis nuptiis retrahere volens, ita eam alloquitur: „ Dic mihi, Soror, in pace præmisisti „ virum tuum? Quid respondebit? An „ in discordia? Ergo hoc magis ei vincta „ est, cum quo habet apud Deum cau„ sam. Non discessit, quæ tenetur, sed „ in pace. Ergo perseveret in ea cum „ illo necesse est, quem jam repudiare „ non poterit, ne sic quidem nuptura, si „ repudiare potuisset. Enim vero *& pro* „ *anima ejus orat, & refrigerium interim* „ *adpostulat ei*, & in prima resurrectione

„ consortium, & *offert annuis diebus dor-* „ *mitionis ejus* &c. „ Item lib. de Exhortat. Castit. cap. XI. pag. m. 523. „ Duplex enim rubor est; quia in secundo „ Matrimonio duæ Uxores eundem circumstant Maritum; una Spiritu, alia in „ carne. Neque enim pristinam poteris „ odisse, cui etiam religiosiorem reservas „ affectionem, ut jam receptæ ad Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro „ qua oblationes annuas reddis. Stabis „ ergo ad Dominum cum tot uxoribus, „ quot in oratione commemoras? & offers pro duabus? & commendabis illas „ duas per Sacerdotem &c. „ Hujus oblationis pro defunctis fieri solitæ etiam meminit S. CYPRIANUS Epist. I. secundum Fellum, atvero 66. secundum Baluzium ad Clerum & plebem Furnis consistentem. CYRILLUS Hierosolymitanus catechesi Mystagogica V. „ Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi *sunt*, „ maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio „ sancti illius & tremendi, quod in altari „ positum est, sacrificii. Quod exemplo „ vobis demonstrare volumus. Scio enim „ multos dicere: quid juvat animam, si„ve cum peccatis, sive absque peccatis „ ex hoc mundo decedentem, etiamsi in „ hoc sacrificio mentio illius fiat? An „ enim, si Rex aliquis eos, a quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea

„ vero

„ vero illorum propingui coronam ali-
„ quam conficientes, pro his, qui ſunt
„ in ſupplicio exulibus eidem offerrent:
„ nonne condonationem aliquam ſuppli-
„ ciorum ipſis dederit? Ad eundem mo-
„ dum & nos pro defunctis precationes
„ adhibentes, quamvis ſint peccatores,
„ non quidem coronam plectimus, ſed
„ Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum
„ offerimus, ut & nobis, & illis, eum,
„ qui eſt benigniſſimus, propitium red-
„ damus. „

Arnobius lib. IV. Contra gentes in fine, loquens de conventibus Chriſtianorum, quos perſecutotes impedire conabantur, ait, Chriſtianos in iis ſummum orare Deum pro omnibus, etiam inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum unctione. Ita pariter S. Gregorius Niſſen. Oratione *de mortuis*. S. Augustinus lib. *de cura pro mortuis*, & alibi paſſim, præcipue dum lib. Confeſſ. refert, Matrem ſuam Monicam ante obitum rogaſſe Sacerdotes & adſtantes: *tantum ad altare Domini memineritis mei*; ut Patres alios jam taceam.

Prob. IX. Ex definitione & conſenſu 935
Eccleſiæ Græcæ cum Latina. Ut enim non memorem orationes, quas Latini & Græci in ſacris officiis varias pro defunctis recitare ſolent, de Orientalium ſen-

tentia

tentia constat ex fidei professione, quam an. 1267. CLEMENS IV. obtulit MICHAELI Palæologo Imperatori, & quam an. 1274. GREGORIUS X. ab iisdem Græcis excepit in Concilio Lugdunensi, ubi profitentur: „ si vere pœnitentes in charitate decesse-„ rint, antequam dignis pœnitentiæ fru-„ ctibus de commissis satisfecerint & omis-„ sis, eorum animas in pœnis purgatoriis „ post mortem purgari vel ad pœnas hu-„ jusmodi relevandas prodesse eis fide-„ lium vivorum suffragia, Missarum sci-„ licet sacrificia, orationes & eleemysnas „ & alia pietatis officia, quæ a fidelibus „ pro aliis fidelibus fieri consueverant se-„ cundum Ecclesiæ constituta. „ Legatur etiam Concilium LATERANENSE sub INNOCENTIO III. Can. LXVII. FLORENTINUM *Sess.* ult. in Decreto de Purgatorio. TRIDENTINUM Sess. 25. Decreto de Purgat. Sess. 22. Can. 2. Sess. 6. Can. 30.

936 OBJIC. I. Ex S. Scriptura. Eccle. IX. 10. dicitur: *quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, erunt apud inferos, quo tu properas.* Ergo in futuro nullus superest peccatis expiandis locus.

RESP. Dist. *conseq.* Nullus superest locus, meritorius, ubi vera pœnitentia agi & satisfactio proprie præstari potest. *Conc.*

Non

Non ſupereſt locus, ubi pro pœna temporali ſatis *pati* debent animæ. *Neg.*

Objic. II. Ibidem cap. XI. 3. *Si cecide-* 937
rit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, quocunque loco ceciderit, ibi erit. Ergo non datur locus tertius, ex quo ſperanda foret redemptio.

Resp. Ex his verbis ſolum probatur, quod a ſtatu Juſtitiæ, vel iniquitatis, in quo quis ex hac vita deceſſit, non poſſit amplius deflectere. Vel, quod non niſi duo ſint ſtatus fixi & *perpetuo* duraturi, videlicet Beatitudinis, & damnationis: non vero probatur, quod inter hos ſtatus non ſit aliquis medius *temporalis.*

Objic. III. Deus per Ezechiel. cap. XVIII. 938
promiſit, ſe omnium iniquitatum (impii poſt pœnitentiam) non amplius recordaturum. Atqui recordaretur, ſi poſt peccata dimiſſa eos adhuc puniret in Purgatorio. Ergo nullum datur Purgatorium.

Resp. *Diſt.* Promiſit ſe non recordaturum, in ordine ad pœnam *æternam*, quæ ante actam pœnitentiam peccatis debetur. *Conc.* In ordine ad pœnam temporalem, *Neg.* Certe enim recordatus fuit peccati Davidis, quem poſt illius remiſſionem variis caſtigavit temporalibus pœnis. Vel Deus non recordatur, quaſi adhuc odio habe-

haberet pœnitentem, prout prius oderat impium. *Conc.* Nullo modo recordatur. *Nego.*

939 Objic. IV. Scriptura duos tantum commemorat in altera vita locos; unum pro electis, alterum pro damnatis: ſicut etiam in Judicio in duas ſolum claſſes diſtribuendi erunt omnes homines judicandi; Electi ad dextram, Reprobi ad ſiniſtram. vid. Math. XXV. Ergo.

Resp. *Diſt.* Commemorat duos ſolum locos, *ſtabiles* & perpetuos. *Conc.* Abſolute tantum duos. *Neg.* Quid enim erat ſinus Abrahæ & Patrum limbus, cœlo nondum reſerato, quod Chriſtus mortis Victor primus intravit. *Diſt.* Etiam alterum. Duos commemorat ordines judicandorum, in Judicio finali, ubi extinctum jam erit Purgatorium. *Conc.* Ante Judicium finale Univerſale. *Nego.* In ipſo quoque Judicio particulari non niſi gemina profertur ſententia pro ſtatu cujusque *perpetuo* duraturo, Beatitudinis, aut damnationis æternæ, ita tamen, ut Electi a peccatorum reliquiis nondum plene purgati, adhærentes maculas in Purgatorio ad tempus eluere debeant.

940 Objic. V. S. Scriptura paſſim affirmat, Juſtos poſt mortem *ſtatim* in cœlum recipiendos fore. Ergo fictitium eſt Purgatorium.

torium. *Ant. prob.* Joan. IV. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit a morte ad vitam.* Apocal. XIV. 13. *Beati qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* Atqui Juſti omnes in Domino moriuntur. Ergo ſtatim requieſcunt a laboribus, nec amplius laborare debent in Purgatorio. Sap. III. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, nec tanget illos tormentum mortis: viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Ergo. & cap. IV. 7. *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Ergo non in pœna. Denique Paulus Rom. VIII. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Atqui Juſti omnes ſunt Chriſti Jeſu. *Ergo.*

Resp. Textus omnes intelligendi ſunt, vel de ſententia *finali* & ſtatu *perpetuo* duraturo, de quo erunt certificandi, quod illum, non quidem omnes *ſtatim*, ſed tamen *aliquando*, certo ſint obtenturi: aut de Juſtis plene purgatis, qui utique ſtatim ad viſionem beatificam transferuntur.

Objic. VI. Chriſtus Luc. XXIII. 43. 941
Latroni pœnitenti promiſit: *hodie mecum eris in paradiſo.* Ergo & alii Juſti eo ſtatim recipiuntur.

Resp.

Resp. Vel Latro per intensam contritionem plene justificatus & purgatus fuit, atque adeo nulla amplius expiatione indiguit: vel per paradisum non debet intelligi beatitudo & intuitiva Dei visio, utpote quæ ante Christi ascensionem nemini fuit concessa, sed forte paradisus terrestris.

942 Objic. VII. Aliqui Patres, ut Augustinus lib. V. hypognostici cap. 5. & serm. XIV. *de verbis Apostoli*, *tertium* locum expresse rejiciunt. *Ergo.*

Resp. *Disting.* Rejiciunt locum *tertium*, in sensu Pelagianorum, qui vitam æternam distinguebant a Regno Cœlorum, & parvulos sine baptismo decedentes a Regno quidem cœlorum, non autem a Vita æterna, ubi naturali beatitudine fruerentur, excludendos esse docuerunt. *Conc.* In sensu Catholicorum, qui vitam æternam a Regno cœlorum non distinguunt, & ipsi quoque non nisi duos locos *perpetuo duraturos*, tertium autem *temporalem* profitentur. *Nego.*

943 Objic. VIII. SS. Patres communiter docent, quod post vitam nemo amplius satisfacere possit. *Ergo.*

Resp. *Disting.* Nullus potest satisfacere, quoad remissionem peccati *mortalis*, aut pœnæ *æternæ*, aut quoad conversionem

cor-

cordis. *Conc.* Quoad remiſſionem culpæ aut pœnæ *venialis*, aliarumque pœnarum dimiſſis mortalibus debitarum. *Neg.* Pro his enim ſaltem *ſatis pati* poſſunt.

Objic. IX. Si animæ defunctæ aliorum 944
precibus juvari poſſunt, tunc falſum eſt, quod ait Apoſtolus II. Corinth. V. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque* PROPRIA *corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* & ad Galat. VI. 5. *Unusquisque onus ſuum portabit.* Sic enim non referret unusquisque prout ipſe geſſit *propria*, ſed prout alter pro ipſo ſatisfecit: nempe onus *ſuum* portaret, ſed alius portaret pro eo.

Resp. Nego *ſequel.* Quamvis enim juventur viventium precibus, hoc tamen auxilium commenſuratur ipſorum meritis, quibus in vita collectis ſe dignos effecerunt, ut pro ipſis Deus exaudiat aliorum preces. Ceterum vitam æternam adquirit ob *propria opera* per gratiam facta, non ob opera *aliena*: niſi quod forte horum intuitu citius ad beatitudinem perveniat. Verum quoque manet, quod quisque ad judicium onus ſuum portet, nimirum propria peccata, vel opera bona, quorum intuitu vel pœnas, vel præmium reportabit.

Objic. X. Eccleſia Græca in doctrina de 945
Purgatorio a Latina diſcordat; in Con-

cilio enim Florentino ab utraque parte plurimum desuper disceptatum fuit.

RESP. *Disting.* Ecclesia Græca dissentit in ipso dogmate, quoad substantiam. *Neg.* Quoad accidentalia, ut est locus, & modus pœnæ. *Conc.* Contrarium enim patet ex ipso Florentino, & ex continua Græcorum praxi pro defunctis orandi, offerendi sacrificia.

946 OBJIC. XI. Quando nulla a nobis præstanda est satisfactio pro peccatis dimissis, tunc inutile est Purgatorium, & orationes pro defunctis. Atqui nulla a nobis præstanda est satisfactio; nam CHRISTUS pro nobis abunde satisfecit, qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apocal. I. 5. Per quem est *copiosa Redemptio*, & non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio: *ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia*, ut ait Paulus. Rom. V. 20.

RESP. Nego *min.* ad prob. Dico, Christum pro nobis satisfecisse quoad *sufficientiam*, non autem quoad actualem applicationem. Hinc per Christi meritum & *satisfactionem* sumus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. NB. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Rom. VIII. 17. Hinc dicit idem Apostolus Col. I. 14. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Id est, adimpleo per

ope-

opera bona, & media a Christo instituta, ut satisfactio Christi Universalis, mihi in particulari applicetur. Neque etiam per nostras satisfactiones fit injuria Christo, ex cujus merito illæ omnem suam vim & efficaciam habent.

OBJIC. XII. Post mortem nulla superest 947
facultas merendi: ergo neque satisfaciendi.

RESP. Nego *conf.* Ad meritum enim præter alia requiritur libertas a necessitate & coactione, & status viæ. Satisfacere autem, aut certe *satispati* potest etiam extra viam constitutus, & necessitate divinæ justitiæ adactus, quod ille tamen non prorsus invitus patitur. Imo justitiæ humanæ vindicativæ Malefactores satisfaciunt, etiam prorsus inviti & reluctantes.

OBJIC. XIII. In altera vita reatus *culpæ* 948
venialis non amplius remitti potest: ergo neque reatus pœnæ; nulla enim ibi locum habet pœnitentia & retractatio, sine qua peccatum, & debita eidem pœna non remittitur.

RESP. Nego *ant.* Ex textu enim Christi. N. 929. relato colligi posse videtur, aliqua peccata in futuro sæculo remitti. Nec obest, quod ibi locum non habeat Pœnitentia; ut enim contendit S. THOMAS, ad remissionem peccati venialis non requiritur *vera* & propria pœnitentia, sed *virtualis* displicentia in hac, aut pœna Purgatorii in al-

tera vita. Quæstio tamen superest de modo, quo animabus, cum peccato veniali ex hac vita decedentibus, illud remittatur? an in morte, vel post mortem? an fiat in primo instanti separationis animæ a corpore, virtute meritorum præcedentium, ut vult *Scotus*, an pœnitentia, vel charitatis fervore, vel displicentia virtuali, an dono perseverantiæ, an satisfactione, vel pœna? de quibus litigare nolo.

949 Quæri adhuc potest, an, & quale Purgatorium sint habituri illi, qui paulo ante diem Judicii obeunt, & forte pluribus annis in Purgatorio puniri deberent?

Resp. Forte purgandi erunt per ipsum mundi conflagrationem, vel ante actuale judicium in Purgatorium mittentur, ubi acerbitas pœnæ exiguo tempore ita a Deo augeri & exasperari potest, ut longiori durationi alias debitæ æquivaleat.

§. III.

De horis Canonicis.

950 Nomine *horarum Canonicarum* intelliguntur quædam preces vocales, ex Canonum præscripto regulariter recitandæ a personis ad id deputatis. Adpellantur etiam *officium divinum*, S. Psalmodia, quia maxima ex parte consistit in Psalmis, cui

ta-

tamen quædam alia interſeruntur. Dicuntur *horæ*, eoquod certis horis diurnis & nocturnis recitari ſoleant. Denique dicuntur *Breviarium*, quia eſt quaſi compendium quoddam utriusque teſtamenti, S. Scripturam, Patrum doctrinam, Sanctorum vitas & affectuoſas in Deum preces complectens: aut etiam, quia hodiernum officium ex quodam longiore in hanc *breviorem* formam fuit redactum. Vocatur etiam *officium Eccleſiaſticum*, & *Canonicum*; tum quia in Eccleſia, & Nomine totius Eccleſiæ, & juxta præſcriptos Canones publice perſolvitur; & quando a Clericis privatim recitatur, id tamen fit Nomine Eccleſiæ, & publicæ orationi æquivalet. Horas eſſe ſeptem, ex uſu & S. Regula noſtra ſcimus, nempe Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium, de quibus intelligendus David Pſal. CXVIII. *Septies in die Laudem dixi tibi.*

Quod horarum Canonicarum, ſeu, ſta- 951
tarum precum antiquitatem attinet, illa, quoad ſubſtantiam, ad Apoſtolica refertur tempora. Conſtat enim ex Actis Apoſtol. fideles conveniſſe ad officium divinum una celebrandum in domibus privatis, cum nondum habebant publica templa: id, quod hodieque fit a Catholicis iis in locis, ubi publicum non habent ſui cultus exercitium. v. g. in Anglia. *Erant*

perſeverantes, ait Lucas Act. II. 42. *in communicatione fractionis panis & orationibus.* Et Apoſtolus Eph. V. 19. *In Pſalmis, hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus Domino.* Auctor conſtit. Apoſt. II. 7. „ Peractis per binos „ lectionibus ſcripturarum Vet. Teſtam. „ quidam alius Davidis hymnos pſallat; „ & populus extrema verſuum ſuccinat. „ Dein Acta noſtra recitentur & Epiſtolæ „ Pauli &c. quas S. ſpiritus ductu ad „ Eccleſias miſit. Poſtea Diaconus vel „ Presbyter legat Evangelia. „ Lib. V. 19. „ In Eccleſia congregati in unum, „ vigiliis, orationibus, & ad Deum pre„ cibus vacate in pernoctatione veſtra, „ legem, Prophetas, ac Pſalmos legite „ usque ad Gallorum cantum &c. „ lib. VIII. 34. „ Preces facite mane, Tertia, „ Sexta, Nona Veſpere usque ad Galli „ cantum. „ In Actis Apoſtolorum legitur III. 1. quod Petrus & Joannes aſcenderint ad templum ad horam orationis *Nonam*. Fit quoque mentio horæ *tertiæ*, dum illapſus in Apoſtolos fuit ſpiritus Sanctus, ubi erant in oratione congregati. TERTULLIANUS de Jejunio cap. X. & XI. eas horas vocat Apoſtolicas, & tribuit iis Nomen *officii*. S. CYPRIANUS de oratione Dominica ait: „ Sed nobis præter horas „ antiquas obſervatas orandi nunc & ſpa„ tia, & Sacramenta creverunt. „ Qui de hac antiquitate, & Ritu veterum divi-

num

num perſolvendi officium plura ſcire deſiderat, legat JUSTINUM Apol. II. THOMASSINUM de V. & N. Eccl. diſciplina P. I. lib. II. cap. LXXI. ſeq. Cardinal. BONA de divina Pſalmodia, & ex Proteſtantibus BINGHAM Antiquit. Eccleſ. lib. XIV. cap. I. & II. Hic inquirendum 1. quinam ad horas Canonicas obligentur? 2. quo ordine, qua attentione divinum officium recitandum ſit? 3. de conſuetudine, qua Canonici ad horas publice recitandas obſtricti, illas per ſuos Vicarios perſolvi faciunt, muta præſentia iisdem aſſiſtentes.

RESOLUTIO I. Clerici omnes in ſacris 952
conſtituti, etſi nullo beneficio Eccleſiaſtico ſint proviſi, ad officii divini recitationem obligantur.

PROB. I. Cap. I. *de celebrat. Miſſarum*, quod deſumptum fuit ex Concilio AGATHENSI initio ſæculi VII. celebrato, ubi ſtatuitur: „ Presbyter mane matutinali „ officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ „ (canendo) videlicet Primam, Tertiam, „ Sextam, Nonam, Veſperamque perſolvat, „ ita tamen ut horis competentibus juxta „ poſſibilitatem, aut a ſe, aut a Scholaribus publice compleantur.

PROB. II. E Concilio BASILEENSI Seſſ. 953
XXI. ante ſchiſma adhuc celebrata, quoscunque beneficiarios, ſeu in ſacris conſti-

tutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc S. Synodus &c. III. Consuetudo universaliter recepta vim legis obtinet. Atqui est consuetudo universaliter recepta a temporibus Apostolorum, ut Clerici omnes in majoribus constituti, horas Canonicas persolvant, & quidem ex obligatione. *Ergo* &c.

Hinc sequitur etiam excommunicatos, suspensos, depositos, aut degradatos, eadem obligatione manere obstrictos; quia ex improbitate sua nemo debet commodum reportare.

954 Resolutio II. Beneficiarii ad horas Canonicas recitandas certe obligantur.

Prob. Ex Concilio Lateranensi V. Sess. IX. „ Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens beneficium, cum cura, vel „ sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis „ officii & temporis, sed eos fructus „ tanquam injuste perceptos, in fabricam „ hujusmodi beneficiorum, vel pauperum „ eleemosynas erogare teneatur: si vero „ ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima „ monitione præcedente, beneficio ipse „ pri-

„ privetur, cum propter officium detur „ beneficium. „ Hoc ipſum decrevit, innovavit & confirmavit S. Pius V. in Bulla: *ex proximo Lateran. Concilio.*

955 Prob. Ratione. Vel enim ejusmodi beneficium propter horarum recitationem eſt fundatum; tunc Beneficiarius ex juſtitia, adeoque jure naturæ, & ex pacto inter fundatorem & Beneficiarium inito ad conditionem implendam, quæ eſt ipſa recitatio, obligatur. Vel iſtud beneficium eſt fundatum poſt ea tempora, quibus beneficiariis jam erat impoſita obligatio recitandi divinum officium; tunc redit prior obligatio. Si autem fundatum fuerit priusquam Eccleſia ſtricte exegerat hanc recitandi obligationem; tunc ſaltem ex jure poſitivo deſcendit hæc obligatio, quam Eccleſia nunc omnibus Beneficiariis ſuperaddit.

956 Resolutio III. Religioſi ad chorum profeſſi, etiam nondum in ſacris ordinibus majoribus conſtituti, extra chorum ad privatam officii divini recitationem obligantur: niſi in quodam ordine vigeat contraria conſuetudo, aut diſpenſatio.

Prob. I. Conſuetudo rationabilis, & cum animo obligandi introducta, habet veram rationem legis. Atqui in ordinibus ad chorum adſtrictis viget iſta uni-

versalis consuetudo, ut Religiosi, etiam nullis ordinibus majoribus initiati, ad recitandum extra chorum horas Canonicas adstringantur, estque ista consuetudo rationabilis, & cum animo obligandi legitime introducta. Ergo habet vim legis: cumque sit in materia gravi, graviter obligat. *Maj.* constat ex eo, quia etiam Clerici *originarie* non nisi ex consuetudine ubique recepta ad hanc recitationem obligantur. *Min. prob.* ex testimonio Auctorum, qui passim affirmant, vigere ejusmodi consuetudinem universalem; & ex declaratione superiorum, qui non patiuntur, ut contraria sententia doceatur, multo minus in praxin deducatur. Indeque legitime infertur, hanc consuetudinem cum animo obligandi introductam fuisse. Sic P. Mutius Viteleschi S. J. Praepositus generalis, prohibuit, ne quis suorum contrariam opinionem etiam solum ut probabilem, doceret. Hinc ex operibus Emanuelis Sa contraria sententia Jussu Papae fuit expuncta. In nostro ordine Benedictino praeter consuetudinem, adest specialis obligatio S. Regulae, praecipientis, ut fratres, qui in via directi sunt, aut in labore, in agris, seu extra Monasterium occupati sunt, non eos praetereant horae Canonicae, sed, ut possunt, agant ibidem opus Dei, cum timore & tremore Dei flectentes genua &c. quae tamen obligatio *ex vi Regulae* per se solum esset

venia-

venialis, utpote extra materiam votorum. Obligatio autem *gravis* oritur ex jam dicta consuetudine universali totius Ecclesiæ, seu ordinum Monasticorum.

Prob. II. Monasteria ordinum ad choro- 957
rum profitentium ex mente Fundatorum obligantur, ad horas Canonicas in choro persolvendas, ita ut communitas peccaret graviter, si totum, aut partem notabilem absque legitima causa omitteret, ut fatentur omnes, & colligitur clare ex Diplomatibus fundationum; intercedit enim hic contractus inter Fundatores, & Monasterium. Ergo etiam obligatur Religiosus professus in particulari, ut extra chorum absens horas ad mentem Fundatorum recitet. Sicut enim tota communitas intuitu Psalmodiæ divinæ fructus percipit; ita Religiosus ex choro absens non minus sustentatur reditibus fundationis, consequenter eidem obligationi est obnoxius, cui tota communitas. Et sicut qui Altari servit, de Altari vivere potest; ita qui vivit de fundatione, menti Fundatorum satisfacere debet.

Prob. III. Religiosus privatus extra cho- 958
rum æquiparatur quodammodo alicui Canonico aut Beneficiario privato simplici; nam & Religiosorum sustentatio vocari solet Præbenda, vulgo Pfründe. Atqui Beneficiarius privatus, & Canonicus, extra chorum quoque obligatur ad recitatio-

nem

nem divini officii ex mente Fundatorum: ergo etiam Religiosus in particulari extra chorum.

959 Quod dictum est de Religiosis, etiam extendi debet ad Moniales choro adstrictas, & Canonissas, Stiftfräulen; quæ licet proprie dicti beneficii Ecclesiastici incapaces sint, vivunt tamen quodammodo de Altari, & mens Fundatorum est eadem, idem consensus Doctorum, eadem viget consuetudo, præcipue quoad Canonissas, quæ maximam quoad partem successerunt Veteribus Monialibus Benedictinis, choro addictis. Cum ergo succedant in earum bona & fundationes, etiam easdem quoad substantiam & mentem Fundatorum contrahunt obligationes.

960 Quod spectat ad *ordinem*, in recitando divino officio servandum, optandum quidem foret, ut etiam privatim *quælibet* pars Hora Diei ei respondente persolvatur: quod olim quidem erat in usu, nunc autem universali pene consuetudine immutatum est. Saltem Matutinum, & Horæ usque ad vesperas exclusive, ante meridiem; Vesperæ, cum Completorio post meridiem ad solis occasum recitare convenit, quæ vesperarum ante meridiem, extra quadragesimam, anticipatio, si sine rationabili causa fiat, non videtur vacare culpa veniali. Nihil enim operi Dei præponen-

ponendum eſt, & omnia horis competentibus compleantur, ut monet S. BENEDICTUS. Permiſſum tamen eſt, pridie anticipare Matutinum cum Laudibus, ſole magis ad occaſum, quam meridiem inclinante. Hinc ſequitur, quod in æſtate in die longiſſima, ubi ſol occumbit hora Octava veſpertina, non ante horam quartam; in hyeme contra die breviſſima, ubi ſol occidit hora quarta, non ante horam ſecundam anticipandum ſit Matutinum.

Quæritur, an ſine legitima cauſa, cujusmodi ſunt, ne viaticum deſit infirmo, ne plebs diutius exſpectare debeat, aut ne Sacerdos profecturus Miſſæ ſolatio privetur &c: liceat miſſam celebrare ante recitatum Matutinum cum Laudibus, aut quale incurratur peccatum? variæ ſunt auctorum ſententiæ, quas recenſet BENEDICTUS XIV. de ſacrificio Miſſæ.

RESOLUTIO IV. A peccato ſaltem venia- 961
li immunis non videtur, qui absque rationabili cauſa, & per conſuetudinem, ex ſola commoditate aut negligentia, Matutinum & Laudes Miſſæ celebrationi non præmittit.

PROB. I. Ex Rubricis Miſſalis Romani, ubi expreſſe requiritur, ut miſſa non niſi poſt recitatum Matutinum cum Laudibus celebretur. Atqui Rubricæ habent ratio-

nem

nem legis; Auctor enim illarum, qui est R. Pontifex, *potuit*, & *voluit* obligare Sacerdotes ad earum observantiam. Quod *potuerit*, negari non potest. Quod *voluerit*, inde colligitur; quia non voluit dare nudum *consilium*, sed *præceptum*; ut nimirum in Ecclesia catholica omnia ordinate & conformiter fierent, nullaque esset locorum, & Personarum in Ritibus discrepantia.

962 PROB. II. INNOCENTIUS IV. in sua constitut. anno. 1254. edita, statuit: „ Sacerdotes (tum Græci tum Latini) dicant horas Canonicas more suo: sed „ Missam celebrare priusquam officium „ matutinale compleverint, non præsumant. „

963 PROB. III. Plures Episcopi in suis Diœcesibus sub pœna suspensionis & excommunicationis inhibuerunt, ne Missa celebretur ante recitationem Matutini &c. ut videre est apud continuatorem TOURNELLII. Ergo agnoverunt obligationem: & illi quidem gravem: ego inde saltem levem deduco.

964 Quod vero ista obligatio non sit sub *gravi*, prout tamen asseruit S. ANTONINUS, & P. ANTOINE, Probatur. Nullo modo probabile est, quod omnes Rubricæ obligent sub gravi peccato: secus augerentur peccata

cata in infinitum, ob Rubricarum multitudinem. 2. Iſta conſuetudo, præmittendi Matutinum Miſſæ, non videtur ſub gravi obligatione introducta. 3. Nullus forte erit, qui illum gravis peccati arguat, qui horas minores recitat ante Matutinum, aut Veſperas cum Completorio ante Meridiem, quamvis certo agat contra Rubricas, & ordinem invertat. Ergo neque mortalis peccati reus cenſendus eſt, qui Matutinum non præmittit Miſſæ. Illa porro ſtatuta particularia locorum Univerſam Eccleſiam non obligant, & forte ſupponunt, iis in locis præceſſiſſe contemptum *formalem*, quem ego abeſſe ſuppono.

Objic. I. Inter Matutinum & Miſſam, 965
ſaltem hodie, nulla eſt connexio; cum illud pridie recitari poſſit. Ergo nulla adeſt obligatio.

Resp. *Diſting. ant.* Nulla eſt connexio, ex natura rei. *Conc.* Ex Eccleſiæ diſpoſitione, quæ vult, ut omnia fiant ordinate. *Neg.*

Objic. II. Si attendenda eſt Eccleſiæ 966
conſuetudo, tunc non ſolum Matutinum & Laudes, ſed etiam Prima & Tertia præmitti debent Miſſæ celebrationi; quia antiquitus, ubi una ſolum celebrabatur Miſſa, quæ nunc dicitur *conventualis*, illa

non

non nisi post Tertiam celebrari consuevit. Atqui hoc videtur nimium. *Ergo* &c.

Resp. Quamquam Ecclesiæ consuetudo antiqua in multis fuerit immutata, non inde sequitur, cuique liberum esse, ut passim ei contrarium agat. Cum ergo nunc sit Ecclesiæ consuetudo, ut plures Missæ dicantur in eadem Ecclesia, nulla tamen ordinarie dicatur ante publicam Matutini recitationem; hinc quoad istud punctum quisque privatus se accommodare debet huic Ecclesiæ consuetudini, & Matutinum præmittere celebrationi Missæ: nisi legitima causa excusans intercesserit.

967 Objic. III. Rubricæ Missalis, juxta communem, habent solum vim *directivam*, non *coactivam*. Ergo non obligant in conscientia.

Resp. Nego *ant.* Sed habent *omnino* vim *præceptivam*, & in conscientia obligant. Quid enim iis desit ad rationem legis? Non potestas, neque voluntas legislatoris, uti jam ostendi. Certe Theologi veteres uno quasi ore peccati in genere reum arguunt, Rubricarum sine causa transgressorem: cumque aliqui etiam grave crimen in hac transgressione agnoscant, non ero nimis rigidus, si saltem leve peccatum committi existimem.

Quoad

Quoad *modum*, quo recitandum eſt di- 968
vinum officium, ſtatuit Concilium Lateranense IV. cap. *Dolentes.* de *celebrat.* Miſſar. illud ſtudioſe & devote recitandum eſſe. *Studioſe* quidem, id eſt diſtincte & integre absque præcipitantia, cum debita verborum ac Syllabarum pronuntiatione quoad omnes partes. *Devote* autem, nempe cum intentione laudandi & orandi Deum, & cum debita attentione mentis, & reverentia cum interna, tum externa. Quæritur ergo, an tam intentio, quam attentio, & qualis, ad ſatisfaciendum præcepto recitandi horas Canonicas requiratur?

Resolutio V. Requiritur Intentio *im-* 969
plicita vel *explicita* orandi & laudandi Deum, in ordine ad ſatisfaciendum præcepto.

Cum enim hoc præceptum ad cultum Dei ſit directum; ille qui eidem ſatisfacere vult, debet animum habere Deum laudandi, & orandi eo modo & fine, quo Eccleſia præcipit. Quamvis autem *explicita* intentio ſit optima & magis meritoria, ſufficit tamen *implicita*, qua Clericus eo ipſo, qua ſe ad horas recitandas adſtrictum agnoſcit, admonetur, & ſic quaſi ex habitu jam contracto quotidie penſum ſuum perſolvit.

970 Resolutio VI. Ut ſatisfiat præcepto, requiritur attentio *interna* tum ad verba, tum vel ad ſenſum verborum, vel in genere ad Deum & res divinas, quas orando petimus. Iſta autem attentio non debet ſemper eſſe *actualis*, nec ſufficit habitualis; ſed requiritur ſaltem virtualis.

Prob. I. Pars. Recitatio Breviarii nihil eſt aliud, quam oratio præcepta. Atqui oratio eſt *elevatio mentis* ad Deum, quæ nihil eſt aliud, quam attentio interna ad Deum & res divinas. Ergo recitatio debet fieri cum attentione interna: hinc externa & labialis ſolummodo pronuntiatio verborum, absque interna attentione, ut hypocriſis a Chriſto arguitur Math. XV. *Hypocritæ! bene prophetabit de vobis Iſaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Hoc ipſum etiam colligitur ex tot Conciliorum Canonibus, qui omnes recitationem officii divini *cum devotione* fieri præcipiunt; devotio autem præcipue conſiſtit in aſcenſione mentis ad Deum. Nec enim exterior ſolum corporis ſitus, ſed animus Deo addictus, ſeu devotus, devotionem conſtituit.

971 Prob. II. Pars, requiri attentionem ad verba, ſcilicet ut rite & integre pronuntientur, nec detruncentur, vel deglutiantur. Præcepta enim eſt oratio *vocalis*, quæ

quæ debet eſſe diſtincta. Requiritur ergo attentio, ut oratio diſtincta labiorum mutatione, non ſola lectione, aut ſtudio pronuntietur.

Prob. III. Pars. Senſum ipſum verborum, ſeu grammaticalem aut litteralem, ſeu Theologicum, multi qui ad horas Canonicas obligantur, intelligere non poſſunt, uti Moniales, juniores beneficiarii: ipſi etiam Clerici in ſacris litteris minus exercitati. Ergo *determinate* ad ſenſum verborum non obligantur. Quia autem omnes ad breviarium adſtricti, eo ipſo ad orationem obligantur, hæc autem ſit elevatio mentis ad Deum; ſequitur, illos, qui ſenſum verborum intelligere aut non poſſunt, aut ad eum attendere nolunt, debere mentem ſuam dirigere ad Deum, ejus perfectiones conſiderandas, ſuas miſerias eidem exponendas pro impetrandis auxiliis neceſſariis, ad eliciendos varios actus virtutum &c. ut nempe vere dici poſſint *orare*: hinc David monet: *Pſallite ſapienter.* Et Paulus, *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* 972

Prob. IV. Pars. *Actualis* attentio ſemper haberi non poteſt, conſiderata naturali hominum fragilitate & inclinatione ad diſtractiones, propter varia phantaſmata, quæ mentem etiam invitam alio rapiunt: *Habitualis* autem attentio, quæ nihil aliud 973

esse videtur, quam intentio semel habita attente recitandi officium, ideo non sufficit; quia fieri vix potest, ut diu perseveret, nec contrariis actibus retractetur, sicque extinguatur. Quapropter sufficit inter utrumque media, seu *virtualis*, qua in *virtute* propositi recenter facti movemur ad recitandum debite, & devote, seu attente officium divinum: quæ quidem si sæpius renovetur & repetatur, cum aliquo conatu ad actualem attentionem, eo erit melior, & securior, & fructuosior.

974 Notum est, quod Beneficiarii choro adscripti, nisi horis Canonicis intersint, distributiones quotidianas non lucrentur, & injuste acceptas teneantur restituere, ex Concil. TRIDENTINO Sess. XXIV. cap. XII. Quæritur autem, an sicut Canonici ad præsentiam in choro corporalem, & ad recitationem breviarii, ita etiam obligati sint, ut divinum officium *per se ipsos* publice canant, aut psallant in Ecclesia: an vero sufficiat, si id faciant per vicarios conductos? quod quidem in multis Ecclesiis fieri, experientia unicuique perspectum est.

975 RESOLUTIO VII. Beneficiarii & Canonici tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum choro adscripti, obligantur sub gravi, ut officium divinum per semetipsos

ipsos cantent, vel psallant in Ecclesia: & si secus fecerint, ad restitutionem fructuum tenentur, nisi legitimo Privilegio sint muniti.

Prob. I. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. XII. hæc de Canonicis statuit. „ Præterea obtinentibus in eisdem „ Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, „ Canonicatus, præbendas, aut portiones, „ non liceat vigore cujuslibet statuti, aut „ consuetudinis ultra tres menses ab eis- „ dem Ecclesiis quolibet anno abesse. . . . „ Alioquin anno primo privetur unus- „ quisque dimidia parte fructuum, quos „ ratione etiam præbendæ ac residentiæ „ fecit suos. Quod si iterum eadem fue- „ rit usus negligentia, privetur omnibus „ fructibus, quos eodem anno lucratus „ fuerit. Crescente vero contumacia con- „ tra eos juxta SS. Canonum constitutio- „ nes procedatur. Distributiones vero, „ qui statutis horis interfuerint, recipiant. „ Reliqui, quavis collusione, aut remis- „ sione exclusa, his careant juxta Boni- „ facii VIII. decretum, quod incipit *con-* „ *suetudinem*, quod S. Synodus in usum „ revocat, non obstantibus quibuscunque „ statutis & consuetudinibus. *Omnes vero* „ *divina per se, & non per substitutos com-* „ *pellantur obire officia, . . atque in choro* „ *ad psallendum instituto hymnis, & canti-* „ *cis Dei nomen reverenter, distincte, devo-*

 „ *teque*

„ *teque laudare.* „ Hic in primis habetur clarum Ecclesiæ præceptum, & quidem uno quasi halitu cum prioribus conjunctum, in quibus jure fructuum privantur Negligentes. Sicut ergo Canonici obligantur ad residentiam personalem, & in ordine ad lucrandas distributiones quotidianas obligantur ad præsentiam in choro; ita ex eodem Concilio TRIDENTINO obligantur, ut in choro *per se*, non per substitutos obeant officia. Neque hoc tantum de *consilio*, & *decentia* esse, dici potest; nam Concilium utitur verbo, *compellantur.*

976 PROB. II. Ex constitutione BENEDICTI XIV. ad solos quidem Episcopos Italiæ directa, sed ex paritate rationis ad omnes Ecclesias extendenda; quia ibi non novum jus statuitur, sed obligatio per SS. Canones imposita, & per Tridentinum renovata, urgetur ad observantiam. Sic autem habet constitutio *cum semper.* §. 24. „ Equidem scimus, in aliquibus Metropo- „ litanis & Cathedralibus Ecclesiis inter „ Canonicos eam opinionem invaluisse, ut „ se munus suum satis implere conten- „ dant, dum choro præsentes assistunt, „ licet ipsi sibi silentium imperent, neque „ Psallentibus Beneficiatis aut Mansiona- „ riis in cantu se adjungant. In hujusce „ vero opinionis confirmationem adduci ab „ iisdem solent inveteratæ consuetudines, „ sta-

„ ſtatuta peculiaria , aut etiam prætenſa
„ Eccleſiarium ſuarum privilegia. At cum
„ Synodus Tridentina Seſſ. XXIV. cap.
„ XII. loquens de dignitatibus & Canonicis,
„ qui choro intereſſe debent, unum
„ ex eorum officiis eſſe dicat , in choro
„ ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis
„ Dei nomen reverenter , diſtinčte,
„ devoteque laudare: cumque pauca omnino
„ ſint capitula, in quibus eo modo
„ a Canonicis in choro aſſiſtitur, ideoque
„ receptæ in univerſali Eccleſia diſciplinæ
„ paucos illos adverſari dignoſcatur. Quum
„ inſuper opinio illa nunquam in Congregatione
„ Concilii Tridentini interpretationi
„ præpoſita, examinata ſit, quin
„ ſtatim exploſa fuerit & improbata;
„ quamvis præſumptis conſuetudinibus,
„ aliisque fundamentis & rationibus innixa
„ perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum
„ Patriarchalium hujus noſtræ
„ urbis ſuper hoc inſtantibus; quum denique
„ idem judicium probatum reperiatur
„ a pluribus Conciliis provincialibus,
„ ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis
„ & confirmatis: nihil jam reliquum
„ eſſe videtur, quo minus pauciores univerſorum
„ legi ſe accomodent. Equidem
„ minime nobis incompertum eſt,
„ quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum
„ habeant, unius vel alterius Eccleſiæ Canonici,
„ ſe muneri ſuo ſatisfacere per
„ ſimplicem in choro aſſiſtentiam abſque

„ divinæ Psalmodiæ cantu. Verum nisi
„ illis præsto sit Apostolicum, non præ-
„ sumptum vel abrogatum, sed legitimum
„ ac vigens Privilegium sive indultum,
„ jure ac merito verendum est, ne isti,
„ dum ita se gerunt, præbendarum ac
„ distributionum fructus minime suos fa-
„ ciant; & consequenter ne ad eorum re-
„ stitutionem teneantur. „

977 Prob. III. Idem etiam statuit Concilium Basileense Sess. XXI. cap. III. „ Cum
„ Canonici Psallendi gratia conveniant,
„ juncta & clausa labia tenere non de-
„ bent; sed omnes, præsertim qui majo-
„ ri funguntur honore, in Psalmis, hym-
„ nis, & canticis Deo alacriter modulen-
„ tur. . . . Nemo ibi, dum horæ in
„ communi publice cantantur: legat vel
„ dicat privatim officium; nam non so-
„ lum obsequium, cui obnoxius est, cho-
„ ro subtrahit, sed alios Psallentes pertur-
„ bat. . . Horum autem transgressores il-
„ lius horæ, in qua circa prædicta ex-
„ cesserint, vel alia majori, prout gravi-
„ tas transgressionis exegerit, plectantur
„ pœna. „

978 Prob. IV. Ratione. Quod Canonici percipiunt ex contractu cum fundatoribus inito, & ex donatione *sub modo*, illud injuste percipiunt, & ex Justitia restituere tenentur, si conditionem contractui

oppo-

oppositam, & modum donationis non adimpleant. Atqui Canonici fructus beneficii sui percipiunt ex contractu conditionato cum fundatoribus inito, & ex donatione sub modo. *Ergo* &c. *Maj.* est certissima. *Min. prob.* Si legantur omnia fundationum diplomata, tunc deprehenditur, fundatores Ecclesiarum ideo sua bona dedisse Ecclesiis, ut illi, qui ex bonis istis sustentantur, Psalmodiam publice in choro divinasque laudes in choro persolvant. Ergo qui hanc conditionem non adimplent, non Psallendo per se, ad restitutionem tenentur.

Prob. V. In plerisque Ecclesiis Cathedra- 979
libus & Collegiatis, saltem in Germania, Canonici succedunt Monachis Benedictinis, pro quibus ab initio erectæ erant istæ Ecclesiæ & factæ fundationes. Atqui Benedictini per se, non per vicarios chorum peragebant, & universus orbis erat persuasus, illos ad hoc obligari, prout etiam hodie in suis Ecclesiis se obligatos agnoscunt, suæque obligationi satisfaciunt. Sicut ergo Canonici successerunt in eorum reditus; ita etiam in eorum obligationem, saltem quoad chorum; quia secus nullo modo intentioni Fundatorum satisfieret.

Prob. VI. Non potest ostendi, neque 980
probabile est, quod Fundatores voluerint

tot bona profundere pro ſola Canonicorum in choro præſentia, aut privata recitatione officii divini. Ergo voluerunt eos ad publicam & perſonalem Pſalmodiam, elata voce perſolvendam, obligare: ſecus id in ſuis diplomatibus expreſſiſſent, & bona ſua aliter diviſiſſent; nempe partem pro vicariis actu Pſallentibus, partem pro Canonicis præſentiam ſuam actu commodantibus: quod certe eſt contra omnia diplomata.

981 PROB. VII. Canonici ad aliquid aliud obligantur, quam ſimplices Beneficiarii tenuiſſimos fructus, aut ſimplices Clerici, nullos omnino fructus percipientes: Non enim ſine ratione tam pingues habent reditus. Atqui ſimplex Beneficiarius, aut alius Clericus in Majoribus conſtitutus, ad privatam totius officii recitationem obligantur, cum tamen Beneficiarius regulariter etiam obligetur ad celebrationem Miſſarum. Ergo Canonici obligantur ad aliquid præter privatam recitationem divini officii. Atqui illud *aliud* non eſt ſola præſentia in choro muta; quis enim ſibi perſuadeat, Fundatores cogitaſſe tantas divitias effundere eum ſolum in finem, ut Pſalmodiæ a Mercenariis, & quandoque ſine omni ædificatione perſolvendæ, ubi tantopere properatur, ut juxta Concilii TREVIRENSIS verba *non tam laudare Deum videantur, quam inſanire*, ut, inquam, tali Pſalmodiæ

Cano-

Canonici elingues aſſiſtant, & non niſi teſtes hujus inſaniæ agant?

Prob. VIII. Beneficium datur propter officium: ergo illi ſolum lucrantur fructus beneficii, qui officium perſolvunt ad mentem Fundatorum: quæ fuit, ut Beneficiarii officium divinum in choro publice Pſallendo perſolvant. Sicut ergo contra juſtitiam agit, qui miſſæ celebrandæ ſibi traditæ per alium ſatisfacere vult, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi reſervata: quia contraria propoſitio fuit damnata ab Alexandro VII. ita etiam contra Juſtitiam agunt, qui fructus præcipuos pro Pſalmodia fundatos ſibi reſervant, & non niſi exiguum ſtipendium, aut mercedem tribuunt vicariis, quandoque Laicis, ut dicuntur Choraliſtæ, qui Pſalmodiam publice perſolvunt, & quod præſcripſerunt Fundatores, adimplent, quamvis non raro ſatis luride, ut vix ſatisfacere videantur. 982

Prob. IX. Nulla adeſt Ratio, Canonicos regulariter eximens ab iſta obligatione a Fundatoribus præſcripta, a Conciliis graviſſimis verbis inculcata, a Romanis Pontificibus innovata. Non privilegium, ut ſupponitur; non conſuetudo: necque enim rationabilis eſt, nec adeſt conſenſus Pontificis, e quo ſolo pendet firmitas conſuetudinis contra generalia Concilia introducen- 983

ducendæ. Imo contra jus naturæ nulla introduci poteſt. Sequitur ergo corruptelam eſſe, quam forte ad vitanda mala majora tolerant Pontifices RR. nunquam autem approbarunt, ſed ſemper rejecerunt: etſi ab infligendis pœnis abſtineant, conſcientiæ Canonicorum obligationem Juris naturalis relinquentes.

984 Objic. contra VII. Reſolutionem. Nec Concilium Basileense, nec Tridentinum Canonicos, non per ſemet Pſallentes, fructibus ſuorum beneficiorum privant: quamvis, non reſidentes, aut choro non præſentes, fructibus & diſtributionibus *nominatim* in pœnam privent. Cum ergo leges pœnales ſint reſtringendæ; non debet hæc pœna ad non cantantes extendi.

Resp. *Diſting.* Concilia non privant eos fructibus, *explicite. Conc. Implicite.* Nego, & dico, quod etſi non priventur fructibus lege *humana*, iis tamen priventur jure Naturali; quia cum ex juſtitia teneantur ſervare conditionem contractui adpoſitam, & modum donationi præfixum: his non obſervatis fructus injuſte percipiunt, taliterque perceptos jure naturæ reſtituere tenentur ex radice rei alienæ: & hic locum habet *condictio ſine cauſa*, vel *indebiti*, vel *cauſa data, cauſa non ſecuta.*

Objic.

Objic. II. Per consuetudinem rationabi- 985
lem potest derogari etiam Concilio gene-
rali in materia præcepti humani. Atqui
præceptum Tridentini & aliorum Conci-
liorum, est mere humanum, & consue-
tudo universalis, qua Canonici horas de-
cantari faciunt per substitutos vicarios,
est rationabilis. Ergo per eandem dero-
gatur legi Concilii Tridentini. *Min. prob.*
Rationabile est, ut S. Psalmodia publice
cum majore populi ædificatione persolva-
tur. Atqui hoc fit majore cum ædifica-
tione per vicarios; cum enim Canonici
plerumque cantum choralem nesciant, ideo
si *per se* cantarent, fieret hoc cum mino-
re ædificatione, quandoque cum risu po-
puli: fit autem cum ædificatione majore,
quando cantatur per vicarios, cantus cho-
ralis peritos. *Ergo* &c.

Resp. Nego *min.* ad prob. dico. Quam-
vis nonnulli Canonici forte cum ædifica-
tione *cantare* nesciant, utique tamen
psallere possent. Transeat ergo, quod for-
te antiphonas difficiliores cantari possint
per Musices peritos substitutos, non ideo
tamen a tota Psalmodia *personali* eximi
debent. Imo quamvis aliqui eodem modo
inepti sint ad missam cum ædificatione
cantandam; id tamen haud difficulter per-
agunt, quando pingue pro tali missa ca-
nenda assignatum est stipendium. Dein
cum plerique Illustres nunc Musicam ada-
mare

mare & addiſcere ſoleant, utique oportet Canonicos ſaltem cantum choralem addiſcere, ut muneri ſuo ſatisfacere queant: ſecus beneficia acceptare non poſſunt, quæ dantur *propter officium.* Quando enim aliquis ſe ineptum alicui muneri agnoſcit, tunc ad omnia damna, quæ ex ejus imperitia oriuntur, reſarcienda eſt obligatus, ut communis eſt ſententia. Sunt etiam multi ex Religioſis choro adſcriptis, qui cantus choralis non adeo perfectam habent notitiam: nec tamen ideo ab obligatione Pſallendi in choro fiunt immunes. Quid dicerent, aut ſentirent Laici, imo etiam ſæculares Clerici, ipſique Canonici, ſi Monachi ſub hoc prætextu vicarios ſibi ſubſtituerent? Nonne orbis univerſus vociferaretur, illos eſſe inutilia terræ pondera, nec niſi fruges conſumere natos, ſimilesque rubicillæ, Gimpel, de qua in proverbio eſt, quod multum vorare, parum autem cantare ſoleat.

986 Objic. III. Cum iſta conſuetudo ſit tam generalis, non poſſet tolerari ab Epiſcopis & ſummis Pontificibus, ſi non rationabilis, ſed potius corruptela eſſet. Atqui Epiſcopi & Pontifices ſciunt & tolerant. Ergo eſt rationabilis.

Resp. Cum multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debent tolerari, ut dici-

dicitur cap. 18. *de præbendis*: hinc & iſta conſuetudo toleratur connivendo, non autem approbando. Quæ vero ratio Epiſcopos & Pontifices moveat ad hanc conniventiam, meum non eſt inquirere. Ex hac autem conniventia deduci nequit tacitus legislatoris conſenſus, ſine quo lex nulla conſuetudine abrogari poteſt; nam & defunctus Pontifex Benedictus XIV. ſuum diſſenſum clare demonſtravit in citata conſtitutione: quæ quamvis ad ſolos Epiſcopos Italiæ data ſit, ob paritatem tamen rationis omnes tangit Canonicos, quia Tridentinum de omnibus loquitur, & mens Fundatorum quoad hoc ubique fuit eadem, & Congregatio quoque Cardinalium contrariam opinionem reprobavit.

Objic. IV. Fundatores noluerunt Cano- 987
nicos ad cantum perſonalem obligare, ſed ſolum ad aſſiſtentiam & præſentiam in choro, ac privatam recitationem officii divini. Volebant enim providere Illuſtribus Perſonis de congrua & ſtatui ſuo competente ſuſtentatione propter Progenitorum ſuorum in Eccleſias merita. Atqui contra intentionem Fundatorum nemo poteſt eos ad novum onus obligare. *Ergo.*

Resp. Nego *maj.* Neque enim, ordinarie, pro illuſtribus, ſed pro Monachis, aut Clericis, absque ullo reſpectu ad nobilitatem, olim fundatæ fuerunt illæ Eccleſiæ,

quas

quas ſucceſſu temporis Illuſtres adepti, eas ſibi ſolis reſervarunt. Si excutiantur omnia Fundationum diplomata, nihil ejusmodi ibi invenire erit.

988 Objic. V. Dici ſaltem poteſt, quod Canonici per tempus immemoriale huic obligationi præſcripſerint, ſicque ab hac ſervitute ſe liberaverint.

Resp. Nego, præſcriptionem locum habere poſſe. Non enim contra jus naturæ præſcribi valet. Deficit ergo hic 1. *res apta præſcribi.* Deeſt 2. *bona fides*; cum in Canonicis invincibilis ignorantia Tridentini Concilii ſupponi non poſſit. Deeſt 3. *juſtus titulus*; nullus enim alius videtur adeſſe, quam commoditas, cui opponitur Regula Juris: *qui ſentit commodum, ſentire etiam debet onus.* Deeſt 4. *poſſeſſio quieta*, utpote per Concilia & ſummos Pontifices, noviſſime per Benedictum XIV. & Decreta Congregationis Concilii, interrupta.

Agendum modo foret de Vitiis Religioni oppoſitis. Sed nimium ampla eſt iſta materia, quam ut in iſtas pagellas coarctari valeat. Quare Lectorem ad S. Thomam 2. 2. q. 92. ſeq. aliosque rerum moralium Tractatores remittere liceat.

J. O. G. D.

TOMI VIII.

Errata			Corrigenda
Pag.	*Lin.*		
35.	ult.	Recollectionis	Resolutionis
38.	penult.	CÆDARIUS	CÆSARIUS
61.	13.	sustentabat -	sustentabatur
69.	9.	significantur -	dignificantur
-	11.	propositis -	præsuppositis
156.	2.	filiorum - -	filiarum
157.	24.	haberent - -	habeant
163.	27.	Leg. 1. I. Cod.	Leg. 1. Cod.
168.	24.	Ecclesiis - -	ecclesiasticis
179.	7.	scientiæ - -	Sententiæ
198.	9.	inhabitare -	inhabilitare
200.	8.	fori canonici -	Fori, Canonis,
210.	22.	omne - -	omni
211.	4.	suos - -	suas
217.	17.	eorum - -	earum
229.	18.	ascensum - -	assensum
243.	antepenult.	illud -	*omittatur*
256.	antepenult.	sine causa	sine culpa
317.	penult.	Debitores	Creditores
338.	18.	unius cujuscunque	unius cujusque
374.	8.	resarcienda -	resarciendum
433.	11.	solutionem -	solutum
434.	13.	n. 38. prin. -	38. princ.
455.	24.	non - -	nec
459.	25.	impendens -	imminens
499.	12.	Cod. - -	eod.
531.	18.	Creditor - -	Debitor
533.	23.	certis - -	certe
536.	9.	pro - -	pio
553.	14.	solaria - -	Salaria

Errata

Errata			Corrigenda
Pag.	*Lin.*		
565.	9.	exigatur - -	exigitur
589.	6.	Domini - -	divini
591.	22.	habendi - -	labendi
600.	19.	probabile -	*adde* eſt
610.	1.	indignum - -	non indignum
619.	14.	exultat - -	exulat
628.	14.	diem - -	dum
-	19.	orationem pro ipſo	*omittatur* pro ipſo
644.	15.	ipſum - -	ipſam
645.	9.	quodam - -	quondam
658.	17.	prophetabit -	prophetavit
659.	2.	mutatione -	motione
665.	1.	oppoſitam -	appoſitam

Reliqua prudens Lector benevole excuſabit, emendabit.